

NOVA
ACTA
ERUDITORUM
ANNI
MDCCLXXIII.

publicata

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Olyſſiponae apud BORELLUM, MARTINUM, et SOCIOS: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS: et Amſtelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXXVI.

LECTORI

S.

D. Carolus Andreas Bel

P. P. O.

Etsi scribendae praefationis, cum hoc Tibi Actorum Eruditorum Volumen tradimus, nullam nobis videmus necessitatem impositam; neque enim ullam vetus hoc institutum mutationem passum est: tamen, vel salutandi Tui causa, Lector, nostraque studia Tibi commendandi, veterem praefandi morem non omnino putamus negligi oportere. Erunt

for-

fortasse, qui tarditatem nostram accusent, sed ignari sine dubio, in quosnam errores festinatio praecipitet, quam neque nobis grauem, neque iis esse volumus, de quorum libris iudicium proponitur. Habes hoc Volumine magnum bonorum librorum apparatum, cuius maximam partem Hispanis, Lusitanis, atque Italis debemus, quorum beneficio libri ad nos missi sunt, quos in his oris vix videas. Si nonnumquam iusto seueriores recensendis quorundam libris fuisse videamur, cogitent Lectores, libros, si mali sint, aut inepti, laudari ab iis nullo modo posse, qui ex vero iudicare a longo inde tempore consueuerint. Non Te amplius moror. Vale, Lector, et studium de Te bene merendi nostrum agnosce. Scribeb. Lips. d. XVIII. Octobr. MDCCLXXVI.

No. I

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Januarii Anno MDCCLXXIII.

HISTORIA ET COMMENTATIONES ACADEmiae Electoralis Scientiarum et Elegantiorum Litterarum Theodoro-Palatinae. Vol. III. *Historicum.*

Mannhemii, typis Academicis MDCCLXXIII. quaternis.

Satisfactum est tertio hoc Actorum Palatinorum Tomo eorum consilio atque voluntati, qui dissertationes historicas ab iis quae physicum quoddam, aliusque generis aliud argumentum tractarent, seiunctas maluere. Et servabitur in posterum haec ratio, ut quae ad Historiam pertinent, ea separatis voluminibus, aliis quae ad triplex regnum naturae spectant, exhibeantur. Est igitur haec *Tomi III.* quasi P. I. quam excipiet P. II. physica. Qui iam prae manibus est, haec habet.

Indices hiftorici rerum et verborum, in tribus, quae prodierunt, Academiae voluminibus contentorum.

Hiftoria academiae continet, praeter fata ipfius academiae, et datas ad hanc principum epiftolas, elogium *Oberkampii* et *Vonckii*, ex legibus academiae, fingulis, qui defuncti funt, fociorum fcribendum. Obiit ille anno 1767, hic 1769.

Iter literarium fufceperunt iuffu Principis Electoris Schoepflinus, Lameius, et Kremerus. Luftratis hi Vormatienfibus tabulis autographis, titulisque fepulcralibus Oppenhemienfibus, Francofurtum, et Heddernhemium inde, vicum Moguntiacum, evagati funt. Res diplomatica non contemnendum accipit augmentum, collectis Limburgi ad Lo-

ganam

ganam aliisque in locis diplomatibus LII. Intermixtis bene multis longa haec messis diplomatica distinguitur titulis sepulcralibus, ad familiam Veldentiam Nassoviensem, aliasque pertinentibus. Treviris Manhemium adlata sunt duo marmora cum inscriptionibus sepulcralibus hominum Christianorum, unum Genesii cuiusdam nomine signatum, alterum Ursatii Quorum illud, quia nondum; hoc, quia vitiose vulgatum est, accurate est descriptum, servatis omnibus et litterarum figuris et barbarismis. Ad quae praeterea bene monetur quam longe iam sit deflexum ab antiqua illa et naturali pulchritudinis ratione. Utrumque marmor est Christianorum, incertae quidem aetatis, sed tamen, ut videtur saeculi quinti. Hemmenrodae, in templo monasterii, detecti tres lapides sepulcrales, quorum imagines aeri incisae exhibentur. Primus habet hanc inscriptionem: *Henricus Junior Comes de Spanheim* sine temporis nota. Alter est filio Henrici, Johanni tertio dicatus, cum inscriptione: *obiit illustris dominus Johannes Comes de Spanheim sub anno domini millesimo, trecentesimo, nonagesimo nono, in vigilia sancti Thome apostoli, cuius anima requiescat in pace, amen.* Tertius lapis est Mechtildis, Johanni huic an. 1330. nuptae, cum hoc titulo: *Obiit illustris domna Mechtildis, nata duci: Bavarie, comitissa de Spainheim, sub anno domini millesimo CCCLVII. ipso die beate Katherine virginis, eius anima requiescat in pace. amen.*

Bonnae, in arce electorali, reperta sunt monumenta Romana tria, cum inscriptionibus his:

I.

Quintus PETILIVS Quinti Filius OFFENtina (tribu)
SECVNDVS DOMO MEDIOlanensis
MILES LEGionis XV PRIMIgeniae
ANNorum XXV. STIpendiorum V.
Heres EX Testamento Faciundum Curavit.

A 2 II. Lu-

II.

Lucius PIPERACIVS Lucii Filius
STELLatina (tribu) OPTATVS
DOMO TAVRINVS MILes LEGionis
XV. PRIMIgeniae ANnorum XXIII.
STIPendiorum IV. Heres EX
Teſtamento Faciundum Curavit.

III.

PINTAIVS PEDILICI Filius
ASTVR TANSMONTANVS
CASTELLO INTERCATIA
SIGNIFER COHortis V
ASTVRVM ANNO XXX STIpendio
VII Heres EX Teſtamento
Faciundum Curavit.

Ultimus tantum horum titulorum ab Aldenbrückio eſt publicatus, ſed vitioſe. Tres ex antiquis lapidibus Aſturum cohortes innotuere. Titulus Bonnenſis quartum iam ſuppeditat. Coloniae quinque ſepulcrales tituli, nondum illi editi, reperti ſunt:

I.

M. LVCILIVS SECV
NDVS DECVRIO
MI. EX ALA FRONT.
DOMO CAMP . . . .
LVCILIAE. M. L. PAL
LADI M. LVCILIO
BLANDO LIB. H. E. T. F. C.

II. E.

II.

L. NASIDIE
NVS. AGRIPP.
TRIBVN.
LEG. XIIII. GEM.

III.

D. M.
POTENTINA SENNI
ANO CONIVGI CEN
TVRIONI LEG. XXII. ET
SERVANDO FILIO
ET MAXIMINE FILIE
F. C.

IV.

DIGNIO
QVARTO
APRONIO
BVBALVS
FRATRI F.

V.

. M. ET B. M. APPIE
VERINE. APPIVS
SEVERVS. ET
VERECVNDINIA
QVIETA. PATRES
FILIE DVLCIS
SIME

Supplet vir doctissimus ab initio litteram D. ut sit *diis manibus et bo ae mem..riae A. V.*

Finem faciunt litterarii itineris lectu illius iucundissimi ipsa diplomata, et latina et vernacula lingua confecta, in quibus multa Imperatorum sunt, Electorumque Palatinorum. Sequitur *Disquisitio de Verbigeno et Tigurino Helvetiae Pagis.* Verbigenorum antiquorum pagus ab omnibus vulgo credita Urbensis regio hodierni pagi Vaudensis, ideoque perperam dictus *Vrbigenus*, cum omnes Codices, et Caesaris Interpres Graecus, habeant *Verbigenus.* Vel ex hoc apparet, quam facilis sit error, quem tamen multi committunt, si ex similitudine antiquorum nominum, quae est cum novis, certi aliquid effici debeat. *Saloduri* reperta est ara, *Genio Verbigeno* posita, anno aerae vulgaris 219. cum inscriptione quae rem dubiam conficit. Inscriptio haec est

GENIO VERBIG
IN HONOREM
DOM DIVIN
ARAM CVM SI
GN SVECCON
DEMECENVS
DE SVO POSVIT
IMP DN ANTON
ET SACERDO
COS

Est itaque Salodurensium pagus, qui Julio Caesari Verbigenus dicitur. Verbigeni, victi a Caesare ad Rhenum rediore, in pristinas sedes. Salodurensis pagus Rhenum attingit, Urbensis a Rheno longe distat.

Heddern-

Heddernhemii, propter Francofurtum, reperti sunt duo Genii, simili uterque imagine, et uterque cum inscriptione. Unius est haec:

IN Honorem Domus Divinae
GENIVM PLATEAE NOVI VI
CI CVM EDICVLA ET ARA
Titus Flavius SANCTINVS MILes LEGionis XXII.
Primigeniae Piae Fidelis IMMunis consularis ET PER
PETVVS ET FELIX FRATRES Cives
Romani ET TAVNENSES EX ORIGI
NE PATRIS Titi FLavii MATERNI VE
TERANI COHortis III. PRAETOriae PIAE
VINDICIS ET AVRELIA AM
MIAS MATER EORVM Civis Romana DeDicarunt.
AGRICOLA ET CLEMENTINO consulibus.

Altera est:

IN Honorem Domus Divinae
GENIO PLATIAE
NOVI VICI AEMI
LIVS BARICIO
tudium SOLLEM

huius ultimnm lineam, evanescentibus inprimis litteris prioris vocis, explicare non est adgressus Cl. *Lameius*, cum caetera erudite explicaverit, observaveritque *Novum, Vicum*, quem utraque inscriptio habet, et qui alias nusquam adhuc sit repertus, collocandum videri inter Praunhemium et Heddernhemium.

Quia ad Nicrum monumenta, quae pace Romani constituere soliti sunt, reperta, colligit inde Cl. Hæsselinus, ad Nicrum usque

usque Romanum imperium pertinuisse, licet ante Saeculum quartum, veterum scriptorum nemo de Nicro quidquam commemoret. Ladenburgi ad Nicrum detecta sunt balnea et columbarium non, nisi in regione pacata, et in loco amoeno, frequenti, et beatiori institui solita. Quo tempore regio illa ad Nicrum Romanorum ita facta sit, ut pace ibi fruerentur, incertum est, faciunt tamen rationes, quas dat Haeffelinus, ut Saeculo secundo, sub Traiano et Antonino id evenisse, vero non videatur dissimile. Adducit sententiae firmandae Spart. Adr. 12, sed ibi non est sermo *de omni huius regionis limite*, sed de omnibus limitibus non satis tutis atque munitis. Neque tamen ideo alia sentire velimus. Ladenburgum esse antiquorum Lupodunum, statuit iam Freherus; sed, iudice Haeffelino, non idoneis satis argumentis probavit, aut probare potuit, nondum repertis his antiquitatis monumentis.

Lupodunum, Francis dicta Luboduna, originis est Celticae, quam ipsum nomen indicat, ut et in caeteris, quae terminantur in *dunum*, quod et situs loci probat. Burgundi terminationem *dunum* in *burgum* mutarunt, ut pro Lobodunum diceretur *Lobodunburgum*, *Lodunburgum*, et inde *Ladenburgum*. Sub Romanis *Lupodunum*, sub Francis *Loboduna*, sub Palatinis *Ladenburgum*, aedificiorum tum publicorum, tum privatorum, splendore floruit. Aliorum sententiae de situ Lupoduni modeste excutiuntur et refelluntur. Ausonii et Ammiani loca, quibus utuntur alii, accurate ita explicantur, ut neuter Haeffelini sententiam destruere, sed firmare sit putandus.

In descriptione pagi Spirensis antiqui, agitur primo de origine nominis, cuius prima mentio in charta Sigeberti regis fit, quae in fine dissertationis, cum aliis diplomatibus, addita est. Quia Pagus Spirensis fuit e maioribus, habuit etiam praefectos Comites, quorum et catalogus confectus est, auctior illo, quem Schoepflinus in Alsat. Illustr. Tom. II. propo-

Primus est *Bavugulgus*, anno Caroli M tertio seu 7-1. Ultimus est Heinricus, sub Henrico IV. Imp. data omni potestate episcopis Spirensibus, per donationem Spirensem II. Idus Jan. anno 1086.

Apponimus etiam summam dissertationis Schoepfliniae de Codice Evangelii S. Marci apud Venetos. Antiqua est opinio, codicem esse Marci ipsius autographum. Recentioribus temporibus Gilberto Burneto cognitu fuit difficile, Graecis an Latinis litteris scriptus esset. Missonus Graecum censet characterem, Montefalconius et Masseus Latinum. Pragae, feruntur particula illius Codicis constans duobus quaternionibus. Fuit quondam Utini, ubi Carolus IV. ut ipse epistola testatur, dono accepit, Pragamque misit. Utino anno 1415. a Venetis subacto, quinquennio post, quod reliquum erat codicis Venetias est translatum. Forma est quadrata, codex membranaceus, utraque pagina scriptus, binis columnis. Litterae semunciales, saeculi fere sexti. Idioma latinum ex versione Hieronymiana, saeculi quarti; ipse codex est mutilus, locoque illatus humido corruptus. Pragense, et Venetum fragmentum, totum faciunt. Et totus Codex Marcianus detractus ex Evangeliario Foro-Juliensis ecclesiae, quod Fontaninus vidit, cum ipsa hac lacuna, in qua evangelium Marci desideratur.

Dissertatio Cl. Crollii, ad quaestionem, *an et qualis fuerit Franciae Ducatus*, tribus absolvitur partibus, quarum prima de eo agit, *an fuerit peculiaris in Germaniae regno Franciae Rhenensis provincia.* Altera tractat *de forma et habitu provinciarum Germaniae Francicarum, maxime Franciae Rhenanae.* Ultima, *de formula Ducatus Franciae Rhenanae.* Longior est illa quidem disputatio, sed quantum longitudine protenditur, tantam in ipsa lectione cepimus voluptatem, cum antiqua nostrae patriae nova luce cognosceremus illustrata, quae dubiae essent fidei confirmata idoneis rationibus, ab aliis perperam et nullis fulta argumentis, pro veris

vendita, reiecta modeste. Ingenue haec, et sine ambitione dicta omnes fatebuntur, qui libellum inspicere haud graventur. Disputat primo breviter Cl. Crollius, *an talis fuerit provincia?* excutitque accurate *Guidonis Ravennatis testimonium*, reiicitque ut non satis validum. Sequitur *Brevior notitia primorum populi Francici fatorum, et divisio populi Francorum in sex tribus.* Separati seiunctique populi, seiunctas fecere civitates, usque ad Carolum M. inde *Franciae antiquae s. Rhenanae Austrasiorum a Francia nova s. Franconia diversitas.* Fuere, qui Hassiam Thuringiae accenserent, alii Franconiae, alii Franciae Rhenanae tribuerent, aut qui etiam inde a Conradi II. regis temporibus proprios dominos habuisse statuerent. Omnes aberrant a vero. Nam, ut egregie docet Crollius, *Hassia, Francorum provincia, a Francia Rhenana et Franconia diversa fuit.* Provinciarum ratio mutata est *in Divisione regni nova inter Ludovici Pii filios.* Inde *Franconiae nomen advenit Franciae orientalis proprium; et eius respectu Rhenana provincia dicta est occidentalis.* Germanis etiam suae fuere *regulae in describendis provinciarum Germaniae finibus.* Constituuntur inde *fines Franciae Rhenanae versus Alemanniam et Sueviam*, item *fines Franciae Rhenanae versus Franconiam;* item *versus Hassiam, Westfaliam, et Ripuariam trans Rhenanam,* et *cis Rhenum versus Lotharii regnum,* tandemque *versus Westrasiam et Alsatiam.* Fuere itaque pagi Franciae Rhenanae: I. in Germania cisrhenana Spirigovia, Wormazfelda, Navensis; II. in Germania transrhenana, inter Rhenum, Segam, et Moenum, Rhingavia inferior, Einrich, Longavia inferior, cum pago Heigere, Vederovia, Niedgovia, Kunigessundra, et pars Moingoviae, a Moeni latere dextro. III. inter Rhenum, Moenum, et Nicrum, et silvam Odonicam, pars Moingoviae, Plumgovia, Bachgovia, Rhenensis superior et Lobodunensis. IV. inter Rhenum, Nicrum, Alemanniam, et Sueviam, pars Lobodunensis, Craichgovia, et pars Neckergoviae a latere fluvii sinistro, Elsenzgovia, Anglachgovia, Salzgovia,

Salzgovia, Pfunzingovia, Albegovia, Ufgovia, Encingovia, utraque Wiringovia, Gleinsgovia, Zabernachgovia, et Gardachgovia. V. trans Nicrum, pagus Murachgowe. Parte altera agitur in principio *de Imperio Francorum tripertito inter* filios Ludov. Pii, doceturque, Reges Germ. fummos Francorum *duces* fuiffe, *Francorum procuratores et praefides, regum vicarios.* Indicatur porro *Formula Franconiae antiquior*, item ftatus provinciae *Hassorum antiquior, fub Conradi fenioris filiis.* Hiftoria Haffiae, ufque ad mortem ducis feditiofi Eberhardi plurimum fatis certa, *poft hunc maximae tenebrae.* Quae poftquam fatis copiofe funt indicata, agitur *de ftatu antiquiori Franciae Rhenanae, eiusque procuratoribus*, inftituiturque *collatio cum ducatu Francorum in Gallia*, et explicatur *ratio provincias regendi a Carolo M. inftituta*, eademque *fub Ludovico Germanico fervata.* Poft Ludovici Germanici mortem, mutata fenfim regni forma, exorti *Camerae nuntii. In Camerae nuntii locum fucceffit dux Francorum*; quorum ortus collocatur in tempora Ludovici pueri. *Eberhardus Francorum dux et marchio 912 — 939.* Poft hunc agitur *de Conrado Wormatienfi duce ceterisque Francorum Principibus: de Ottone Wormatienfi, Francorum duce: de Conrado III. Wormatienfi, duce Francorum et Carinthiae: de Conrado IV. Wormatienfi, duce Francorum, Alfatiae et Corinthiae.* Exftincta ducum Wormatienfium familia, *Reges Franciae Rhenanae heredes, et ducatus Francorum cum regia dignitate coaluit. Ducatus Franciae Rhenanae fub regibus, maxime Henrico IV, imminutus; quodammodo reftitutus in Staufenfibus principibus.* Nam *Fridericus, dux Sueuorum et Francorum, eiusque filii, Franconiae et Rhenanae Franciae heredes* erant. Ultima pars haec habet capita. Agitur initio *generatim de ducibus Germaniae*, quorum *Ducum primariorum poteftas infolentior circumfcripta*, in primis fub Henrico rege, et Ottone I, Ducum poteftas inftitutis Comitibus Palatinis circumfcripta, tamen *Ducum primariorum honores iuraque eximia. Duces Francorum fuere primarii*, eratque *difcrimen ducis Francorum a reliquis populorum ducibus.* Quemadmodum

admodum dux Francorum in rebus bellicis erat summus, ita idem in aula summus *Dapifer*. Idem *Dux Francorum aut eligendus maxime in regem, aut praecipua auctoritate in rege creando praeditus fuit.* Idem *Dux Francorum interrex seu vicarius Imperii*; in provinciis tamen iuris Saxonici, Saxo. *Honore quatuor officiorum aulicorum ipse dux (Francorum) splendebat*: erat *advocatus generalis ecclesiarum maiorum: protector fabrorum ahenariorum per omnem Franciam*. Exercuere *iudicia provincilia*, et fuere *iudicii principum ordinarii praesides, adeoque etiam iudices Caesaris*. Idem dux Francorum fuit *vicarius absentis Caesaris, seu regis, potestatem habens ordinariam de banno investiendo, bannumque viarum publicarum*. Fuit *Procurator fisci regii per Franciam Rhenanam summus*. ——

Atque haec sunt bona istius Voluminis, quae consummatae doctrinae Sociorum Societatis eius, sed et diligentiae non vulgari, debemus. Optandum est, ut pari diligentia pergant Viri eruditissimi, bono rei litterariae, ornare eas litteras, quae ab elegantia nomen habent, et tamen vulgo negliguntur.

IOANNIS GERHARDI, THEOLOGI quondam Jenensis, Locorum Theologicorum TOMVS UNDECIMVS: *denuo edidit, variisque observationibus illustravit et auxit, IO. FRIDERICUS COTTA, Theologus Tubingensis.*

Tubingae, sumtibus Jo. Georgii Cottae, 1772. quaternis.

Vehementer est dolendum, perversam hanc nostros homines sequi rationem, ut contemtui habeant, strenueque

que

que negligant, antiquiorum Theologorum libros. Deserunt enim profecto, abiiciuntque illa arma, quibus iam dudum vera religionis Christianae doctrina, ut constantissime, ita felicissime, a viris cum pietate insignibus, tum omnis eruditionis genere instructissimis, propugnata est atque defensa. Quorum opera, atque indefessus in veritate adstruenda labor, quam gratus nobis sit, satis inde intelligitur, quod capitales eorum libri paucis sunt noti, et a paucioribus etiam leguntur. Cui malo latius in dies serpenti nisi coniunctis et quasi in unum collatis viribus doctores ecclesiae medeantur, prope abest, ut doctrinam nostram novam putemus, quae ante hos triginta aut quinquaginta annos exorta videatur. Enimvero, remedium qui sperare licet, cum eo, ut lenissime dicamus, superbiae progressus sit permagnus doctorum numerus, ut iuvenibus sola fere sua scripta commendent, ad haec sola ablegent, haec sola consulere suadeant, de aliis, inprimis antiquioribus, parum solliciti. Videntur enim tanto plus sapere, si solis sibi doctrinae plenius excussae, illustratae, confirmatae gloriam, quia reliqui tacentur, immo ignorantur, tribuere possint. Et ita fit, ut perniciosa haec consuetudo, quasi per manus tradita, a doctore ad discipulos, consulto, et data velut opera, propagetur. Quam rationem, quomodo defendant, ipsi viderint, qui eius sunt auctores. Nobis quidem satius videtur, reique Christianae utilius, largiter illis uti, quae antiqui Theologi elaborarunt. Non enim id adsequemur tantum, ut singula doctrinae capita gravissimis cognoscamus confirmata argumentis; sed etiam, quae sint adversariorum exceptiones et distinctiones, satis illae plerumque acutae, perspiciamus addiscamusque, manu quasi ducti, qua ratione petitiones adversariorum vitandae, telaque repellenda. Et nemo esse debet, qui Gerhardum nostrum inter paucos principe loco collocare nolit, commendationemque eius, nisi cui plane sit incognitus, nemo postulaverit. At fuit et ipse homo, qui potuit nonnulla omittere, quaedam non satis perspicere, et quae a post futuris pro-

proponerentur, non praevidere. Quae, ubi deesse videbantur, cum summe Ven. Cotta suppleverit, nemo nostrae ecclesiae, opinamur, vere sit amans, quin gratissimo animo hunc laborem accipiat. Eadem ratione editus est hic Tomus, qua caeteri. Continet loci de Ecclesia maximam partem. Permultis ille locus tractatus scriptis et Theologorum Lutheranorum, et ab his dissidentium, largissimam iam b. Gerhardo dederat materiam. Exortis autem post eius obitum, dato quasi signo, pluribus etiam, qui, dum ecclesiae veritatem sibi vindicarent, vel totum hunc locum, vel unam alteramve particulam, studiosius excuterent, in tantam excrevit magnitudinem, ut mole iam sua videatur laborare, et vel de hoc uno loco ampla satis possit colligi bibliotheca. Sufficiebat sane exiguus librorum numerus, nisi Romanae praecipue ecclesiae doctores moderatius, ut doctos et Christianos decebat egregie, se gerere voluissent, et ab eo abstinere, ut, quoscumque doctrina a se dissidentes haereticorum infami nomine notarent. Sed haec sunt alius loci. Notae, quae in nova hac editione, additae sunt partim breviores partim longiores, in iis praesertim locis, ubi aut adversarii novas facere exceptiones, aut locus est adhuc relictus logomachiae. Ex his unam alteramque summatim exhibeamus. In c. VIII. tractatur Quaestio, *an possit ecclesia deficere?* Post ea quae copiose dixit Gerhardus, large satis collectum exhibetur spicilegium, cuius haec est summa. Disputantium de hac quaestione recensentur primo sententiae, additur in fine brevibus ipsius Cl. Cottae iudicium I. *Ecclesiam penitus deficere posse*, statuunt Sociniani, Arminianorumque plerique, quorum principes indicantur, cum Indiculo Theologorum, qui contra hos scripserunt, et Lutheranorum, et Reformatorum. II. Contra statuunt, et ecclesiae *perennitatem* defendunt Pntificii, et quidem suae ecclesiae, hoc confutarunt Lutheranorum et Reformatorum doctissimi. Et illorum et horum, qui primarii sunt, indicantur. III Tertia est sententia media inter utramque, quae statuit, *ecclesiam catholicam*

tholicam quidem, quae eſt univerſitas credentium toto orbe diſperſorum nunquam defeciſſe, aut deficere poſſe, non item de *eccleſiis particularibus*. Hae enim et pauciores fieri poſſunt, et vero etiam augeri: quae eſt ſententia noſtra Lutheranorum, et Scripturae ſacrae conſentiens, et ex omnium ſaeculorum convenientia novum ſemper inviĉtumque robur accipiens. Poſt hanc *brevem* ſententiarum enarrationem, bene monet V. Cl. I. quaeſtionem de *perennitate eccleſiae* dupliciter ſpeĉtari poſſe, ut eccleſia conſideretur ut eſt *viſibilis* de promiſcuo *vocatorum* coetu, ſive, quod melius fuerat, et ſine Hebraiſmo, de omnibus, qui Chriſtianam religionem profitentur: vel, qua eſt *inviſibilis*, qui ſunt vere fideles et credentes. Haec II. in Scriptura Sacra magnificis inſignitur titulis: appellatur *grex* Dei; *ſponſa* domini; *corpus* domini; eccleſia *glorioſa*, ſine maculis et ruga. III. Huic *inviſibili* competit *perpetuitas*: nam adverſus eam portae inferorum non erunt praevaliturae, Matth. 16, 18. Huius eccleſiae *inviſibilis* propriae ſunt promiſſiones de perpetua duratione: tamen IV. notatur, easdem ad *externam univerſalem*, ſeu viſibilem, poſſe certa quadam ratione referri. In *viſibili* enim ineſt *inviſibilis*. Nunquam igitur eccleſia in toto ſuo ſumta complexu ita deficiet, ut nullibi veri ac genuini Chriſti cultores ſuperſint. Verum V. haec eccleſia non poteſt eſſe *particularis*, igitur nec *romana*. Nam promiſſio capitalis Matth. 16, 18. pertinet ad univerſalem. Ubi nihil aliud innuitur, quam quod *confeſſio* illa de Chriſto, quam Petrus edidit *loc. cit. fundamentum* futura ſit eccleſiae *univerſae*. Nam, quod VI. notatur, promiſſiones de perpetuitate eccleſiae *ſub illa demum conditione* faĉtae ſunt, ſi quidem eccleſia in illa de Chriſto confeſſione Petrina per veram fidem immota perſiſtat. VII. Diſtinguendum inter *defeĉtionem* eccleſiae *totalem*, ſeu plenam exſtirpationem nominis Chriſtiani in his terris, et inter *defeĉtionem* eius *ſecundum quid talem*, ut Chriſtiani non amplius conſtituant illuſtrem aliquem

quem coetum omnibus conſpicuum *Prior* negatur *poſterior* adſtruitur. VIII. Monetur, probe attendendum ad diſtinctionem a Gerhardo iam factam, inter *ſplendorem externum* eccleſiae, ſive *civilem*, atque *internum* et *ſpiritualem*. *Ill.* ſubinde poteſt deſtitui, inter vexationes; *hic* pro numero vere credentium iam augetur, iam minuitur. Ex his intelligitur, nihil abſurdi ſtatuere Theologos proteſtantes, quando aiunt, *eccleſiam romanam* a puriori doctrina veraque religione defeciſſe quodque ante tempora Lutheri gravibus corrupta fuerit erroribus. Utut enim latiſſime ea olim patuerit, fuit tamen, eſt, et manet eccleſia quaedam *particularis*, quum praeter illam fuerit *graeca* atque *orientalis*, quae *romanam* ſeu latinam et occidentalem, amplitudine, dignitate, ac celebritate ſi non ſuperavit, ſaltim eandem aequavit. (Imo, ſi verum velimus dicere, quibusdam praeſertim ſaeculis, plurimum ſuperavit.) Haec, quanquam ab aliis centies iam dicta ſunt, iuvat tamen in unum locum congeſta, oculi intuitu quaſi perluſtrare. In Cap. IX. An eccleſia poſſit errare? § 113. n. 3. Gerhardus di it Marcellinum Pont. Rom. immolaſſe idolis: ad quod recte Cel. Cotta obſervat, dubiae fidei, adeoque incertam eſſe hanc narrationem, cum a plerisque et optimis hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus nulla eius fiat mentio. Obſervandum hoc loco duximus, multa in antiquioribus proteſtantium Theologis occurrere, quibus uti non ſatis tuto poſſis; inprimis, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectant. Studio enim critico illis temporibus nondum ſatis exculto, non adcurate ſemper diſtinctum eſt, quae genuina ſint ſcriptorum quorumque, quaeque ſpuria, et falſa auctorum nomina prae ſe ferentia. Quod et eodem loco de Honorio, Pont. Rom. facto monotheleta dixit Gerhardus, idoneo confirmatur exemplo. Nam Leo II, ipſe Pont. Rom. in epiſtola ad Conſtantinum, inter alios haereſeos Monotheletarum rabie infectos, ipſum nominat *Honorium*. Similia ſunt obſervationi, quam iam exhibuimus,

mus, ea, quae ad quaeſtionem *de infallibilitate eccleſiae*, poſt permulta et copioſa Gerhardiana, adiecit Cl. Cotta. Ergo et haec, quanquam longiora, in compendio, ipſis tamen auctoris verbis ſervatis, referemus. Obſervatur itaque I. totam, quae inter diſſentientes agitatur, controverſiam, cum altera illa *de indefectibilitate* eccleſiae, eſſe connexam. Quodſi enim eccleſia, ac ſpeciatim *romana*, nunquam poteſt *deficere*, nec per errores obſcurari, oportet quoque eandem eſſe *infallibilem*. Secus ſe res habet, ſi eccleſia, ac ſpeciatim romana, deficere, errorumque nebulis obſcurari poteſt. II. haec ipſa quaeſtio: *an eccleſia ſit infallibilis, an vero errare poſſit circa fidem?* vexatiſſima eſt, tantique momenti, vt totus papatus hoc praecipue fulcro inniti videatur. Non enim aliam ob cauſam pro tuenda eccleſiae infallibilitate pugnare ſolent Romanenſes, quam vt ſuae eccleſiae ſupremum in rebus fidei iudicium vindicare queant. Vt vero ſtatus quaeſtionis, qui haud raro minus adcurate proponitur, rite formetur, III. notatur, heic non reſpici ad coetum *electorum*, ſeu eccleſiam *inviſibilem*, nec quaeſtionis cardinem in eo verti, an eccleſia iſta *inviſibilis* in fundamento fidei errare queat; ſed, an ita dicenda ſit infallibilis, vt nulli prorſus errori ſit obnoxia? quod negamus. Nec IV. quaeſtio eſt de eccleſia *vocatorum*, e piis et impiis collecta, eaque *univerſali* omnium ſeculorum et locorum. Sed V. de eccleſia tantum *particulari* quaeritur, an haec vel illa dici queat infallibilis? Negant proteſtantes, nullamque adſerunt eccleſiam *particularem* ab errandi periculo eſſe immunem. Contrariam ſententiam propugnant romani doctores, contenduntque, eccleſiam, ſpeciatim *romanam*, infallibilitatis gaudere privilegio. Nec VI. praetermittendum heic eſt, non tam de *eccleſia ſynthetica*, ſeu *collectiva* totius coetus, ex doctoribus et auditoribus conſtante; quam potius de eccleſia *repraeſentativa*, ſeu *doctoribus*, non quidem primis (Apoſtolis,) ſed ſubſequentibus, quaeſtionem inſtitui, et VII. ſermonem hic non eſſe de *doctoribus* coetus alicuius chriſtiani

ni *seorsim* spectatis; sed VIII. de doctoribus istis *coniunctim* sumtis, inque concilio seu synodo ad res fidei diiudicandas ac decidendas congregatis. Ad hosce enim restringit infallibilitatis privilegium Bellarminus libr. II. *de Conciliis*, cap. II. Nec tamen, quod IX. notandum, hocce privilegium episcopis in concilio congregatis *absolute* et simpliciter, sed tum demum competere statuit Bellarminus, si concilia ab ipsis habita, ab ipso pontifice Romano adprobentur, l. c. (Hoc in quem finem dictum sit a Bellarmino, assertatore pontificis, facile adparet, et vix vnus alterve erit ecclesiae romanae episcopus, qui serio haec dixerit). Atque ex his X. intelligitur, fundamentum istius infallibilitatis vel tandem refundi in *solum* episcopum Romanum. Ludunt itaque nomine *ecclesiae*, subque eo intelligunt Romanum praesulem. Nec tamen XI. praesulem Romanum semper et in omnibus casibus infallibilem statuunt, sed hanc infallibilitatem certis circumscribunt limitibus, partim ratione *subiecti*, partim *obiecti*. Ratione *subiecti* spectatur vt doctor *publicus*, et vt *priuatus*, vt *in* et *ex cathedra Petri*, vel *extra cathedram*, sententiam ferens XII. *Ex cathedra* loqui aliis est, cum concilio loqui, aliis, secundum scripturam et traditionem loqui, aliis loqui re mature ac diligenter examinata. Vulgatissima expositio est, cum circa fidem et bonos mores ecclesiam docet: (allata haec ex *Pinio*, de antiqua ecclesiae disciplina, diss. V. in praeloq.). Quemadmodum vero pontifici infallibilitati papae ratione *subiecti*, seu ipsius praesulis Rom. certos limites ponunt ita et XIII. in *obiecto*, hoc est, in rebus de quibus iudicat, eiusdem infallibilitatem circumscribunt. Distinguunt 1) inter res *philosophicas*, et *res fidei*: in rebus philosophicis errare posse, ast in diiudicandis rebus ad *fidem* pertinentibus ecclesiam prorsus esse infallibilem. Distinguunt 2) inter res ad *disciplinam* pertinentes, et res *fidei*. In *illis* ecclesiam errare posse, unanimis fere est pontificiorum consensus; quod ad res *fidei* seu doctrinae attinet, in iis pontificem infallibilem esse plerique

que

que ſtatuunt: ſed addunt 3) non res omnes fidei, ſed eas duntaxat, quae ut *res fidei* proponuntur, infallibiliter definiri a praeſule Romano. 4) Adhibent diſtinctionem *facti* et *iuris*. In quaeſtionibus *iuris* infallibilitatis gaudere privilegio; aſt in determinandis quaeſtionibus *facti* omnino errare poſſe. XIV. Societatis Jeſu theologi ulterius progreſſi ſunt, infallibilitatem etiam ad quaeſtiones *facti* extendentes. *(Sine dubio iam aliter ſentient Ex-Jeſuitae.)* XV. Nunquam defuerunt in ipſa eccleſia Romana viri doctiſſimi, qui auctoritatem iſtam pontificis Rom. falli neſciam penitus negarent, et acriter impugnarent. Cumprimis theologi Galli, eccleſiae ſuae libertatem defendendo. Eminet inter illos *Launoius*, *Richerius*, *Petrus de Marca*, *Steph. Baluzius*, *Anton. Arnaldus*, *Maimburgius*, *Natalis Alexander*, *Queſnellius*, *Boſſuetus*. Non defuerunt tamen XV. qui eccleſiae ſuae libertatem, ſtudio, quo in praefectum Romanum feruntur, poſtponentes, eum non ſolum ſuper omnia concilia eveherent, ſed et extra omne erroris periculum poſitum ſibi aliisque perſuadere conarentur. Inter illos eminent *Perronius*, *Andreas du Val*, *Labbeus*, *Matthaeus Petitdierius*. XVII. Ex hac controverſia nata eſt diſtinctio *monarchicos* inter et *hierarchicos*. *Priores* praefecto Romano, infallibilem abſolutamque in ipſa concilia poteſtatem, vindicare ſunt adniſi. *Poſteriores* auctoritatem ſupremam non pontifici, ſed concilio generali legitime congregato tribuendam eſſe cenſuerunt. XVIII Concors proteſtantium de hoc argumento ſententia huc redit: 1) eccleſiam *inviſibilem* atque *univerſalem* utcunque poſſit dici infallibilis *obiective*, quatenus normam habet prorſus infallibilem, verbum nimirum divinis litteris conſignatum, quo in rebus ad fidem pertinentibus dirigitur; itemque *ſubiective*, quatenus nunquam exitialiter errare poteſt in rebus ad fundamentum fidei pertinentibus, ita ut plane exiſtere deſinat. 2) Nullam viſibilem ac *particularem* eccleſiam, multo minus *Romanam*, ſive ſpectetur *collective*, ſive *repraeſentative* in capite et epiſcopis ſuis, vel *ſeorſim* ſingulis, vel omnibus *coniunctim* in con-

cilio congregatis, eſſe infallibilem; ſed exitialiter errare poſſe, tam in fide, quam in moribus, tam in quaeſtionibus *iuris*, quam *facti*, adeoque privilegium ἀναμαρτησίας nulli eccleſiae vel perſonae, nedum praeſuli Romano, a Servatore conceſſum fuiſſe, vel in hunc uſque diem competere. XIX. Argumentis Gerhardianis adiungitur aliud deſumtum *ab incertitudine iſtius dogmatis* inter ipſos pontificios. Nondum enim conſentiunt de ſede et ſubiecto iſtius infallibilitatis. Quae ſane inconſtantia magnum cauſſae non ſatis bonae eſt indicium. XX. Commemorantur Lutheranorum Reformatorumque Theologorum praecipui, qui in enodanda hac controverſia elaborarunt: item Pontificii, qui hanc infallibilitatem Pontifici vindicare conati ſunt. Plures huius generis factae ſunt additiones, a quibus tamen abſtinendum iam eſt, ne nimis longi in deſcribendo videamur.

ANIMADVERSIONUM HISTORICARUM et philologico-criticarum ad Philonis Legationem ad Caium: Specimen Secundum.

Auctore

M. IO. CHRIST. GOTTLEBER,
illuſtris Afranei Rectore.

Satis ſuperque Philoni fidem hiſtoricam, in ſuperiori proluſione, aſſeruiſſe nobis videmur: age, nunc iudicium noſtrum, de libelli huius virtutibus, atque vitiis, interponamus. Primo quidem accuratiſſime ingenium moresque Caii exprimit; aſſentatorum, quibus aures patefecit, artes curioſe prodit; et ſingularia quaedam, quae ad illuſtrandum imperium Caii plurimum valent, habet, quaeque Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores vel non, vel ſtrictim breviterque, litteris conſignarunt. Lacunae itaque, rerum a Caio geſtarum memoriae,

moriae, ex hoc Philonis libro, egregie expleri possunt. Viderat Philo atque convenerat Caium: et, quod facere solent, qui sapienter in re, periculorum plena, versari cupiunt, ut, quod sibi prodesse putent, diligenter ex hominibus gravibus et honestis sciscitentur et percunctentur, ne ulla in re offendant; hoc scite fecerat et intelligenter. Quo in negotio plura audire solemus, quam quaerimus, et inde alia quoque scrutamur, quae nobis utilia atque necessaria ad cognoscendum videantur. Quae caussa esse videtur, ut tanta varietas rerum sit in hoc brevi commentario, quae auctorem, antiquitatibus, cum sacris, tum profanis, doctum, et in lectione scriptorum graecorum praestantissimorum versatissimum, prodant. Non mirandum itaque, Iudaeum scribendi elegantia caeteris sui temporis scriptoribus praestitisse. Etsi septuagenario maior hanc commentationem scripsisse videtur: ea tamen ornatu et copia ita se commendat, ut, si genus dicendi, aut orationis colorem spectes, eam exarasse putes adolescentem. Non modo autem graece doctissimus fuit, sed et hebraicae linguae iustam habuit cognitionem. Fuerunt quidem, qui eum expertem harum litterarum autumarent, nec minus parum peritum et intelligentem in antiquitatibus sacris; veluti Scaliger et Grotius, principes alias in hoc litterarum genere: sed valde vereor, ne hi viri doctissimi, suum iudicium, hac quidem in re, praecipitarint*. Etenim, si Philo aliquod nomen interpretatur hebraicum, et etymologiae rationem non habet, non statim colligendum est, eum huius linguae rudem fuisse; ut scite iam iudicavit Fabricius (Bibl. Gr. L. VII, 4.) Veluti si in principio Legationis, contra Mosis auctoritatem, interpretatur nomen

 Ἰσραήλ,

* Legi meretur super hac re *Thalemanni*, Viri doctiss. elegantissima Commentatio, de Philonis et Iosephi auctoritate in Historia rituum sacr. p. 135. s. adiecta Tr. de nube super arca Foederis.

Ἰσραὴλ, tanquam sit ὁρῶν θεόν: habere videntur huius sententiae adversarii, quo secus sentientes confutasse plane sibi videantur. Et sane, si memor fuisset loci illius notissimi, qui exstat Genes. XXXII, 28. ubi ratio nominis explicatur, ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ; illud non sic convertere poterat. Etenim ne tironi quidem ignotum est, τὸ Ἰσραὴλ originem trahere a שרה et אל. Sed inde tamen nolim Philoni obiicere hebraei sermonis inscitiam, hoc modo perpugnaci difficilique in concedendo dem, eum paullo subtiliori, et grammatica linguae sanctae cognitione, quae ea tempestate non esse poterat talis ac nostra, caruisse. Forte et Philo hactenus excusari potest, quod allegoricae interpretandi rationi deditus, plura quam debuit in verbis formisque loquendi invenit. Loco laudato quidem, contra quosdam popularium, qui dubitaverant Deum curam hominum gerere, disputat, eosque ex nomine Israelis, quod gerant, quodque significet aliquem qui videat Deum, notat: inde eos virtutis incitamenta, et momenta voluntatis, potuisse desumere. Elicere itaque videtur ex hoc nomine, Israelitas, evectos ad tantum dignitatis gradum, ut Deum videant, intelligere potuisse, quid eos vellet Deus, et quam sollicitus esset de eorum salute. Adiuvare videtur Philonem aliquo modo Moses ipse, qui in sequentibus, (v. 30. cap. c.) ita: καὶ ἐκάλεσεν Ἰακὼβ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου· εἶδος θεοῦ. Εἶδον γὰρ θεόν. Quodsi non absona a vero videtur sententia, τῶν ό, in convertendis V. T. libris, usos esse exemplis graecis litteris scriptis, non hebraicis, (qui mos scribendorum codicum hebraicorum postea mansisse videtur: facile induci potuit Philo, ut putaret, τὸ Ἰσραὴλ compositum esse ex איש, ראה, et אל. Origenes quidem, in Commentario in Ioannem, (pag. 72.) hanc interpretationem secutus est, ut mittam alios: igitur hic quoque hebraice indoctus erit? Non defendo plane hanc Philonis oscitantiam negligentiamque; facile enim accuratius poterat verbum interpretari: ex hac tamen verbi notatione falsa, evinci posse eius inscitiam linguae hebrai-

cae,

cae, id pernego. Nolo hic repetere, quae Illuſtris *Michaelis*, et cum eo Venerandus *Thalemannus*, pro Philone, ad hanc doctrinae partem ei vindicandam, eruditiſſime diſputaverunt *: hoc modo pace lectorum addam, me, quod mihi ſimilia, ſuper hac re, in mentem venerint, maximo opere laetari. Parum caute et ſubtiliter iudicare quoque videntur qui uno alteroque exemplo prolato eius ſcientiam antiquitatum Judaicarum labefactant. Hanc iniuriam Philoni feciſſe videtur Mangeus, cum ad eum locum, quo ter quaterve, Pontifici magno, feſto expiationis die, niſi vitae ſuae periculo, ingredi adytum licitum fuiſſe negavit, adnotaret: „neſcio, annon Philo aliqualem rituum Judaicorum „inſcitiam prodat; neque enim fieri potuit, ut Sacerdos „ſummus, non tribus vicibus in ſanctuarium, magno ieiunii „die, ingrederetur. Caerimoniae expiationis non niſi ter„no ingreſſu peragebantur, isque luculenter deſcribitur „Levit. XVI, 12. 14. 15. item Ep. ad Hebr. IX, 7" Sed, ut ſequar Mangeum, non inclinat animus. Melius enim cognoverit hanc rem Philo neceſſe eſt, antiquiſſimo Sacerdotum genere ortus, et divina humanaque ſapientia praeditus, quam reliqui inter Judaeos antiquitatum ſcriptores, et ſcientia inferiores, et a temporibus Philonis, quibus haec res certiſſime ab ipſis ſacerdotibus cognoſci poterat, remotiores. Demonſtrari igitur, ex hoc Philonis loco, poteſt, Principem ſacerdotum, bis tantum ingreſſum eſſe adytum; quod nec adverſatur Moſi (Lev. XVI, 3.) nec rei a Pontifice, peragendae **. Dubitationes contra Philonem movit, Deylingius, ὁ μακαρίτης, qui cum Grotio, aliam de hac re protulit ſententiam, (in Obſ. ſ. P. II. p. 186.) Jam e lectione Philonis facile conſtat, eum non modo in antiquitatibus ritibusque explicandis accuratum, diligentemque veri-

* In libello ſupra iam laudato, p. 140. ſ.

** Praeclare auctoritatem Philonis et in hac re tuitus eſt Vener. *Thalemannus*, lib. cod. 161. ſ.

veritatis fuiſſe, ſed et mira doctrinae varietate et elegantia inſtructum. Ad quaenam litterarum ſtudia animus in primis fuerit propenſus, attento lectori non poteſt eſſe obſcurum Sectatur ubique libenter graecas litteras, nullamque facile oſtentandae eruditionis occaſionem praetermittit. Unde animum, inter legendum, ſubiit aliquoties cogitatio, eſſe a perſona Judaei, ſeveriori ac ſanctiori diſciplina imbuti, alienum, ut τὸ φιλόλογον nimium iactet, maioremque, in primis graecae litteraturae, quam religio ferre poſſit, amorem prodat, et ita ſuperſtitioni plus iuſto tribuat. Hoc me in viro, caeteroquin bono et praeſtanti, non iniuria animadvertere, et res ipſa docet, et auctoritas quoque Photii comprobat, qui in Bibliotheca ſua, laudata dicendi vi, et pulchritudine huius libelli, ſubiungit: (p. 150.) ἁμαρτάνει δὲ ἐν πολλοῖς — καὶ ἀλλάττα τῆς Ιυδαϊκῆς φιλοσοφίας ἀλλότρια συγγραφόμενος. Reprehendit hic merito Philonem, quod quaedam a Theologia, ſiue religione Judaeorum abhorrentia, libro huic inſeruerit Haec enim eſt φιλοσοφία ιυδαϊκή, quo ſenſu capitur apud Philonem, veluti (p 1014.) ὅτε — — τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν; et apud Joſephum paſſim, ut obſervavit ſcite S. Vener. *Erneſti*, in proluſ. de philoſ. populari, (p. 159. opuſc orat.) Quae res, quam obſervavimus in Philone, ut melius intelligatur ab iis, qui operae pretium ducunt eam cognoſcere, aliquot exempla addemus. Quum foeditatem Alexandrinorum civium deſcribit qui, ut dirutis proſeuchis plurimis ſatisfacerent impudentiae Caii, in earum celeberrima eius imaginem ſtatuerant; redarguit Alexandrinam plebem, quid ſit, cur, quum neque Tiberio, ſapientiſſimo eruditiſſimoque principi, qui, quoad imperii clavum tenuerit, nullum ſemen belli, ne minimum quidem, reliquerit, neque Auguſto, qui humanam naturam omni virtutum genere excellerit, eiusmodi divinos honores decreverint, huic tamen monſtro tribuerint? Si cui novi atque eximii honores fuerint decernendi, certe Auguſtum iis adificendum ornandumque fuiſſe, non ſolum Auguſtae familiae

familiae auctorem, deque humano genere meritissimum, sed et quod ei luci, porticus, fana, et templa, a subiectis imperio Romano gentibus, (πᾶσαν οἰκουμένην vocat,) constituta essent. Horum templorum nullum magnificentius fuisse, quam Sebastion, quod summis laudibus celebrat. Conveniebatne Philoni, viro legibus divinis imbuto, ut personam mancipii Tiberiani *, aut Augustei, quasi gereret? ut probare videretur divinos honores Augusto decretos? Notandum in transcursu, Mangeum parum subtiliter hoc loco castigare Philonem, (p. 568.) quod Augustum se deum appellari, vel Dominum, nunquam sustinuisse dixerit; Suetonium enim Tacitumque diversa tradere (in Aug. 52: 53. Tac. Ann. I, 10.) Sed Mangeus cogitare debebat, Philonem hactenus Suetonio, qui recepisse Augustum divinos honores dicit, non repugnare: non enim Suetonius contendit eum se appellari passum esse deum: quae, nisi fallor, valde inter se differunt. Honores enim, quibus heroes affecti fuerant, poterat Augustus, pro institutis religionis romanae, recipere, quod et Philo tradit; et tamen dei Dominique nomen renuere. (cf. Acta Erud. ad a. cIɔIɔccxLv. p 401.) Male Philo quoque fabulam, de Gorgonis capite, accommodat Judaeis, Petronio supplicantibus: „Audivi„mus, aiunt, priscam fabulam, Gorgoneo capiti tantam vim „fuisse, ut, hoc viso, homines confestim verterentur in „saxa." — Num haec dicant severioris disciplinae ac sanctioris religionis homines, abominantes Graecorum fabulas? Sunt et alia huiusmodi, ut me non poeniteat huius senten-

* v. c. p. 1012. „quis fuit per id temporis prudentior aut disertior? quis rex, aut imperator, felicius consenuit? Et tamen Tiberius compescuit ritus Judaicos? Quamquam Seiano mala Judaeorum tribuit, v. c. orat. adv. Flacc. init. et p. 115. non laudare tamen Tiberium, qui auctor eorum fuerat, debebat.

ſententiae: ſed modum tenebo. De genere quidem dicendi; declamatorio, plus iuſto, duci delectarique videtur. Huc referendam putem orationem Judaeorum, coram Petronio, Syriae praeſide, habitam: (p. 1025.) item epiſtolam illam ſupplicem Agrippae, regis, quam pro popularibus ſuis Caio tradidit, et quae haud dubie ab ipſo Philone conficta eſt. Continet et illa quaedam, Agrippae perſona indigna; ut nihil de orationis forma dicam, quae in nonnullis fere Sophiſtae magis, quam regi, convenire videtur. Ex quibus diſputatis apparet, Philonem quidem, a nimio ſtudio elegantiae, atque omnino eruditionis oſtentandae, abreptum eſſe, ut perſonis, quas loquentes fecit, ſubinde tribueret, quae nec tempori, nec loco ſatis convenire viderentur: attamen, in tradendis rebus, in facto poſitis, fide digniſſimum eſſe. Non ideo fidem abrogamus Dionyſio Halicarnaſſeo, nec Livio, nec aliis, qui in hiſtoria ſcribenda, orationis munditiem, copiam ornatumque ſectati ſunt: ſi rerum explicatores primam hiſtoriae legem, veri ſtudium, obſervant, varii et copioſi, ſalva fide, eſſe poſſunt, iisque, ſi argutos et circumſcriptos ambitus ament, veniam damus. Supra iam diximus, ut ad propoſitum redeamus, Philonem quaedam, in hac hiſtoriae parte, tradere magis explicate, quam Suetonium, Tacitum, Dionem et Joſephum. Huc pertinet narratio de Silani ac Macronis moribus, de eorum fortuna, quam aliquamdiu proſperam, deinde autem adverſam experti ſunt. Silanus quidem, neceſſitudine arctiſſima coniunctus fuit cum Caio; eius enim filiam, Iuniam Claudillam, Tacitus (VI, 20) Claudiam vocat, nomine non expreſſo ὑποκοριστικῶς, duxerat uxorem. Mores huius Silani, viri nobiliſſimi, Philo exprimit praeclare, ut et indoles Caii prava, atque lenta, et cauſſa cur eum ad necem compulerit, melius poſſint intelligi. Generatus ab origine ultima, nobiliſſimaque romanae ſtirpis, ut praeter Philonem, Suetonius, (c. 12.) et Tacitus, (L. III, A. 24.) confirmant, a Tiberio iam maxime cultus obſervatusque fuit: in gravis-

gravissimis enim caussis non ipse tulit sententiam, sed eius arbitrio totam rem commisit. (v. Dion LIX, p. 741. Stephan.) Consul fuit, A. V. C. DCCLXXII. cum L. Norbano, quum Germanicus proficisceretur Aegyptum, antiquitatis cognoscendae; ut tradit Tacitus (L. II. A. 59.) Illa aetas tribuebat ei primas eloquentiae, qua, super insignem nobilitatem, praecellebat; cum qua laude quoque fortem et excelsum animum coniungebat. * Quoad Claudilla filia, vixit, Caius fuisse dicitur institutis soceri, consiliisque, dicto audiens: qua extincta vero, ex partu, non, ut vult Dio, (LIX, p. 741.) repudiata, saevam in dies naturam magis magisque prodidit. Cum Silanus Proconsul, Africam obtineret, hanc Provinciam ei abstulit, quod eum metueret. (Tac. Hist. IV, 48.) Sed cum omnem curam cogitationemque dirigeret bonus ac prudens vir, ad mores eius corrigendos, odium erga eum sensim sensimque inveteravit et corroboratum est. Tanta credebat auctoritate socer apud generum esse, ut sibi monitori non asper esset: sed spes eum destituit. Nulla enim ei pietas, inerat adeo omnem humanitatis exuerat sensum, ut nemini parceret, sed quos cupiditatibus suis obstare putaret, e medio tolleret. Quod fatum expertus quoque est Silanus, quem dolo peremit. Qua in re videtur a Philone discrepare Suetonius (c. 23.) qui auctor est, Silanum ad necem, secandasque novacula fauces, esse compulsum: a quo Dio non dissentit, qui illum, virtutis affinitatisque caussa, ad voluntariam necem adactum fuisse scripsit. Comparat Suetonium cum Philone venerabilis *Ernesti*, (ad l. c.) illumque huic consentientem reddit. Forte τῷ δολοφονεῖ Philon. (p. 1001.) significat, Silanum

 veneno,

* Philo (p. 1000.) de eo: *μεϛὸς φρονήματος ἀνήρ*. Sic φρόνημα capitur apud Dionys. Hal. p. 274. et L. XI, 728. Dion. Cass. L. XLVI, 362. Plut. Thes. p. m. 4. Anacr. p. 5. cf. Steph. 119. Fisch.

veneno, cibis vel vino indito, interceptum esse. Hoc genus mortis mihi ideo videtur verisimile, quod magis convenit verbo, quo usus est Philo hac in re; deinde, quod Caius videtur sibi temperasse eo tempore a caede tam impia, qualem Suetonius describit, ne ingenium truculentum, quod tam diu suppresserat, in necando socero, viro forti ac iusto, citius quam vellet iudiciis liberis emergeret. Eandem infamiae notam sibi inussit caede Macronis praefecti praetorio, cuius consiliis obsequi, eique, ob meritorum magnitudinem, gratiam referre debuisset. Eo enim non modo usus fuerat imperii adiutore, postquam rerum potitus erat, sed et in ipso imperio parando amicum habuerat. Quum Caius Tiberio, ob mores asperos, invisus esset, adeo ut illum indignum orbis terrarum imperio iudicaret, hic Macro omnem ei ademit suspicionem. Praeviderat callidus atque perspicacissimus in ingeniis noscitandis senex, Caium, infensum Claudiae familiae, interfecturum Tiberium, patruelem. Sed Macro laudabat contra ea ingenium Caii, modestum et verecundum. (v. Legat. p. 997.) Fovebat itaque, ut dictis fidem faceret, gratiam Caii Caesaris in dies, adeo ut post Claudiae mortem Enniam uxorem impelleret, Caium inlicere amore, pactoque matrimonii vincire; nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. Quam etiam facile, suffultus tali viro, cuius opes essent maximae, impetravit. Macro autem tam valde dicitur prosecutus Caesarem, ut, cum Charicles ei firmasset labi spiritum Tiberii, nec ultra biduum duraturum, rediissetque tamen ei vox ac visus, moribundum oppresserit senem, iniectu multae vestis: ita Tacitus (VI, 50.) et fere Suetonius. (c. XII. in Caio.) Dio quidem, et cum eo Tacitus, (VI A. 45.) Macronem, conscium probri, cuius Caius compertus erat, fuisse dicunt; (L. LVIII.) sed Philo, illum huius adulterii, quo Ennia fidem datam laeserat, ignarum fuisse, eumque blanditias uxoris ab amore vero profectas, putasse, tradit. Instigabat nempe Ennia quotidie maritum, ut Caium amplecteretur; quod

quod illle ſic interpretabatur, ut, in Caii gloria augenda amplificandaque, ſuam tueretur ornaretque dignitatem. Quae narratio Philonis mihi longe probabilior videtur, quam Taciti Dionisque ratio. Macro interim nihil prius antiquiusve habuit, quam ut ſtultum atque ferocem Caii animum omni modo refrenaret. Sed Caius, pertaeſus mox huius monitoris fidem, quem praeceptorem ſupervacuum nominare ſolebat; quod innata ſibi principalis virtutis ſemina male ſibi perſuadebat; eum, cum uxore Ennia, quam perdite amaverat, ad mortem voluntariam compulit. Tam fatales exitus habuere Macro et Ennia. Ambitioſiſſimus ille homo, qui, ut gloriae ſitim reſtingueret, omnia alia ſusque deque habebat, adeoque probrum domeſticum flocci pendebat; tandem vidit, nihil miſerius eſſe, et in vita, et in morte, quam ſervire cupiditatibus tyranni, qui praeter hominis formam, nihil humani habet, inprimis cum ſe metui maluerit quam diligi. Odium enim eius validum fuiſſe dicitur ad exitia. (Tac. VI. 29.) Aula interim ſubſidiis deſolata atque deſerta, et Macrone oppreſſo, animum deinde Caius ad ſcelera et audaciam ſummam convertit. Adorandum enim ſe, ex eo inde tempore, adeuntibus exhibuit, ut auctor eſt Philo. (Legat. p. 1002.) Etſi haec inſania ſatis nota eſt, e Suetonio, Tacito, Joſepho, et Dione; nullus tamen, praeter Philonem, ſcriptor, quod equidem ſciam, commemoravit, quid cauſſae habuerit ut ſe ſalutari paſſus ſit Jovem aut coli Deum. Philo igitur Caium, in tantam temeritatem et dementiam, qua ſe non amplius intra humanae naturae terminos continuit, ſed divinos honores ſibi arrogavit, incidiſſe dicit, quod inter ſuam et paſtorum, opilionum, caprariorum, et bubulcorum conditionem, ſimilitudinem quandam intercedere crederet. Quemadmodum gregum magiſtri, omnibus modis ſint praeſtantiores bobus, capris, et arietibus: ſic Caium ſe putaſſe principem, humani generis gregi praefectum, hominibus ſibi ſubiectis maiorem eſſe, adeoque humanam naturam excedere, et ita

D 3 refe-

referendum in deorum numerum. Tam eleganter et ſcite Caius ratiocinatus dicitur: et profecto hic ſermo humani generis monſtro dignus eſt. Suetonius quidem narrat, (c. 22.) eum, divinae maieſtatis ſibi aſſerendae occaſionem, a regum, Agrippae et Antiochi Commageni, concertatione de nobilitate generis, eo tempore orta, quo officii cauſſa in urbem adveniſſent, captaſſe: ſed Philoniana ratio, ingenio Caii magis accommodata eſt, et paullo altius repetita. Caius autem, ſecundum Philonem, (p. 1003.) qui hanc inconſideratiſſimam et dementiſſimam temeritatem diligenter explicat, per gradus quaſi, ad hanc conſecrationem impiam, aſcendit. Primo ſemideos, veluti Bacchum, Herculem, Caſtorem, Pollucem (Διοσκούρους,) Trophonium, Amphiaraum, Amphilochum, aliosque, cultu habituque aemulatus eſt: deinde, hiſtrionum more, varie cultus fuit, nunc clava, nunc leonis exuviis indutus: quam ſtultitiam et poſtea imitatus eſt Commodus, qui, ut Lampridius in eius vita (c. IX.) commemorat, accepit in Herculis habitu ſtatuas, quarum una, excedens quaſi humanam ſtaturam, hodie in horto Pontificis, Belvedere dicto adhuc ſpectatur *. Capiti quoque interdum pileum impoſuit, quo referret Caſtores. Antiquitas enim pilea, Caſtori et Polluci, Laconibus, qui pugnare pileati ſolebant, tribuit. Unde et iis hoc ornatu, utpote Laconibus, ſtatuae poſitae. Intelligitur facile, cur fratres pileati dicantur, apud Catullum, XXXV, 2. Fabulae partem, quae tradit, Pollucem immortalitatem communicaſſe cum Caſtore, pulchre quoque Philo accommodavit ad Caium: Caſtores ſe, fraterna caritate, amaſſe: hunc vero fratrem, Tiberium, interfeciſſe: et tamen ſimulaſſe hunc tam concordes fratres? Nonnunquam hedera thyrſoque, item hinnuleorum exuvio, repraeſentavit Liberum. Eo ſtultitiae, quin inſaniae proceſſit, ut, quo faſtus eo magis riſum

* vid. Sandrart. Admiranda ſtatuariae, pag. 70.

risum romanis moveret, more Protei Homerici *, diversas formas indueret, et ita corpus in varias formas transfiguraret. Sed non modo se aequavit heroibus aut semideiis; sed maiestatem deorum maiorum gentium, veluti Apollinis, Martis et Mercurii, sibi arrogavit: unde se praebuit conspiciendum caduceo, talaribus, et chlamyde ornatum; nunc, radiata corona, caput redimitum, arcum sagittasque sinistra tenentem, dextraque porrigentem Gratias: nunc thorace indutum. Pluribus inde insaniam Caii demonstrat Philo: haec gestamina simulacris horum deorum, ad significandas utilitates, humano generi exhibitas, esse addita: Caium vero, pestem humani generis capitalem, iis abusum, et aliis nocuisse. Patet ex hoc loco elegantissimo, Philonem, eruditioni, h. e. graecis latinisque litteris, plurimum attendisse; copiose enim deorum inventa et opera explicat, quod ei, si temeritatem Caii verbis augere vellet, necessario faciendum fuit. Videtur mihi et hic, in quibusdam, Platonem ante oculos habuisse, ut in multis aliis: veluti, cum rationem reddit, cur Mercurio talaria alligentur, dictum vult τὸν Ερμῆ, Mercurium, quod sit Ἑρμηνεὺς τῶν θεῶν. Ita Plato, in Cratylo (p. 56. Bas. 2.) ὁ Ἑρμῆς, καὶ τὸ Ἑρμηνέα εἶναι. Cum Apollinis inventa recenset, secundum Platonem, (p. 55.) τὴν μυσικὴν, μαντικὴν, ἰατρικὴν, et τοξικὴν in eo laudat. Caeterum, cum toto hoc Philonis loco conferri potest Suetonius, (c. 52. in Cai. coll. cum c. 22.) qui negat, Caium, vestitu, calceatuque, et caetero habitu virili, aut humano usum esse: „plerumque, ait, aurea barba, fulmen tenens ac fuscinam aut „caduceum, deorum insignia, atque etiam Veneris cultu con„spectus est.“ cf. Dion. Cass. L. LIX. 759. 60. s.

Corollarii loco, discutiam observationem Mangei, quam (p. 578.) loco, ubi de ἱεροπομποῖς sermo est, adiecit. Mittam hic, Mangeum malle, pro ἱεροπομποῖς legi πρεσπομποῖς, sine caussa idonea; cum idem nomen, in tr. de Monarchia (p. 822)

* Od. Δ. 385.

(p. 822) occurrat: hoc modo monebo, ἱεροπομπὰς non eosdem esse atque eos, qui vocantur a Matthaeo (c. XVII, 24) οἱ τὸν κῆνσον λαμβάνοντες, ut sibi persuasit Mangeus. Ἱεροπομπὰς legatos fuisse, alias ἀποστόλους dictos, qui pecuniam sacram, sive aurum Judaicum, quod e Ciceronis oratione pro Flacco satis notum est, colligerent, tralatitium est, (v. Parreidtii diss. elegantem, de auro Judaico, §. VIII. s.) Sed οἱ τὸν κῆνσον λαμβάνοντες mihi quidem valde videntur ab iis differre. Laudat Mangeus Grotii auctoritatem ad Matthaei l. c. qui ad verba: οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, notavit: „non publicanos romanorum, (nusquam enim inter tributa Romana didrachmum inveniri,) sed ἀποστόλους, seu ἀποδοχέας intelligendos esse. Ita quoque veterum nonnulli ceperunt, ut docuit Calovius, Bibl. ill. N. T. (p. 340.) sed audiendi ii mihi videntur, qui in l. c. potius de tributo, Principi Romano solvendo, sermonem esse dicunt. Nemo dubitat, τὸ δίδραχμον de pecunia illa sacra capi: hoc vel e Josepho (L. XVIII. f 2.) satis perspicuum: sed non sequi mihi videtur, hoc semper de auro illo Judaico accipiendum esse. Apud Matthaeum quidem contexta Mangeum alia docere potuissent. Jesus enim quaerit, a quibusnam accipiunt reges vectigalia censumve? τὸ δίδραχμον itaque referendum ad illum κῆνσον, sive tributum, Imperatori Romano pendendum, non ad aurum templi usibus collectum, cf. Matth. XXII, 17. Apparet itaque, duos denarios Caesari solutos esse. Beza ad l. c. Matthaei p. 80. vacillans, cui sententiae subscriberet, tandem δίδραχμον de tributo accipiendum putavit, ut ex Addendis et Emendandis, ad calcem T. II. adiectis, intellexi. Ita quoque magnus ille Scaliger, ut didici ex Animadvers. in N. T. Bezae, quas H. L. Schurzfleischius, publicae luci exposuit, item Calovius (B. I. N. T. p. 340.) In Schoetgeniano N. T. Lexico, τὸ δίδραχμον, ad rationem Grotianam explicatur; sed, ut ex dictis perspicuum videtur, parum accurate.

INSTITU-

INSTITUTIONES LOGICAE, QUAS IN USUM Auditorum Philoſophiae elucubravit P. NICOLAUS BURKHAEUSER, *Societatis Jeſu, Philoſophiae in Univerſitate Wirceburgenſi Profeſſor publicus et ordinarius.*

Wirceburgi, ſumtibus Tobiae Goebhardt, 1771. p. 330. in 8. maiori.

Primam partem Auctor in tres ſectiones dividit, quia totidem ſunt cognitionum humanarum genera, quibus veritas convenire poteſt.

In Sect. I. primum, praemiſſis nonnullis rationibus et principiis ontologicis, naturam variaque genera idearum explicat, tunc vocabula recenſet, quae idearum ſigna ſunt; et denique exponit, quid ad idearum veritatem requiratur. In Sect. II. explicat inprimis naturam iudicii et propoſitionis, variaque iſtius genera. Tum varios variarum propoſitionum ſenſus hermenevtice exponit: unde dein colligit, quid ad ſingularem veritatem requiratur. Denique ea adfert quae potiſſimum de veritate propoſitionum inter ſe invicem comparatarum, maxime oppoſitarum, notanda ſunt. In Sect. III. loquitur de natura diverſisque generibus et principiis ratiocinii: et deinde, quid ad cuiusvis ratiocinii veritatem requiratur, demonſtrat.

Secundam partem ſimiliter in tres Sectiones tribuit. In Sect. I. explicatis notionibus veritatis, rationis, criterii, dubii, probabilitatis, certitudinis, evidentiae, aliisque affinibus, praemiſſisque nonnullis principiis pſychologicis de facultatibus cognoſcendi criteria ſufficientia veritatis, ſeu principia certitudinis, quibus verum a falſo diſcerni debet, exponit, addit etiam principia probabilitatis. In Sect. II. expli-

cat inprimis naturam et regulas definitionis, divisionis, demonstrationis et methodi, quae veluti instrumenta quaedam inveniendae veritatis sunt. Tum ostendit vias, quibus a veritate deflectitur, causas nimirum ignorantiae et errorum. Denique praescribit regulas de lectione librorum, observatione, experientia, et meditatione philosophica, quae quasi viae sunt, quibus ad veritatem pervenitur. In Sect. III. regulae de ratione docendi, scribendi, et disputandi traduntur.

Praecipuam attentionem laudemque in hoc libro mereri videntur Sectio tertia partis primae de ratiocinio, et Sectio prima partis secundae de veritate discernenda. In pertractandis iis, quae ad ratiocinium pertinent, Auctor singularem quandam viam, alias haud satis tritam, iniit, ut ea, quae in argumento tanti momenti confusa adhuc aut ambigua fuerant, quam explicatissime dilucidaret, omnesque ratiocinii leges ad paucissima vereque gemina principia revocaret. Confusio, quae hac in re apud plerosque reperitur, oritur potissimum ex mala divisione ratiocinii. Ergo, postquam naturam ratiocinii et argumentationis distincte explicavit, istam ita in diversa sua genera tribuit: Quaelibet argumentatio duabus partibus constat, consequente et antecedente; ex gemino hoc capite omnem illius divisionem repetit. Nimirum ratione consequentis argumentatio alia est affirmativa, alia negativa; et ratione antecedentis alia est syllogismus, alia simplex conclusio, quam vulgo immediatam consequentiam vocant; quamvis etiam haec absolute ad syllogismum revocari possit. Porro syllogismum dividit ratione nexus, qui inter antecedens et consequens intercedit, in perfectum et imperfectum, et hunc in hypotheticum et disiunctivum: ratione formae in apertum et crypticum: ratione praemissarum in oratorium, quem epicherema vocant, et dialecticum; itemque in integrum et mutilum, qui enthymema vocatur: et denique ratione totius ratiocinii, in simplicem, compositum, et multiplicem, seu polysyllogismum,

mum, cuius ſpecies quasdam etiam Soritem et Dilemma eſſe, perſpicue oſtendit. De inductione, exemplo, et apologo, nihil dixit: haec enim loci rhetorici ſunt, ſeu certa genera argumentorum, non vero peculiares ſpecies argumentationis vel ratiocinii

Ejusdem, Inſtitutiones metaphyſicae, in uſum Auditorum. Pars I. de Ente, ſiue Ontologia. Pars II. de Anima ſeu Pſychologia. Pars. III. de Deo, ſeu Theologia naturalis Bamb. et Wirceburgi, 1774. 3 Vol. in 8.

DE ONTOLOGIA.

Ontologiam in tres ſectiones A. diviſit, in quarum prima *de natura entis generatim*, in ſecunda *de diuerſis entium generibus*, in tertia *de nexu entium*, diſſeritur.

Sectio I. quatuor capita complectitur: I. de entis notione et poſſibilitate; II. de eſſentia, attributis, modis, et relationibus entis; III. de unitate, veritate, bonitate, et perfectione entis; IV. de exiſtentia, locatione, et duratione entis; ubi ſimul natura ſpatii, loci, et temporis, ad mentem Leibnitzii explicatur.

Sectio II. quinque complectitur capita: I. de ſubſtantia et accidente; II. de ente ſimplici et compoſito; III. de ente extenſo et inextenſo, ubi ſimul de continuo diſputatur; IV. de ente neceſſario et contingente; V. de ente finito et infinito.

Sectio III. in duo capita diviſa eſt: I. de principiis, et cauſſis; II. de mundo, et natura; ubi quoque ſub finem de ordine dicitur.

Ubique notiones non illae ſolum, quae in titulis capitum indicantur, ſed et affines aliae quamplurimae, omnnio accuratis, et, quoad fieri poteſt diſtinctis definitionibus explicantur; quaeſtiones difficiles alioquin et intricatae ſubtili-

 ter

ter iuxta ac ſolide expediuntur, plurimaque ſtabiliuntur principia, quae plurimarum aliarum veritatum fundamenta ſunt, ampliſſimosque in caeteris diſciplinis omnibus uſus habent. Praecipue tamen notari merentur ea, quae in Sect. I. Cap. II. de eſſentia, et in Cap. III. de identitate et ſimilitudine, atque in Sect. II. Cap. III. de Continuo ſcripſit.

Nimirum in Sect. I. Cap. II. perſpicue oſtendit, omnia entia ſingularia, etiam illa, quae eiusdem ſpeciei ſunt, inter ſe eſſentia, tum phyſica, tum metaphyſica, differre. Et deinde in Cap. II. demonſtrat, omnia quae diſtincta ſunt, etiam diverſa, et quidem omni ex parte diverſa eſſe, adeo ut diſtincta quaevis entia ſingularia non ſolis relationibus externis loci, aut temporis, ſed vero quodam diſcrimine interno, et quidem omnibus omnino notis internis, inter ſe differant. Hinc dein, ſtabilito Leibnitiano *principio indiſcernibilium*, concludit, fieri non poſſe, ut unquam individua diſtincta ſolo numero differant, aut ita perfecte ſimilia ſint, ut eorum qualitates nullo prorſus diſcrimine interno differant. Sed deinde tam perfectam convenientiam qualitatum ad veram perfectamque ſimilitudinem requiri haud poſſe oſtendit, adeoque tandem demonſtrat, quamvis nullum ens ab altero ſolo numero differre poſſit, revera tamen poſſe entia individua perfecte ſimilia eſſe. Atque ſic facili ratiocinio diſcrepantes illas ſententias Leibnitii et Neutoni componit, dum oſtendit utrumque verum dixiſſe: illum, dum individua ſolo numero differre poſſe negavit; iſtum, dum entia diſtincta perfecte ſimilia eſſe poſſe affirmavit: ſed utrumque quoque ex vero intuliſſe falſum, illum, dum ex ſua illa ſententia concluſit, non poſſe entia perfecte ſimilia eſſe; iſtum, dum ex ſua ſententia intulit, poſſe individua ſolo numero differre.

Ad locum illum de Continuo quod attinet, Boſcovichius continuum mathematicum probe diſtinguit a phyſico, illudque re ipſa exiſtere poſſe negavit, propterea quod entia ſimplicia,

plicia, e quibus unum quodque continuum componi necesse est, mathematice seu immediate, sese contingere nequeant. Sic vero uno nomine continui mathematici duo genera continui, quorum notiones prorsus diversas habemus, confunduntur. Dividit proinde continuum A. in continuum *mathematicum*, *mechanicum*, et *physicum*. Mathematicum dicit illud, cuius partes ita coniunctae sunt, ut cuiusvis finis simul initium alterius sit, fere uti in proportione continua quivis terminus consequens rationis prioris, simul etiam antecedens rationis sequentis est. Continuum mechanicum vocat, cuius partes inter se implicatae, aut vere (immediate et mathematice) contiguae sunt: physicum denique cum Boscovichio dicit illud, cuius partes iudicio sensuum contiguae aut mutuo implicatae, re ipsa autem nec contiguae, nec implicatae sunt. Atque his praemissis, deinde ostendit A. nec continuum mathematicum, nec continuum mechanicum, cuius partes mathematice sese contingant, sed physicum duntaxat, et mechanicum, cuius partes implicatae sunt, re ipsa effici et existere posse.

DE PSYCHOLOGIA.

Psychologiam in tres dividit Sectiones. Prima complectitur *Psychologiam*, ut ill. Wolfius vocavit, *empyricam*: in ea enim explicantur quae *de operationibus et facultatibus animae humanae* per experientiam comperta sunt.

Dividitur illa rursus in quinque capita. Cap. I. agit A. de sensibus et sensionibus: ubi potissimum, praemissis quibusdam principiis physicis, de natura et qualitatibus sensilibus corporum, deque structura organica corporis humani, leges sensionum nostrarum externarum accurate et distincte explicat, et denique etiam ostendit, quemadmodum nos nostramque existentiam per sensiones cognoscamus. In Cap. II. disquirit in naturam, leges, et effectus attentionis, reflexionis, et abstractionis. In Cap. III. praemissis principiis de

ſomno et vigilia, fuſe et diſtincte explicat proprietates, actus, leges, et phaenomena phantaſiae et memoriae. In Cap. IV. proponit notiones et functiones intellectus, rationis, iudicii, ingenii &c.; ubi quoque ea, quae de expectatione caſuum ſimilium potiſſimum notanda ſunt, exponit; et denique etiam facultatem cognoſcendi ſuperiorem ab inferiore diſtinguit. In Cap. V. praemiſſis principiis de bono et malo, voluptate et taedio, explicat inprimis indolem diverſosque actus appetitus, iſtorumque leges generales. Tum dividit appetitum in ſuperiorem et inferiorem, breviterque, quae de utriusque pugna notanda ſunt, profert. Explicat deinde indolem proprıosque actus voluntatis, naturamque ſpontaneitatis, coactionis, neceſſitatis, et libertatis. Expoſitis dein legibus et rationibus, quas in volendo et eligendo ſequimur, libertatem voluntatis humanae aſſerit, argumentaque contraria refellit. Et denique etiam notiones variaque genera affectuum et habituum exponit.

In Sectione ſecunda, quae *Pſychologiam rationalem* complectitur, *de natura animae humanae* diſputat. In Cap I. docet, quid anima humana ſit. Nimirum, refutatis materialiſtarum commentis, de natura noſtrarum perceptionum et appetitionnm, demonſtrat, animam humanam eſſe ſubſtantiam ſimplicem et immaterialem, veriſſimumque ſpiritum. In Cap. II. diſſerit de commercio animae cum corpore. Diſtincte prius explicatis eius phaenomenis, diverſisque de eo ſyſtematibus, oſtendit inprimis, tum actus voluntatis, tum perceptiones cogitationesque omnes, eſſe veras actiones animae: ideas a perceptionibus ipſis re ipſa non eſſe diſtinctas, adeoque illas etiam ab anima ipſa effici, nullasque nobis eſſe innatas. Tum oſtendit ex ordine, quemadmodum anima diverſas ideas acquirat: quid ad illas conferant mutationes in organis ſenſuum factae; et qua denuum ratione mens ideas priſtinas conſeruet, et deinceps imaginatione refingat. Demonſtrat deinde, motus corporis voluntarios

vere

vere ab anima dependere, quin vere ab ea effici: atque sic paulatim, et per partes, systema causarum occasionalium, et systema harmoniae praestabilitae refellit, atque systema influxus physici stabilit; sed ita, ut animam quidem in corpus influere demonstret, corporis vero influxum in animam prorsus incertum esse ostendat. In Cap. III. disputat de essentia, ortu, et immortalitate animae humanae. Docet inprimis, quaenam facultates ad essentiam animae pertineant. Deinde ostendit, animam nonnisi per creationem consequi existentiam posse: ubi simul diversa systemata, et praeexistentia, exponuntur, et reiiciuntur. Denique per partes pluresque propositiones demonstrat, A. animam humanam natura sua immortalem esse, itaque a Deo conservari, ut perpetuo et existat et vivat.

In Sectione tertia de anima bestiarum differit. Dividit illam in duo capita. In Cap. I. demonstrat, bestias vera facultate cognoscendi, sensu, phantasia, memoria, appetitu item, et spontaneitate, qua ipsae se ad varios motus corporis determinent, praeditas esse, intellectu vero et ratione carere: quibus praemissis, denique concludit eas non esse machinas, sed animalia vere animata. In Cap. II. explicat naturam animae bestiarum, atque ostendit, bestiarum animas esse substantias simplices, immateriales, et incorruptibiles. Addit deinde, commercium animae cum corpore, et alia, quae huc pertinent, simili fere modo in bestiis, atque in hominibus, explicari debere: et denique etiam opinionem suam de naturalibus instinctibus bestiarum in medium profert.

Quodsi omnia, quae in hoc libro singula i attentione digna esse videntur, excerpere vellemus, satis magna pars libri describenda foret.

Praecipue tamen commemorandum videtur doctiss. Auctoris systema, *de imaginatione et phantasia.* Ostendit enim,

enim, imaginationes nostras plurimum a dispositione cerebri, et hanc similiter plurimum ab illis pendere; neque tamen propterea imaginationes nostras universe a pristinis speciebus, seu, ut vocant, ideis materialibus in cerebro instauratis dependere. Hinc colligit, ex sensionibus nostris species quasdam rerum in anima ipsa relinqui, quarum dein ope pristinas ideas rerum refingamus, unde illas *species phantasticas* vocat, et praeterea mentem nostram phantasmatum, seu idearum instauratarum vigorem et claritatem, voluntaria intentione fibrarum cerebri, qua in isto ideae materiales phantasmatis respondentes denuo producantur, augere solere; hancque esse causam, cur dispositio cerebri tantopere ab imaginationibus nostris pendeat. Tantum in Cap. III. Sect. I. In Capite dein III. Sect II. n. 371. verosimiliter asserit, species illas phantasticas ex sensionibus in anima relictas nihil esse nisi obscuras cognitiones rerum sensibus perceptarum, unde sequitur, imaginationem seu instaurationem pristinarum idearum nihil esse nisi singularem attentionem, qua mens ideis per sensus acquisitis, et deinceps obscuratis, novam denuo claritatem conciliat. Sic certe multa obscura et intricata, in quibus enodandis multi frustra desudarunt, plane admodum et perspicue explicat, tametsi demonstrare nequeat, quomodo anima illa omnia agat, quae ipsam agere asserit.

Praeterea singulari etiam attentione dignae sunt responsiones, quibus in Cap. V. Sect. I. argumenta Humii et aliorum, contra libertatem humanae voluntatis, et in Cap. I. Sect. II. argumenta materialistarum; item Cap. III. Sect. II. argumenta, quibus immortalitas animae humanae impugnatur, rufutavit.

DE THEOLOGIA NATURALI.

Partem hanc Metaphysicae rursus in tres Sectiones Auctor dividit. In prima demonstrat *existentiam Dei:*

Dei: in ſecunda explicat *naturam Dei*: in tertia diſputat *de operibus Dei.*

Sectio I. continet tria capita. In Cap. I. exiſtentiam Dei argumento metaphyſico longe aliter, quam plerique alii faciunt, multo nimirum ſubtilius ſolidiusque tractato, demonſtrat. In Cap. II. exiſtentiam Dei demonſtrat argumentis popularibus, ex mundi huius fabrica, ex communi populorum conſenſu, et ex actionum noſtrarum honeſtate et inhoneſtate petitis. In utroque capite ſimul etiam argumenta contraria atheorum fuſe et accurate perſequitur, ac refutat. In Cap. III. diſſerit de atheismo et polytheiſmo, ubi potiſſimum inanitatem, pravitatem, ſtoliditatem, foeditatemque atheiſmi, luculenter ob oculos ponit.

Sectio II. in quatuor capita diviſa eſt. In Cap. I. traduntur principia de natura Dei generatim, oſtenditque Auctor, Deum eſſe ens independens, immutabile, ſimplex, incorporeum, immenſum, infinita vi agendi, intellectu et voluntate infinite perfecta praeditum, adeoque ſpiritum infinite perfectum, &c. In Cap. II. intellectum Dei conſiderat, atque exponit, quid, quomodo, et quibus rationibus Deus ſingula cognoſcat: quales facultates cognoſcendi Deo conveniant: qualem ille habeat ſcientiam, et quemadmodum certitudo praeſcientiae divinae cum libertate voluntatis creatae concilietur. In Cap. III. diſſerit de volnntate Dei, et explicat, quaenam divinae voluntatis obiecta et motiva eſſe poſſint: quomodo Deus velit, quae vult: qualem ex cognitione ſui rerumque creatarum voluptatem capiat: quomodo ſe creaturasque rationales amet: ad quem finem tum entia rationalia, tum caetera, totumque aliquem mundum creare poſſit: qualem mundum creare, aut non creare poſſit: quid in mundo, qualis revera noſter eſt, agere debeat: qualem Deus habeat libertatem: quaenam praeterea divinae voluntatis proprietates ſint, et quales denique affectus Deo tribui poſſint. In Cap. IV. diſputat A. de ſapientia, ſanctita-

te, benignitate, iustitia, misericordia, veracitate, et omnipotentia Dei; ubi denique etiam obscura quaedam indicia exponuntur, quae nobis ratio ipsa ad cognoscendum mysterium S. S. Trinitatis suppeditat.

Sectio III. tria complectitur capita. In Cap. I. differitur de creatione mundi, et ostenditur inprimis, totum hunc mundum a Deo ex nihilo procreatum esse in tempore. Tum explicat eius finem, et speciatim finem ad quem nos homines creati sumus, et quae huc pertinent. Deinde A. de perfectione et bonitate huius mundi disputat, et denique demonstrat, eum libere a Deo creatum, adeoque totum contingentem esse. In Cap. II. res creatas omnes a Deo eadem actione, qua primum creatae sunt, perpetuo conservari debere, Deumque ad omnes actiones causarum creatarum physice, atque ad actiones liberas honestas etiam moraliter concurrere, evincitur; ubi simul breviter antiquam illam controversiam de praedeterminatione dirimit. In Cap III. per plures partes distincte demonstrat, mundum, et ea quae in illo eveniunt, nec fortunae subiacere, nec fato, sed gubernari a Deo, summaque providentia administrari.

Nullum in toto hoc libro caput est, in quo non plura loca singulari attentione digna occurrant. Praecipue tamen commendari merentur ea, quae in Cap. III. Sect. II. de voluntate divina, et in Cap. I. Sect. III. de perfectione et bonitate huius mundi, et in Cap. ult. de providentia Dei scripsit doct. Auctor. De divina enim voluntate plurima dedit principia, quae plerumque negliguntur, aut ignorantur, neque apud Theologos ipsos facile reperiuntur; et tamen ad rite intelligendos fines rerum, ad demonstrandum definiendumque ius naturae, atque ad commendandam et defendendam divinam iustitiam, benignitatem, et providentiam, non utilissima modo, sed plane necessaria sunt. Famosam vero controversiam illam, de mundo optimo, ita dirimit, ut perspicue demonstret, eam perperam prorsus fuisse hactenus

ctenus agitatam, atque tum eos qui mundum hunc omnium possibilium optimum esse contenderent, tum qui istud negarunt, et a vero et a scopo aberrasse, eo quod perfectionem mundi cum eius bonitate confuderint, et veram bonitatem mundi, de qua in hac quaestione lis est, non ita ut oportebat definierint. Divinam denique providentiam longe melius, quam plerique alii, vindicat, dum distincte ostendit, Deum revera curam illam rerum creatarum gerere, quae maxime ad providentiam pertinet, nullaque mala facere, aut permittere, nisi uti id summa providentia ipsa postulat.

NOVA LITTERARIA.

Romae nuper lapis effossus est, quem iam possidet Abbas *Julius Cassini*, Eminentissimi Cardinalis Marefoschi Capellanus; istius litterati marmoris Inscriptionem latinam, Abbas *Gäetanus Migliore*, litteris ad *Andream Farinam* datis, interpretari atque illustrare adgressus est. Has litteras, Ephemeridibus litterariis Romanis, a. 1774. Particulae tertiae insertas, inde depromimus, gratiam forte apud Lectores nostros inituri. Est autem Inscriptio haec:

M VLPIVS SYMPHORVS
VIXIT ANNIS XXIIII
MENSIBVS VII DIEBVS XI
M VLPIVS CASTORAS
LIBRARIVS ARABICVS
FECIT LIBERTO
BENEMERENTI QVOD
IS EXPEDITIONIBVS
DVABVS
GALLIAE ET SYRIAE
SECVNDVM FVERAT.

Super hac Inscriptione, ad Amicum Farinam, scripsit *Caietanus Migliore*: Litterati marmoris, de quo quid sentiam exspectas, tanta meo iudicio dignitas est, ut quovis auro compensari non possit. Nam praeter venustos characteres, vel minimis orthographiae labeculis detersis, tum de iis Hadriani gestis nos monet, quorum vix ulla apud veteres mentio. Eius summa, ne diu te morer, huc recidit. M. Ulpius Castoras, Librarius Arabicus, M. Ulpio Symphoro, liberto, sepulchralem titulum ea praesertim gratia ponit, quod is *secum*, (quae postrema vox *(secundum)* fortasse quadratario excidit,) secum, igitur, Hadrianum Aug. in Gallica Syriacaque expeditione fuerat secutus. Et Castoram quidem Traiani libertum fuisse, ab M. Ulpii nomine, ac praenomine, multo clarius est, quam ut millenis exemplis enecem. Symphorum vero, (cognominem habet *Grut.* 638, 4. M. Ulpium Aug. lib. Symphorum,) liberti libertum fuisse, ultro cuique in oculos incurrit: qualis ille apud *Fabr.* VI, XXIII. T. Flavius Cassianus T. Flavii Celadi liberti libertus; aliique quamplures. Id vero Symphoro praestat Castoras, quod novo Librarii Arabici officio Romanorum tabulas augeat. Librarius is erat ex servis, qui Domino libros, aut quidquid aliud, exscriberet. *Cicero*, de litteris ad Atticum scriptis, ait: Lippitudinis meae signum tibi sit librarii manus. Hinc Scribam Librarium, Servum Libertum Librarium, et ἁπλῶς Librarium, sexcenta exhibent marmora, ut ille ab extra porta Trigemina apud *Massium* Mus. Ver. 130, 5. Librarium a manu, (vnde amanuensis,) habet *Murat.* 971, 10. Librarium ad manum *Grut.* 586, 2. Librariam etiam *Gud.* 201, 11. h. e. ancillam, ait *Marcell.* 18, quae Domina dictante perscribebat; et Scriptricem Librariam *Fabr.* III, 545. nisi forte pro SCR legendum sit SER, h. e. Serva Libraria, quam cum *Fabretto* a libra mallem, quam a libris derivare. Forenses ac militares Librarios, qui huc non faciunt, nil moror. At vero singularis prae ceteris est ille *Reinesii* XI, 123 *Doctor Librarius de via sacra*. Reinesius ibi legit structor Librarius. Sed Cl. Scriptor Thec.

Cal.

Cal. p. 250. pro Doctoris lectione mordicus pugnat, et mechanicum fuisse Librorum artificem contendit; eo quod in via sacra uni essent opifices, sive magistri mechanici. Nimirum de officiis ille non abs re ipsa, sed ab loco iudicat, dum, quod lepidius est, Doctores inter artifices amandat. Malim cum Reinesio legere Strictor, ut sit Βιβλιοπηγος, qui membranas compingit, consuit, malleat, conglutinat, ornat, inquit Ulpianus. Nam, quod teretibus, ut ille ait, auribus, mirifice displicet struere libros, meminerit τὸ struere, ut monet *Servius* ad 1. Aen. tantumdem valere, ac ordinare, componere; malo itaque omine ad solos caementarios contrahit. Hinc orationem, consilia, copias, convivia, comam struere; et in Vett. Glossis σύνθεσις est structura. Contra Doctores ad rem gladiatoriam plerumque in saxis pertinere, illa nos docent apud *Fabr.* aliosque: Doctor Lanista, Sagittarius, Thraecum, Secutorum &c. Certe Mannium Stichium glutinatorem refert *Pignorius* de servis, et *Cic.* ad Att. Etiam velim mihi mittas de tuis Librariolis, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris. Librariorum nempe administros existimo glutinatores, pumicatores, malleatores, (at cave in Adriano Sexti Publicii marmore. apud Cl. Scriptorem Thec. Cal. pag. 245. MAL SCRIBA Malleatorem Scribam intelligas,) ornatores, miniculatores, pro sua quosque in perficiendis libris parte. Sed et pro linguarum varietate varios fuisse Librarios, certo certius est. Sic de Graecis *Cic.* ad Fam. 16, 21. Peto a te, ut quam celerrime mihi Librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum enim mihi eripitur operae in exscribendis hypomnematis. Eccur autem sub Traiano potissimum Arabicus se nobis det Librarius, per se quisque facile intelligit. Traiano enim imperante Arabia in Provinciae formam redacta est: scilicet nova cum Arabibus commercia novos etiam Arabici sermonis interpretes ac Librarios requirebant. At vero quae sequitur Expeditionis significatio, non privatum hominem, sed Augustum aliquem eo sub cortice delitescere,

F 3 monet.

Sed cum de Traiano intelligere id omnino nos vetet quod nulla eius apud veteres occurrat in Galliam expeditio; prono velut alveo sequitur, Hadrianum, cui Traianus Imperii lampada ἀμέσως tradidit, nostro sub Epigrammate subsidere; quique in Galliam, ac Syriam, cum imperio non semel profectus est. Ac de Gallia quidem *Spart*. c. 12. Compositis Britanniae rebus, transgressus in Galliam. Hinc ea in Hadriani nummis satis obvia Epigraphe, Galliae restitutor, et Adventui Aug. Galliae; tum et litterata basis Hadriano ab Rhodanicis posita apud *Grut.* prostat 248, 8. In Syriam vero bis cum exercitu Hadrianum commigrasse, scimus; nisi quod de priore expeditione anni ferme Chr. 117. plenae sunt omnium chartae: nam Legatus Syriae, ait *Spart.* litteras adoptionis accepit; mortuoque dein Traiano, praeposito Syriae Caecilio Severo, per Illyricum Romam venit. De altera vero nec *Tillemontius*, *Baroniusve*, nec *Dion*, aut *Xiphilinus*, nec denique *Spartianus* ipse, expresse monet, ut eam historiae partem nobis ad *Pagii* aetatem omnino inviderit aetas. Primus hic numismatum praesidio de ea re nonnihil videre est visus. Nam apud Cl. *Harduinum* Hadriani nummus habet CANATHA, (ea est in Decapolitana Syriae regione,) L. IA. h. e. annus undecimus: alter est ex *Toinardo*, in cuius adversa parte AY. KA. TP. ΑΔΡΙΑΝΟC; in aversa vero ΓΑΖΑ (Phoeniciae urbs) Γ. ΕΠΙ. *Bqp.* h. e. annus III. Supra CXCII. qui ex Gazensium aera in annum Chr. ferme 130. incidit: tertius denique apud *Patinum* pag. 200. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟC ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Ecce autem commode nostra auxilio venit epigraphe, quae de altera hac in Syriam expeditione posthac dubitare non sinit. Ne cui enim aqua haereret, utra fuerit Hadriani

cum

cum M. Ulpio in Syriam expeditio, apposite epigrammatis Scriptor τῷ SYRIAE subdit SECUNDUM, eo scilicet sensu, quo Consul tertium, quartum, ex medio aureae latinitatis sinu accipitur, et apud *Murat.* Aedilis, Decurio, Quinquennalis secundum. Ad haec et temporum rationem habet, ut prius Galliae, dein Syriae expeditionem significet; prior enim Syriaca iam Gallicam praecesserat; non item altera. Plura huc ad rem derivare, fortasse non iniucunda, unius tamen litterulae non patitur ambitus.

Academiae Lugduno Batavae Professores, qui LEGATI STOLPIANI administrationi praesunt, quum praestitutus a Testatore ordo iubeat cum maxime argumentum e *THEOLOGIA NATURALI* petitum ad publicam disquisitionem offerri, decreverunt hanc proponere.

QUAESTIONEM.

„*Exponere, quodnam in adserenda Numinis existentia pretium statui debeat communi generis humani consensui?*“

Rogantur itoque Viri eruditi, quibus volupe fuerit suam in hac materia diligentiam in bonum publicum exercere, velint, quas meditaturi sunt dissertationes, quadraginta ad summum paginas eius formae, quae huc usque in dissertationibus Stolpianis typis excudendis usurpata fuit, complentes, Belgico vel Latino sermone exarare, et ante diem primum Julii anni sequentis 1775. Leidam mittere, *Davidi*

van

van Royen, Botanices Professori, Instituti Stolpiani h. t. Actuario, inscriptas, absque ulla eius impensa huc vehendas: adscripto praeterea Symbolo eas distinguere, et schedulam addere obsignatam, in cuius fronte idem Symbolum, intus vero nomen Auctoris habeatur. Enimvero non nisi illorum, qui hisce se conditionibus adstrinxerint, ratio habebitur, quando die 13. Octob. 1775. ex more a Curatoribus Victor decernetur, cui numisma aureum ducentorum et quinquaginta Florenorum monetae Hollandicae in praemium tribuetur.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXIII.

IOANNIS GERHARDI LOCORUM Theologicorum TOMVS DVODECIMVS. *Denuo edidit, variisque observationibus auxit, IOANNES FRIDERICUS COTTA.*

Tubingae, sumtibus Io. Georgii Cottae, 1774. quaternis.

Complectitur hic Tomus, Loci *de Ecclesia* ultimam partem, et *Vindicias Observationum ad locum Genes.* XIV, 19. oppositas *Francisco Ferdinando Wilio*, ecclesiae Romanae Presbytero, qui in Universitate Friburgo-Brisgoica edidit dissertationem, hoc titulo: *Christus dominus sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, in qua, quae in Supplementis Tomi decimi, *de sacrificio Missae*, dicta fuerant, ad examen vocantur. Auctor Vindiciarum est *Io. Frid. Essigius*. Has sequitur Editoris *Supplementum* ad locum *de Ecclesia*. In fine est prior pars Loci *de Ministerio Ecclesiastico*. Quum in notulis et animadversionibus, quae non multae illae quidem, neque tamen omnino nullae additae sunt, maxime id agatur, ut aut narratio aliqua historica curatius excutiatur, aut plures, recentiorum praesertim, libri indicentur, et id qui-

dem brevibus plerumque, describendi supersedere potuimus labore. In Vindiciis ad Genes. XIV, 18. 19. sic res est tractata, ut prius *Willii* argumenta et exceptiones ponerentur, et deinde ad singula responderetur. *Willius*, quantum potest, contendit, et quasi pro aris et focis digladiatur, ut loco Mosis hunc evincat sensum, *oblationem illam panis et vini sacrificium esse proprie sic dictum.* Molestissimum nobis fuit, eius argutias perlegere, et reverentia, quam Lectori debemus, prohibuit, ne propinandis his argutiis molestiam et ipsi crearemus. Quodsi enim ea interpretandi ratio, qua *Willius* utitur, non sit argutatio, nescire nos fatemur, quo modo sit interpretandum. Nolumus refutationem huius interpretationis transscribere, sed tantum loci Mosaici simplicem et grammaticam, quae prima semper esse debet, sed quam *Willius* non videtur nosse, interpretationem addere, qua cognita, nemo, nisi suis opinionibus vehementer indulgeat, *sacrificium verum*, imo ne levissimum quidem eius vestigium, videre se arbitrabitur. *Et Melchisedech, rex Salem, obtulit* (utamur hoc verbo quia volunt: at cui *obtulit?* certe non Deo; nam de *Deo*, cui sit *oblatus* panis et vinum, ne vestigium quidem adest; et nisi Deo *obtulit*, potestne dici *sacrificium?*) *panem et vinum, qui erat Sacerdos Dei altissimi. Et bene precatus est ei* (Abrahamo) *his verbis: Secundet Abrahamum Deus altissimus, Dominus coeli et terrae. Et celebretur Deus altissimus, qui in potestatem tuam dedit hostes tuos.* Non nisi violentia est, ex his verbis velle extorquere *sacrificium.* Quodsi autem nec de sacrificio in loco Mosaico sermo est, neque, nisi sensui literali et grammatico addere, quae lubet, velis, esse potest: inanis profecto est opera, in refutanda sententia *Willii,* num sacrificium fuerit illud propitiatorium, an eucharisticum. Nam nullum fuit omnino. Jactat porro, et fere triumphat, quod Patrum ecclesiasticorum multi hunc locum de sacrificio explicaverint; quasi in explicanda loci sententia, quae litteralis est et esse

esse debet, cuiusquam valeat auctoritas. Et ad haec satis est responsum, aeque multis Patrum testimoniis in contrarium allatis.

Supplementum Editoris ad locum de Ecclesia, satis illud copiosum, tribus distinctum est Observationibus: quarum in *prima* tractatur de Ecclesiae tum generatim spectatae, tum speciatim christianae, natura atque indole, variisque eius speciebus. In hac tractatione, omnia ecclesiae nomina et significationes, accurate, at, ut videtur, ita interdum exponuntur, ut brevitatis maior potuerit haberi ratio. Subiectis, textui quasi, notis, et illis copiosis, ex historia ecclesiastica, doctorumque virorum ad hanc rem pertinentibus scriptis, illustrantur ea, quae in textu breviter erant dicta. In his tamen notis, quamquam eruditis, quaedam, quae minutiora sunt, omissa mallemus. Nemo, exempli caussa, in tali libro, et nostris temporibus, optet discere, unde dicti sint *Arminiani.* At sunt haec pauca, et facile illi condonanda, qui studio omnia colligendi abductus, et quaedam adferat, quae, si absint, nemo desideret. *Altera Observatio* excutit quaestionem, an cognitio ecclesiae praecedere debeat cognitionem fidei christianae? an vero ipsius doctrinae christianae examen prius sit instituendum, quam ad cognitionem ecclesiae verae perveniri queat? sive *de via auctoritatis ecclesiae,* et *via examinis doctrinae.* Afferuntur primo ea, quae ad historiam huius quaestionis pertinent, Pontificiis pro *auctoritatis via* certantibus, nostris Theologis et hanc sententiam impugnantibus, aliamque *de via examinis* defendentibus: *primo,* quia haec sententia de *via examinis* consentit praxi Christi et Apostolorum, et Scripturae sacrae; *deinde* quia convenit principiis rationis, et ipsi rei naturae. *Tandem* quia firmatur consensu antiquissimorum doctorum ecclesiae, et graecae et latinae.

Neminem poenitebit, hoc caput diligentius cognovisse. Congesta enim in unum locum videbit omnia, quae

ſummi inter Pontificios Theologi, pro ſua ſententia confirmanda, infamandaque noſtra, tum aliqua veri ſpecie ducti, tum aperte cavillandi ſtudio abrepti, elaboraverunt; et contra, qua via Theologi Proteſtantes tela illa, partim vi, partim aſtute intentata, evitaverunt. *Tertia obſervatio* eſt de ſucceſſione epiſcopali, ſpeciatim ea, quae in Eccleſia Anglicana adhuc viget. Et haec obſervatio habet permulta, quibus lecturo vehementer eſt commendabilis. Brevibus agitur de epiſcoporum electione, de iis qui eligerent; et quomodo per vices in hac re facta ſit mutatio. Sequitur deinde de *ordinatione* tractatio, in qua primum agitur de iis qui *ordinarunt*, ſecundo de *Ordinandis*, tertio de *forma*, quae huius caerimoniae *eſſentiam* conſtituit. Magna hic eſt copia ſcriptorum, etiam Gallorum, qui ordinationem Anglicanam impugnant, ut illegitimam, neque ſatis validum, item Anglorum omnia haec amolientium. Dignum ſane eſt Theologo erudito, non ignorare hanc ſummis viribus inter ſummos viros agitatam controverſiam; et gratiae ſunt habendae Rev. Cottae, quod, quae huc pertinent, tam diligenter et ſtudioſe conquiſivit, praeſertim quod librorum Anglicanorum non ubivis terrarum ſuppetat copia, et quod plerique ſcripti ſint lingua vernacula, quam pauci callent. Unum tamen non poſſumus praetermittere, quin moneamus. Multa viſi ſumus obſervaſſe in Novellis Juſtiniani, et utroque Codice, quae ad hanc de ordinatione epiſcoporum, antiquiorum inprimis, quaeſtionem utiliter poſſint adhiberi. Non ingratum eſſet, opinamur, et haec pluribus locis diſperſa in hoc loco congeſta ſimul cognoſcere, praeſertim ob Theologos, quorum perpauci hos libros noverunt, pauciores etiam legerunt. Adiuncta eſt huic tomo prior pars Loci de *Miniſterio Eccleſiaſtico*. Ad quem quum nihil notarum ab Editore acceſſit, non habuimus quod moneremus. In univerſum, Viri venerabilis labor, circa Gerhardi Locos theologicos occupatus, dici non poteſt quantum proſit Operi univerſo, quod, etſi paucis legitur noſtris temporibus, tamen legi prae caeteris meretur ab omnibus.

DISSER-

DISSERTATIONES MATHEMATICAE, et Physicae, quas Societati regiae Scientiarum Goettingensi annis LVI — LXVI. exhibuit ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER.

Altenburgi, 1771. ex officina Richteriana, form. maj. plagg. 22. Tabb. aen. 6. in 4.

Quantum labor et studium huius Viri excellentis reipublicae litterariae prosit, neminem, nisi ignarum artium, fugit. Quia itaque industria iamiam laudata iterum nobis opus doctrinae altioris offert librum haud contemnendum, sed plurimi aestimandum, non alienum profecto est, his Actis recensionem eius inserere.

Operi ipsi praemittit auctor admonitionem ad lectores, in qua institutum eiusque causas affert, quae eum moverint ut publicaret ea, quae a Societate probata essent; ad haec praefationem adiecit catalogum dissertationum earumque argumentorum, unde etiam ordo mathematicus intelligitur, nempe ut lector primis plagulis reperiat primo intuitu quae sint expectanda. Sunt autem quatuordecim dissertationes, ut ipse nuncupat, ex quibus non solum Mathematicus et Physicus cognoscitur, sed etiam Orator, imo criticus acerrimus.

Prima harum dissertationum inscribitur: *Demonstratio theorematis Newtoniani, de relatione inter coefficientes aequationis et summas potentiarum radicum.* Pertinet a pagina prima usque ad octavam. Quantum theoremati deest, tam egregia deficiente demonstratione, tantum commodi nascitur nobis ex industria ill. Auctoris, praesertim cum demonstret, in mathematicis huius generis valere inductionem incompletam, etamsi a Logicis parum probetur. Tota demonstratio

continet quatuor propoſitiones, et calculum bene inſtitutum, quem longum et alienum eſſet hoc loco proponere.

Hanc diſſertationem ſequitur altera, quae agit *de multiplicatione imaginum ope duorum ſpeculorum*, (ſubauditur, ut diſtinctius fiat, planorum.) praelect. in Soc. R. Sc. G. d. 9. Jul. 1757.

Incipit a pag. 9. et patet uſque ad pag. 22. Quia auctor ipſe contentorum ſynopſin praemittit, eam hic deſcribimus. Primo exponitur quaeſtio §. 4. 5. 7. dein principium ſolutionis: §. 8. 9. ſunt duo caſus: §. 14. 15. numerus imaginum caſus primi et ſecundi. §. 17. locus imaginum. §. 18. Series illarum duae. §. 19. 20. Numerus illarum in ſecunda. §. 22. quaeritur, quomodo diſtinguantur ſeries? §. 26. quaeſtio eſt ubi ſit cuiusvis ſeriei ultima? §. 28. 29. Demonſtratur neque duas eiusdem ſeriei, neque alterius, poſſe coire. §. 30. quae poſſint coire. §. 31. Summa imaginum utriusque ſeriei §. 32. 33. Quot ſint imagines ſi angulus ſpeculorum ſit pars aliquota quatuor rectorum, quaeritur? Deinde §. 34. quando hoc caſu, numerus imaginum, mutato obiecti inter ſpecula ſitu, mutetur aut non? §. 35. quando eodem caſu coeant ultimae? §. 36. quando ſector circuli integrum circulum exhibeat. §. 37. Exempla caſus, de quo dictum eſt in tabulas coniecta. §. 39. Lineae, in quae ſitu eſt imago ultima poſitus ad ſpecula. §. 40. De pluribus ſpeculis. §. 41. De alia ſolutione. §. 42 — 53. De loco oculi imagines omnes viſuri.

Ex hac diſſertatione fines inter Phyſicam et Mathematicam facile intelligent, qui de diſcrimine eſſe certiores cupiunt. Itemque hoc loco apparet, quantum praevaleat phyſicus in matheſi verſatus, illi, qui more circumforaneorum effecta tantum docet, cauſas vero, ac leges cauſarum, earumque connexionem, non attingit. Denique patet, quanto

profe-

profectus faciamus, cum, ubi alii desierunt, incipere ibi nobis tuto licet.

Dissertatio III. agit *De minimo in reflexione a curvis.* prael. d. 22. Apr. 1758. pertinet a pag. 22 — 27. Primo locum communem tractat A. Deum et naturam nihil frustra facere, huiusque axiomatis originem. Deinde docet, exempla prolata indubia esse, quae ad hanc regulam comparata sunt; quamquam hoc theoremate usus est Leibnitius, idque ad refractiones transtulit: quam applicationem Smith, magnus Geometra, in Leibnitio reprehendit, cuius nunc censuram ac reprehensionem ill. auctor examinare instituit. Hoc autem hunc in modum facit, ut more mathematicorum per definitionem distinctam ideam de minimo et maximo eruat, itemque errorem Smithii investiget, ac doceat, quantitatem non posse simul maximam et minimam esse, quod tamen ex Demonstratione Smithii sequatur. Antequam vero auctor ad calculum progreditur, recte ait, se ad Leibnitii partes non studio aut fervore accedere; quamquam aequum sit, favere viro eadem urbe nato, et tali. Dein propositionibus IV. totam rem demonstratione universali, erudite, et ingenio suo convenienter, evincit.

Dissertatio IV. patet a pag. 27 — 35. Agit autem *de separatione indeterminatorum, in aequationibus differentialibus homogeneis*, prael. 2. Dec. 1758. Non plura de hac dissertatione afferri possunt, cum praecipua pars calculo prolixiori absolvatur.

Dissertatio V. argumentum est *de vera infiniti notione.* prael. d. 8. Maii 1759. inde a pag. 35 — 38. Initium capit auctor a necessitate comparationis inter veteres et recentiores, quoad ideam τȣ infiniti. Hac occasione docet, Cartesium maluisse potius verbum τȣ indefiniti introducere, quod voci illi non satis fideret. Hic etiam commemorat ill. Auctor fabulam Fontenellii Milesiam, et quid iis

iis accidat, qui graviora ut nugas tractari posse putant. Secundo definitiones de infinite magno et infinite parvo, tum vulgares, tum etiam accuratiores affert. Exempli loco geometricam progressionem continuam, cum crescentem, tum decrescentem, adhibet. Deinde etiam triangulo rectangulo, cuius angulus unus sit 30 graduum, pro illustratione utitur, respectu lateris angulo 30 graduum oppositi, qui semper sit dimidium hypothenusae. Pergit in exemplo illustrationis causa, quod petit ex sublimiori Geometria sic: ut abscissa parabolae possit quemvis numerum superare, eiusque autem quadratum numeri superet ordinata. In sequentibus suadet, id, quod commodum, aut usu receptum sit, retinere; quod tamen a multis notio infiniti neglecta sit, eo magis tenenda esse propter sequentia, sicut in differentialium calculo non negliguntur parva aut minima. Infine, contentionum fundamentum demonstrat tantum in ambiguitate verborum latere, quod affectionem quantitatis pro ipsa quantitate accipiunt plerique.

Pag. 38. incipit Dissertatio VI. sic inscripta: *ad theoriam cochleae pertinens observatio geometrica*, prael. d. 6. Oct. 1759. Hac occasione intelligitur, verum esse Poetae illud: plus esse in uno saepe, quam in turba, boni. Contemplanti enim cochleam auctori occurrit linea, quae helix appellatur, cuius definitionem geneticam proponit, itemque praeparationem ad calculum, quem hic non applicare nefas habet auctor. Instituit itaque eum hunc in modum, ut totam rem tribus propositionibus, earumque Scholiis corollariisque perficiat.

Dissertatio VII. sequitur, cuius inscriptio est haec: *Gnomica universalis analytica*, prael. d. 13. Febr. 1762. Incipit pag. 42. et finitur pag. 59. Illustri auctori animus fuit, Societati regiae methodum universalem delineandi in planis horologia solaria exhibere formulis analyticis, quibus calculorum trigonometricorum leges continentur,

nentur; hoc ex initio constat. Sese deinde excusat, quod rem tritam proponere possit videri; commemorat duos libros cognitu dignos, quorum tamen auctores non reprehendit, quia illorum aetate formulae analyticae non usui fuere, quas ipse ad problemata sphaerica translatas, laudat et sequitur. Habent enim hoc praecipuum, ut quantitatum positivarum et negativarum proprietates diiudicent.

Dissertationis VIII. proprium argumentum est hoc: *Eorum, quae lacrimis vitreis accidunt, nova quadam ratione explicandorum tentamen*, d. 7. Aug. 1762. prael. Quamquam quae lacrimis Batavis accidunt, vel leviter in physicis versatis notissima sunt; tamen non supervacuum credidit auctor, in investigandis caussis industriam collocare. Videtur autem Vir ill. a sententiis veterum dissentire, non quidem contradicendi studio, ut ipse fatetur, sed studio physices. Pro hypothesi sumit auctor involucrum ut superficiem, interiores vero partes pro massa accipit, et quidem elasticis staminibus; quae hypothesis maximam speciem habet. Deinde elasticitatem massae, eiusque fissuras, ex genesi guttarum docet, atque aptissimo exemplo illustrat. Quae de constructione interna exposuit, experimento quodam naturae convenienti, sed propter difficultates paucissimis noto, confirmat. Eandem esse conditionem Phialarum Bononiensium putat; quod recte omnino se habere facile concedi potest, quia unumquodque vas vitreum, nisi in officina vitrea (*im Glühe-Ofen*) sensim sensimque refrigescat, id evidenter docet. In fine dissertationis aliquid historicum addit quod ipsum ex usu operarum in officinis, et staminibus massae, optime intelligi posse putamus.

A pag. 62. est Dissertatio IX. cuius contentum est *Quaestio, quot sphaerae aequales circa datam mediam poni possint,*

ut omnes illam, et circumpositarum sibi vicinae, se mutuo tangant, prael. d. 4. Dec. 1762. Problema ex elementis, quot possint circuli circa datum circulum ita poni, ut se invicem, et omnes medium tangant, auctorem eo deduxisse videtur, ut simile quidpiam de sphaeris quaereret, cuius mentionem unum Keplerum fecisse notat, ipse et ad systema planetarium explicandum magnum usum afferre putat; quod tamen pro coniectura habet, et quidem eo iure, quo maiores nostri astronomiae studiosi coniecturas fecerunt. Deinde locum Kepleri laudat, et illustrat. Tunc adgreditur ipsam quaestionem, eamque sibi proprio modo investigat, et hunc in modum ad calculum suum venit; ubi primum de areis triangulorum sphaericorum universaliter agit, duoque problemata addit, quorum primum ipsam quaestionem continet, alterum est, definire magnitudinem cuiuslibet sphaerae ex circumpositis datis.

Dissertatio X. inde a pag. 75. usque ad p. 79. agit *de inertia Corporum*, prael. d. 5. M. 1763. Prima sectione differit auctor de enuntiationibus, quae in doctrina de motu proponuntur, et statum corporis denotant. Leges, quas corpora observant, inertiae cuidam tribui cognitum est; quia vero partim alii rem obscuriorem iudicarunt, alii autem male explicarunt, aliquid lucis disquisitione hac sua rei adfundere auctor voluit. Sectione secunda indicat duplici modo probari posse inertiam corporibus inesse, tum sensu, tum ratiocinio. Deinde contendit, inertiam esse commune attributum ideae corporis cuiusvis, et quod ex sensu tantum nascatur. Inde concludit, genus in Definitione esse τὸ phaenomenon; unde autem materiae insit inertia, id explicari posse negat: potius posse naturam lucis et simplicem radium explicari, ait, existimatque, hanc vim ex machinae mundanae particulis produci, quae, quod earum constructio nos fugit, non mirum est si satis explicari nequeat. Mox ratiociniis Auctor rem conficit, nimirum, necesse esse ut aliquid

quid primum commune et firmum sumatur. Iudicat, Eulerum ex eo, quod impenetrabilis sit quaedam portio materiae, vim inertiae explicare voluisse; sed eius argumento aliquid deesse, quia sumit id quod adhuc in quaestione est. De impenetrabilibus hic etiam tantum corporibus legitur definitio, quia nullibi impenetrabile cogitari potest, quam in corpore. Post uberiores disceptationes, Newtoni exemplum allatum commendat, de vi applicata equi in lapidem, ob vim inertiae resistentem; et tandem in fine profitetur ingenue, se de hac re plura nescire, attamen dicit quae sibi videntur, inertiam esse principium rationis sufficientis applicatum mutationibus corporum.

Dissertatio XI. incipit p. 79 — 88. prael. d. 13. Aug. 1763. Inscriptio est haec: *De translatis in dictione Geometrarum.* Dixit alicubi *Rousseau,* propria dictione et figuris omnibus carente qui semper uti possit, eum aut stupidum esse, aut Geometram oportere: inde iam auctor occasionem capit ostendendi, quam parum dictionem Geometrarum convitiator noverit. Nos omnino ita existimamus, non debuisse civem illum Geneva profugum iudicare de rebus, quas ipse omnium minime intelligit. Ad propositum perficiendum, remque uberius explicandam, praecipuos casus, qui a proprio et usitato significatu vocabulorum recedunt, refert A. His calculo et formulis confirmatis, exponit tribus appendicibus: a) de potentiis exponentium fractorum, aut negativorum; b) de transitu in oppositum per infinitum; c) de continuitate curvarum per asymptotos, et de observatis de continuitate et unitate curvarum.

In Dissertatione XII. quae incipit a p. 88. usque ad p. 142. est summum argumentum hoc: *Theoria proiectionis stereographicae horizontalis,* prael. d. 18. Jun. 1766. Rem non omnino novam proponit A. sed theoriam artis iamiam feliciter exercitae. Praecipue haec commendatur eo, quod in

delineanda tellure parum adhuc de praeceptis, multo minus de caufis illorum, auditum eft. Ad hanc rem vel artem affequendam leges perfpectivae adhibendas ait auctor. Totum vero problema refertur ad hemifphaerium terreftre, et quidem ut planiglobium terreftre horizontale delineari poffit; quam artem proiectionem ftereographicam horizontalem dicimus. Primus, qui hac proiectione eft ufus, et exemplum exhibuit, Hafius fuit, pofteum etiam Boehmius, Mayerus, et Lowizius, qui tamen omnes nullas fere regulas ediderunt. Euleri calculus trigonometricarum quantitatum analyticus, multa quidem commoda praebet, fed cum conftet, fphaeroidicam figuram effe telluris, fubire neceffe eft calculum haud paulo difficiliorem. Jam fequitur modus et via ideae comparandae de planiglobio, eiusque triplicis ufitatae proiectionis, ut vel fit horizontalis, vel aequatorea, vel obliqua; quae oriuntur ex triplici fphaerae fitu, qui eft vel rectus, vel parallelus, vel obliquus. In evolvenda hac theoria verfatus eft auctor celeb. ita, vt demonftraret formulas quasdam perfpectivae, quia his omnia nituntur. Longum foret, haec omnia hic profequi; defcribenda effent omnia. Hoc in univerfum rerum iftarum gnari atque ftudiofi, etiam nobis non monentibus, fatebuntur, ill. *Kaeftnerum*, hac fcribenda et demonftranda theoria, novum, idque infigne doctrinae atque acuminis documentum edidiffe. Non emit a nobis has laudes, neque enim vendimus; fed affatim meruit, et femper.

Differtatio penultima eft a p. 142 — 149. agitque *de lege continui in natura*: abfolvitur tredecim §§. qui quoniam ab auctore quoad argumenta infcripti funt, lectoribus eius verba referemus. §. 1. Quaeritur, an continui lex penitus nova fit? §. 2. ineft duplex quaeftio: quid per hanc legem olim Leibnitius intellexerit? deinde an lex continuitatis, hoc fenfu accepta, tuto femper poffit adhiberi? §. 3. Expli-

Explicatur ſenſus, quo accepta lex continui certa ſit, ſimulque illuſtratur illa lex ex hiſtoria naturali. §. 4. Docet, legem ex ordine in univerſo a creatore ſtatuto fluere. §. 5. Ipſa potiſſimum quaeſtio proponitur: num mutationes omnes gradibus infinite parvis fiant? quae deinceps exemplo illuſtratur. §. 7. Dubium movetur hoc: cur lege continui ita accepta quivis ſtatus alium ſequatur, ratio reddi non videtur? §. 9. Exemplum e Bernoullio adfertur. §. 9. Inveſtigatur, quomodo partes continui et rerum exiſtentium differant. §. 10. Eſt applicatio dictorum ad ſucceſſiva. §. 11. Definitur, quando locum habeat lex continui, et potiſſimum in phaenomenis, eiusque ratio, quae non pro arbitrio debet adhiberi. Geometria enim nititur abſtractis quidem notionibus, non tamen imaginariis. In fine profitetur auctor, a Maupertuiſio et Maclaurino ea in re ſe diſſentire.

Ultimo loco poſita eſt *Invitatio ad audiendam Orationem aditialem muneris matheſin et phyſicam publice docendi, in qua docetur, unde plures inſint Radices aequationibus ſectiones angulorum definientibus.* Auctor contendit, neminem a priori, et ex ipſis quaeſtionis conditionibus, numerum reſponſorum conſtituiſſe, indefinita quaeſtione. In Euleri operibus analyticis quidem ineſſe quaedam ſed diſperſa. Ad eam rem perſpicuam reddendam locum quendam, in Arithmetica Univerſali Newtoni occaſionem dediſſe, commemorat, totamque rem calculo perficit, cuius praeſtantiam prae meditatione vulgari ſummis laudibus merito ornat atque defendit. Atque haec ſunt bona Libri, cuius ſumma capita, quantum in noſtra brevitate licuit, propoſuimus. Ut vita et vires Auctori, Viro incomparabili, quam diutiſſime ſuppetant, rei litterariae, et commodi inprimis mathematicae phyſicaeque diſciplinae cauſa, vehementer optamus.

SPECIMEN EXERCITATIONUM Criticarum in Versionem LXX. Interpretum ex Philone. Auctore CLAUDIO FREES HORNEMANN.

Goettingae, apud Io. Christian. Dieterich, MDCCLXXIII.
pagg. 112. octonis.

Mirandum sit, dici vix potest, an potius stupendum, qua ratione accidat, ut hoc etiam tempore non exiguus eorum hominum numerus existat, qui tam sint stulti atque superstitiosi, ut criticam Vet. Testamenti abominentur, illosque, qui hanc exercent, ut detestandos, et rei Christianae inimicissimos, omnibus modis infament, et paene haereticorum perniciosissimorum habeant nnmero. Ita solent facere in scholis, et intra parietum carceres, eadem effutiunt per Ephemerides, per libros eadem clamant, nullius parcentes vel dignitati, vel spectatae iam documentisque confirmatae doctrinae. Quae cum ita sint, praeclare procul dubio merentur illi, qui hanc, quam ab stultis conflatam iri sentiunt infamiam, negligentes, criticam Vet. Testamenti strenue sibi tractandam sumunt, alius alia via progredientes. Libelli, quem indicamus, auctor, Philonem sibi sumsit excutiendum, non ut crisin in Hebraicum textum exerceret, sed, quae tamen est cum ea coniuncta, ut Philonem ad criticam versionis τῶν ό adhiberet. Prius specimen est: *Exercitatio praeliminaris de Textu LXX. Interpretum ex Hexaplis Origenis, Interpolatione, et usu Philonis Judaei in illo emendando.* Posterius: *Exercitatio prior in Versionem LXX. Interpretum ex Philone.* Exercitatio prior his ferme continetur capitibus. 1) *Ne unicum quidem exemplar versionis τῶν ό cum authenticis Alexandrinorum Interpretum MSS. perfecte congruum,*

gruum, Origenis tempore ſuperfuiſſe videtur. Multis haec probat auctor ex Origene et Hieronymo. Et nobis plane eadem eſt ſententia, imo confidenter, et forte magis definite ſic diceremus: tempore Origenis ſi quis veram et a Deſcriptorum vitiis et depravationibus quorumdam liberatam hanc verſionem habere vellet, eum critica facultate praeditum, omnes quos poſſit conferre debere codices, et, poſtquam de ſingularum lectionum indole diligentiſſime fuerit iudicatum, ſperare recenſionem ſatis emendatam. Nam prorſus ſine vitiis praeſtari vix poſſe videtur recenſio cuiuscumque Scriptoris. II. *Fuere tamen aliqua, hoc tempore, melioris notae minusque corrupta exemplaria verſionis τῶν ό.* Cuius rei in teſtimonium ipſius Origenis clara adferuntur loca. III. *De textus τῶν ό ex Hexaplis Origenis interpolatione.* Intelligit recenſionem illam in Hexaplis diſtinctam ſignis Origenianis, aſteriſcis, obelis, lemniſcis, hypolemniſcis, ex quorum confuſione, ſubinde facta, tanta orta ſit commixtio, ut internoſci non poſſit quae ſint LXX. interpretum genuina. Et quamquam iſta confuſio per innumeram Codicum multitudinem pervaſerit, quod certiſſimum eſt: tamen Origeniana *in omnes fere τῶν ό editiones* (codices) *inſerta fuiſſe, vel ad marginem adſcripta*, ut doctiſſimus vult auctor, in univerſum, etſi κατ' ἀκρίβειαν dialecticam haec dicta ſunt, non videtur poſſe concedi. Fac enim, Origeniana omnibus fere Codicibus eſſe inſerta, vel margini adſcripta, (et haec vulgo conſueverunt ipſi textui a ſciolis inſeri,) nemo ſcire poſſet, quae vox ad ſuos Interpretes referenda ſit auctores, cum nulla paene iudicandi norma ſit relicta. Nam pauca ea, quae Auctor deinde adfert, remedia, ſufficere non videntur, et omnis haec quaeſtio diligentiori adhuc ſubiicienda eſt examini. Interpretatus eſt ex Origenianis Codex *Alexandrinus*, teſte Grabio; Codex *Vaticanus*, teſtibus editoribus, cuius rei et aliquot adlata ſunt exempla. Interpretata et *Complutenſis* editio, atque *Aldina*. IV. *Media antiquam editionem κοινὴν reſtituendi. Variae huius vocis ſignificationes*

cationes illustrantur. *Pauca ab Anastasio Sinaita indicantur melioris notae exempla τῶν ό, quae ad vitia textus τῶν ό emendanda utilissima videntur.* Ubi simul pauca de versione Luciani. V *Num Philo linguae Hebraicae peritus fuerit, quaeritur.* Negant doctorum alii, alii affirmant. *Scaliger* Philonem ne Hebraice quidem legere potuisse contendit; *Hodius* et *Loesnerus* profundiorem ei linguae Hebraicae notitiam tribuunt; *Ill. Michaelis* media via progreditur. Auctor ita statuit: concedi posse, in Philone quidem esse quaedam cum Hebraico textu contra τὺς ό consentientia, sed neque tamen sic inde sequi, Philonem calluisse Hebraica. Fieri enim potuisse, ut illud versionis LXX. exemplar, quo usus sit Philo, in locis quibusdam cum Hebraico convenerit, ubi nostra exemplaria τῶν ό ab eodem recedant. Neque ex eo satis firmum argumentum duci potest, quod nomina propria Hebraica in Graecum sermonem haud raro transferre solet Philo, etiamsi, qui huic sententiae favent, maxime id urgent. Id tamen negari non potest, quia et interdum nominum propriorum significationem etymologicam interpretatur, aliquam, qualemcumque illam tandem, in illo fuisse Hebraicae linguae notitiam. VI. *Philonem dicta sua Biblica e Graeca versione τῶν ό allegasse, demonstratur.* Multis enim in locis affert versioeem LXX. αὐτολεξεὶ, licet ab Hebraicis plane discrepantem. Praeterea emphases, quarum est studiosissimus, venatur illas ex verbis versionis Alexandrinae, quum ipsa Hebraicorum inspectio aliud suadere potuisset. VII. *Caute tamen scriptis Philonis ad textum τῶν ό emendandum uti debemus.* Ex memoria enim saepe allegat dicta, et subinde quaedam addit. Et vero etiam textus Philonis, etiam in editione Mangeana, vehementer adhuc est corruptus, informatusque ad hodiernas in Versione τῶν ό lectiones. Haec est summa prioris dissertationis.

Altera habet specimina, et ea quidem satis copiosa. Pentateuchus totus est pertractatus, plura tamen et Geneseos loca sunt excussa. Insignis ubique apparet industria, laborisque molestissimi,

ſtiſſimi, qualis hic eſt, patientia, nihilque videtur omiſſum, quod in critica diligentia aliquis deſideret. Cuius rei ut ideam animo ſibi poſſit informare Lector eruditus, ne nimis longi ſimus, quaedam tantum exempla, ipſis auctoris verbis adſcribamus. Ad Geneſ. Cap. II, v. 7. *Philo Lib. de Opif. Mundi p. 30.* *χꝟν λαβων ἀπο της γης.* Licet vox λαβων, *in textu Hebr. hodierno, plurimis verſſ. Latt.* et in ipſis etiam LXX. praeter edit. *Compl.* deſideretur; illam tamen in antiqua editione κοινῃ inventam fuiſſe, vix dubitamus. Cum *Philone* enim, quem hanc vocem in ſuo τῶν ό exemplari habuiſſe, ex ipſius contextu certo conſtat, *Compl.* editio, quae *χꝟν λαβων ἀπο της γης, Clemens Alex.* qui p. 981. λαβων χꝟν ἀπο της γης, et denique *Irenaeus*, qui p. 253. *limum terrae accipiens*, atque p. 311. *et ſumſit Dominus limum de terra* legit, conſentiunt. His igitur auctoritatibus, λαβων in textum τῶν ό inſerendum videtur; niſi forte cum *Rev. Oweno* hanc vocem a librario quodam, illuſtrationis cauſſa, additum, dicere velis. Optimo etiam iure *Lib. I. Alleg.* p. 45. textum *Philonis χꝟν ἀπο της χθονος* emendandum eſſe exiſtimamus: nam etiam hoc loco MS. *Vaticanum Philonis*, teſte *cel. Mangeo* vocem λαβων ſupplet, et MSS. Medic. et Trin. pro της χθονος lectionem meliorem της γης in Philone exhibent. Alter locus ſit ad Geneſ. Cap. XXVII, v. 36. In verbis τῶν LXX. ἰδꝟ δευτερον τꝟτο plurimae occurrunt lectionis varietates. *Rom.* et *Ald.* editt. ἰδꝟ, *Philo* autem *Lib. III. Allegor.* p. 96. *MS. Alex.* et *edit. Compl.* τῶν ό, ηδη legunt, ſenſu fere eodem manente. Cum poſteriori tamen lectione proxime convenire videtur *Verſio lat. textual. Sabat. ſupplantavit enim me iam bis.* Sive vero ἰδꝟ, ſive ηδη pro vera τῶν ό lectione aſſumſeris, quorum quidem poſterius ſuadere videntur auctoritates plurimae, quaerendum omnino erit, unde ortae ſint hae lectiones, quae in textu hodierno *Hebr.* זה פעמים minus fundatae videntur? Num exinde, quod Alexandrini interpretes vocem הנה, quam certe ante עתה non legerint, forſan paulo ſupra ante זה in ſuo exemplari Hebraico habuerint?

buerint?

buerint? Quod si ita se haberet, ex illo non solum ἰδȣ, sed etiam ἠδη oriri potuisse videtur: Hebraico enim הנה cum cognata particula Syriaca ܗܐ Graecum ἠδη respondere poterat. Obstat vero, quo minus rem ipsam concedere possimus, antiquissimi Bibliorum textus *Hebraico-Samaritani*, omniumque reliquarum versionum antiquarum cum hodierno *textu Hebr.* convenientia, quae non solum הנה, ubi hodie exstat, ante עתה exhibent, sed etiam ante זה omnes omittunt. Forsan igitur, dixerit aliquis, ipsum *Hebr.* זה per ἠδη verterunt Alexandrini, quod postea in nonnullis exemplaribus vitiose in ἰδȣ mutatum fuit. At vero, licet quidem זה tam per ἰδȣ, ut *Deuter.* VIII, 4. quam per ἠδη explicare potuerint Alexandrini, hoc loco hanc vocem per τȣτο ab illis expressam fuisse, suadent loca parallela infra afferenda. Nobis igitur vero videtur simillimum, vocem ἠδη, si ipsis Alexandrinis interpretibus ortum debeat, illustrationis gratia, ut supra nonnunquam contigisse ostendimus, insertam fuisse; quodsi vero interpolatio fuerit, forsan ex ambigua significatione vocis זה, vel ex *Versione Lat. Scb. iam bis*, (quae certe etiam hoc loco corrupta videtur, dum alio loco Hebr. זה et *Graec.* τȣτο accuratius per *hoc* vertit,) vel denique ex *Vulgata Hieronymi*, quae Hebr. זה saepe *en* vel *ecce* vertit, recentiori tempore orta, eo potius in accurata τῶν ό edit obelo notanda videtur. — LXX. δευτερον τȣτο: *Compl.* vero edit. vocem τȣτο penitus omittit, et *Philo* verba δευτερον τȣτο, τα τε sic legit . . . δευτερον, τοτε τα . . . Lectionem Philonis commendat placidus et elegantissimus sensus, quocum consentiunt *Versio Bibliorum Arabica et Vulgata nova Hieronymi*, et facile etiam, minima mutatione adhibita, conciliari poterit *textus Hebraicus*. Vulgatam vero τῶν ό lectionem δεύτερον τȣτο veram fuisse antiquam interpretum Alexandrinorum explicationem, verborum זה פעמים, ex aliis locis, ubi eandem constructionem Hebraicam similiter transtulerunt, certo. Lectionem igitur Philonis

Philonis, nisi ex illius et LXX. interpp. lectionibus simul iunctis novam tertiam: δευτερον τουτο. τοτε τα . . . componere velis, damnare cogeris. Nobis certe illa, in quam Philo, Arabs, et Vulgata conspirant, lectio, ob sensum quem praebet pulcherrimum, e circumscriptione oriri potuisse videtur. Ad Genes. XXXV, v. 20. haec est Observatio. *Philo Lib. III. Allegor.* p. 63. 64. et *Lib. de Profugis* p. 451. lectionem τῶν LXX. ἐκρυψε δε Ιακωβ Λαβαν τον συρον confirmat, pro qua tamen *Cel. Grabius* ex emendatione posuit ἐκλεψεν . . . Utram vero ex his lectionibus, quae utraque sensum *decipiendi* vel *celandi* praebet, recipere velis, ex illa tamen, num vocem לב post גנב in suo exemplari Hebr. legerint Alexandrini, nec ne, certo determinari nequit. Etiamsi enim ipsi LXX. vocem illam nec hoc loco neque infra v. 26. ad literam verterint, quam Graec. κλεπτειν notionem *decipiendi* vel *celandi* habere queat; facile tamen fieri potuit, ut integram phrasin Hebr. גנב לב circumscripserint, vocique לב *intellectus* potius, quam *cordis* significatum, tribuerint Alexandrini Interpretes.

LIBELLUS ANIMADVERSIONUM ad Longinum. Scripsit SAM. FR. NATHAN. MORUS, Gr. et Lat. Ling. Prof. Lips.

Lipsiae, apud Weidmanni heredes et Reichium, pagg. 64. MDCCLXXIII. octonis.

Nemo est, qui auctorem aliquem Graecum Latinumve, vel critica diligentia castigavit, vel sententiam auctoris explicuit illustravitque, etiamsi curiosissime omnia circumspexerit, quin, eamdem iterum telam retexens, quaedam detegat, quae aut clariori luce collustranda, aut firmanda robustioribus nervis, aut etiam immutanda videantur.

Suntque hae, quae vulgo dicuntur, secundae curae, immo interdum tertiae et quartae, tanto magis necessariae, quanto maius legentibus oritur impedimentum, cum ex ipsa auctoris, quam tractavit, materia, tum ex vocibus formisque loquendi rarioribus, nonnumquam Scriptori proprio, et suo quodam modo usurpari solitis. Quod et summis est factitatum hominibus, neque ulli est negligendum, nisi eam sumsisse sibi videri velit arrogantiam, ut difficillima quaeque facili negotio expediat, et uno oculi intuitu perspiciat obscuriora. Quae cum ita sint, iure videtur laudandus *Morus*, Vir graece latineque doctissimus, Collega noster amantissimus, quod Longini libello, iterum ad examen revocato, quaedam, non illa contemnenda, prioribus adnotationibus addere decreverit. Est vero ea ratio interpretandorum auctorum antiquorum, ut quaedam interdum reperiantur ita illa comparata, ut non facile intra angustos adnotationum terminos inclusa satis excuti tractarique queant, sed iustam integri libelli subministrent materiam. Cuius generis cum sit in Longino notio *Sublimitatis*, non abs re videtur factum a Cl. *Moro*, ut penitus in eam inquireret, colligeretque ea, quae ad hanc quaestionem pertinere viderentur. At vero vix fieri potuisse sumus arbitrati, ut huius scriptiunculae brevem quemdam conspectum proponeremus, et ipsius verbis, et veriti, ne cuidam ex verbis commutatis difficultas quaedam suboriatur. Optimum igitur factu iudicavimus, si integrum libellum recognitum ab A. et locis multis auctum, cum Lectore benevolo communicaremus. Est igitur *de variata Sublimitatis notione in Commentario Longiniano*, dissertationis hic tenor:

In oratione iudicanda usus multorum vocabulorum, quibus virtutes orationis et vitia exprimi solent, tantum erroris et inconstantiae habet, ut non omnes certam cuiusque verbi vim animis comprehensam habere videantur. Nam quidquid alicui placuerit, id,

id, quaſi nulla alia verba ſint, aut verborum uſus parum certus, venuſtum, lepidum, exquiſitum, promiſcue iudicat, et ſaepe ſcriptorum loca longe diſſimillima ad idem genus refert: ut attente ſubtiliterque omnia examinantibus vix certa rei, his vocabulis ſignificatae, nota relinquatur. Interdum audivi, ea exquiſita dici, quorum exempla tamen ubique proſtarent, et in quibus ſcriptores, certum ſecuti uſum, cum ipſa vitae communis conſuetudine locuti eſſent: ea rurſus lepida et venuſta, quae quavis alia de cauſa commendationem haberent, quam ab ſenſu pulcri, aut delectu: elegantiae vero vim atque naturam non nullis adeo incognitam eſſe vidi, ut, ſi quid ipſorum opinione probandum videretur, id omnino elegans nominarent. Viderant plura translate dicta; ſtatim orationem clamabant ſublimitatem ſpirare: fuerat aliquid graviter iudicatum; ſe vero pignus magni animi, a ſcriptore illo demonſtrati, tenere autumabant: inciderant in ſimilitudines, aut rei alicuius uberiores et colore aliquo decoratas deſcriptiones; haec omnia a calore animi et agitatione inuſitata profecta, ſpirituque poetae et oratoris prolata cenſebant.

Cuius inconſtantiae et erroris cauſas enumerare, etſi in promtu eſt; tamen, aut ita ſunt inveteratae, ut exſtirpari nequeant; aut ita inanes, ut, ſi vel maxime quempiam aliquamdiu fefellerint, at non ſemper fucum ei facere poſſe videantur. Neque ergo attinet, vel adverſus contumaces fruſtra diſputare, vel vim eius rei dicendo infringere, quae, per ipſam animi humani rerumque naturam, brevi poſt vim nullam habitura videatur. Sed aliae cauſae quo ſunt fecundiores errorum, quove plus damni multis diſciplinis iam intulerunt, eo pluribus allaborandum eſt, ut quilibet cavere ſibi ab earum fraudibus diſcat. In his illud numero, quod omnes fere orationis virtutes, omniaque vitia, verbis vel in ſe ampliſſimae ſignificationis, vel tropicis adeo inſigniri, atque etiam tropicis definiri ſolent: quae niſi

quis, praecipiendi cauſa, interpretum ac philoſophorum more, ad proprietatem et notionem certam revocarit, vt de re ipſa planiſſime conſtet, neceſſe eſt, ut uſus eorum, reique ipſius iudicium, plurimum inconſtantiae habeat.

Sed cum in his, docendo explicandis, grammaticorum et philoſophorum ſtudia aemulanda eſſe dico, hoc volo, tam diu eſſe quaerendum, donec vocabulum aliquod translatum, quo attributum orationis expreſſum eſt, vel definire, vel permutare poſſis cum alio, ex uſu linguae certo, aut in ſcholis philoſophorum recepto atque conſtituto. Hoc enim, niſi fallor, eſt, praecepta et placita diſciplinarum explicare, ſi quis operam det, ut, quae ſequitur praecepta, ea grammatice et dialectice interpretetur. Qui, ut hoc utar, (eſt enim certum atque notum,) in religione tradenda regenerati, renovati, novi dicantur, utique neſcimus, antequam plane tenuerimus, eos intelligi, qui mutati ſint in melius, qui aliter opinentur, alia adpetant, aliter agant, atque antea, hoc eſt, recte: nam recte ſentire et agere quid ſit, et loquendi conſuetudine certum, et a philoſophis finitum eſt. Nec, cum de natura et facultatibus animi humani diſſeritur, quae perceptio, fictio, averſatio, commotio ſit, ad perſpicuitatem intelligendi ſubtilitatemque argumentandi prius ſatis factum arbitrantur, quam planiſſime definiendo ambiguitas omnis ſublata fuerit: ex tropis enim ipſe nihil, ſine errandi periculo, concludi poteſt. Similiter, ut ad artem dicendi veniam, quae eamdem diligentiam meretur, eſt genus orationis, quae δείνωσις dicitur, et a Quinctiliano (6, 2.) ſic deſcribitur, ut *rebus* indignis, aſperis, invidioſis, *vim addere* cenſeatur. Hic vero et verbum δεινώσεως latiſſime patet, et definitio ad multa trahi poteſt. Nam, ut miſſo verbo de definitione dicam, vim addimus rebus dicendo, cum eas argumentis firmamus, cum diutius urgemus, cum probabiliter dicimus, et vero etiam aliis modis. Neque tamen haec

haec eſt δείνωσις, quam ab his omnibus ipſe Longinus (c. 11. et 12.) diſtinguit: ſed δείνωσις in iis orationum locis ineſt, in quibus orator vehementiſſime animo commotus eſt, ipſosque auditores vehementer commovet: idque voluiſſe Quinctilianum, e ſerie totius loci facile adparet. His ergo non conſtitutis, num proprie, certo, et utiliter de hac orationis virtute praecipi iudicarique poterit? Idem valet de reliquis. Qui enim tenet, elegantem orationem eſſe grammaticis praeceptis congruam, cum delectu; exquiſite dicta, quae potius excogitata et facta, *) ideoque rariora, quam ex uſu quotidiano depromta et obvia ſint; quaeſita, quae, artis et ingenii cauſa, praeter neceſſitatem poſita ſint; ſplendida, quae multa habeant orationis ornamenta coniuncta; is demum et rem intelligit, et de ea iudicare, ſibique conſtare poterit.

Huiusmodi praeſertim tropos Graeci, qui initium de elocutione praecipiendi fecerunt, catervatim introduxerunt; ſed alii aliter. Nam Ariſtoteles, in tertio rhetoricorum, ſingula tam acute et ſubtiliter definivit, ut ſaepe mirandum ſit; translata verba, quae natura vaga ſint, περιόδυ, ῥυθμῦ, τοῦ ψυχρῦ, τῦ πρέποντος, et alia, tamen adeo certo velut adprehendi, finibusque includi poſſe. Ac debebat viri huius conſuetudo, vocabula vitae communis accurate definiendi, aliis eſſe exemplo, qui augere et ornare linguas vellent; non quoniam Ariſtoteles, aut unus e veteribus fecerat, ſed quoniam dignum eſt viro docto, quid loquatur, et quae res verbis ſubſit, perſpectum habere. Multo laxior eſt Hermogenis diſciplina: hunc enim poſt Ariſtotelem nominare liceat, non quo ab hoc demum cetera, quae Ariſtoteles non attigerat, adinventa putem, ſed quod,

*) *Longin.* 3, 4. τὸ πεποιημένον. Sunt in hoc genere orationis *Livius* et *Tacitus* frequentiſſimi.

quod, qui haec in artis quamdam formam redegerit, praeter Hermogenem, neminem ſcio; praeſertim cum Demetrii Phalerei libellus, nuper a Fiſchero V. Cl. denuo editus, incertae aetatis ſit. Quamquam ergo Hermogenes orationis formas, quas adpellat, notis quamque ſuis dignoſcere docet; non omnes tamen notae ita propriae ſunt, ut uni generi conveniant, nec cum aliis communicari poſſint: interdum etiam relinquitur lectoribus ipſis opera notionis conſtituendae. Inter hos interiecti fuerunt, qui, cum et ipſi docere, ſed, miſſa tenuitate praecipiendi, in rem praeſentem venire, atque iudices agere vellent, et tamen variare orationem, ac multa exquiſite dicere, ut Plutarchus *, ut Dionyſius Halicarnaſſenſis, ut Longinus, mira vocabulorum, eamdem rem ſignificantium, multitudine uſi ſunt. De quo quidem genere nunc ſermo eſt.

Jam ut hos non reprehendo, ita conſuetudine hac, optimo fortaſſe conſilio, niſi potius vitio quodam aetatis illius, introducta, alios abuſos eſſe vereor. Si quis enim ornatam orationem uno veluti ſpiritu κεκαλλιγραφημένην, κεκαλλωπισμένην, σοβαράν, περιττήν, ἐξειργασμένην, πομπικήν, ἐπιδεικτικήν adpellet, lectoremque nanciſcatur non attentum, qui tropos eſſe tropos ſciat, et ſcapham ſcapham dici vetit: breui poſt omnia his verbis perſonabunt; placent enim auribus; ſed non omnes recordabuntur, ſe, quocumque horum vocabulorum utantur, eamdem rem dicere, imo alius alio plus minusve iis ineſſe putabit. Sunt illa quidem diverſa, ſi grammaticam proprietatem ſpectes; nam alia eſt aliorum origo et transferendi verbi cauſa: ſed nullo modo differunt, ſi de re, de notione, de genere quaeratur, quam naturam habeant, quid inde ſequatur, quae eorum praecepta ſint, quis uſus.

Idem

*) De poetis legendis. Id. περὶ τοῦ ἀκούειν. init.

Idem ergo tum accidisse arbitror, quod nostra haec aetas vidit, cum magna vis verborum, nostrorum et exterorum, ad virtutes et vitia orationis significanda, invecta est, quorum potestas a non nullis fortasse obscuro quidem sensu percipitur, sed definiri ab iisdem non solet. Nam si quis certum usum certamque singulorum notionem constituere, ea vero, quae dubia aut supervacanea sint, eiicere adgrediatur, videtur illa copia brevi ad magnam paucitatem reditura; saltem vernacula pluribus peregrinis exonerabitur.

Etiam religionis scientia hoc incommodo vexata est. Quod enim ipsam eius cognitionem (γνῶσιν, σοφίαν, fortasse etiam πίστιν,) sacri libri interdum αἴσθησιν, φῶς, φωτισμόν, ἔχειν Χριστόν, aliisque verbis adpellarant, quibus patres graeci φιλοσοφίαν addiderunt; quod vitam piam dixerant ἁγνὴν et καθαράν; studium vincendarum libidinum νέκρωσιν, σταύρωσιν, θανάτωσιν; amoremque Dei erga homines ἐκλογήν; haec singula, quam mature obliti sunt homines, ad eamdem rem, in suo quamque genere, significandam pertinere. Nonne alii lumen et Christum in hominibus tantum pauculis, hoc est, sibi suique similibus, reliquerunt; alii γνῶσιν, σοφίαν, φιλοσοφίαν accuratiorem voluerunt esse scientiam? Nonne ἀγνίζειν et καθαίρειν ἑαυτόν operosius, quam cupiditatibus imperare, atque pie et sancte vivere? Nonne alios electos, alios beneficiis ornatos, Deoque caros? Nonne νέκρωσιν in solitudine quaesiverunt, et vulgarem scilicet pietatem oppidis hominumque celebritati reliquerunt *)? Admistis vero Pythagoreorum et Platonicorum tropis, inter ipsos Christianos Ascetae effloruerunt, veluti meliores ceteris; in conspectuque sacrorum librorum mystica theologia prodiit, quasi exquisitior doctrina.

Quamdiu ergo, vt in viam redeam, Aristoteles qui omnia definiendo, certum verborum usum introduxerat, auctoritate,

*) Vid. *Theodoreti* historia religiosa.

ctoritate, disciplina, et exemplo Graeciam tenuit; nulla facile vel erroris, vel inconstantiae occasio fuit: sed qui non tam res, ab eo traditas, quam consuetudinem de iis dicendi immutarunt, hoc est, vocabulorum numerum auxerunt, hi non sua quidem culpa errare alios docuerunt; at inscii videntur commisisse, quo lectores incauti deciperentur.

Sed verborum talium usus in docendo non modo in hanc partem peccat, ut dissimilia iudicemus, quae similia sint; verum ea quoque, quae re atque cogitatione differunt, sed interdum communi nomine adpellantur, ad idem referri genus solent, si vel exigua similitudo se obtulerit. Atque hic est ille locus, quem accommodate ad Longini disciplinam pertractare placet, si fortasse non nulli tironum ad libri praestantissimi certiorem usum hac oratione praeparari possint.

Nimirum legendo Longino facile animadverti potest, plurimum saepe, ac toto fere genere distare, quae ab eo nomine eodem expressa, eodemque modo tractata sunt. Praeterquam enim, quod sublimitas rerum et elocutionis multum differt, illi praecipue parti, quae de elocutionis sublimitate exponit, varia adspersit, ab re, ut videtur, tam aliena, ut non raro audierim, qui, totius libri summa perlecta, mirarentur, quid esset, cur ea hic cernerent, quae sublimitatis speciem nullam, ac ne suspicionem quidem haberent. Quid, quod ipsa haec caussa Silvanium et alios videtur impulisse, ut Longinum negligentem et ineptum, eiusque disciplinam perturbatam esse statuerent.

Sed hoc est illud vitium, quod, vocabuli similitudine decepti, res diversas uno genere unaque notione complectuntur, et, si quis virtutibus elocutionis iis usus sit, quarum mentionem Longinus, sed accommodate ad sublimitatem, fecit, hunc illico solo habitu orationis sublimis scriptoris honorem et laudem meruisse putant.

tant *). Non ſunt omnia ſublimia, quae in Longiniano libello commemorantur. Nullo modo. Duo inſunt, quibus vere hoc nomen tribui poteſt; cetera vel magnitudine, vel dignitate, vel ornatu, vi, vehementia cenſentur, vel elocutione, rebus magnis digna, numero denique, aures explente. Quae cum ab ſe invicem, tum ab ſublimitate multum diſtare, et ad eam alio atque alio modo referri, quis non videt? Non ſubſiſtendum ergo eſt in vocabulo ſublimitatis, quod alibi aliter dicitur, multisque non niſi propter aliquam cum ſublimitate ipſa ſimilitudinem tribuitur; ſed quaerendum eſt, quaenam in ſimilitudine illa reſtet diſſimilitudo, qua reperta res tenetur, et alio ſuoque nomine certo adpellari poteſt, magna, digna, vehemens.

Placuit ergo, de hoc loco in praeſenti ſic diſputare, ut colligendis variis nominibus, quae Longinus cum ſublimitate permutare ſolet, ipſas notiones deprehendere conaremur: nam ita demum adpariturum videbatur, utrum diverſa tractaret, an eamdem ubique rem deſcriberet; utrum ſublimitatem certo et eodem ubique modo diceret, an aliis quoque, ſimilibus eius, nomen ipſum abuſu quodam imponeret. Qui enim definitione quidem uſus eſt, ſaltem ea dixit, unde confici definitio poſſit; ſed nomen, quod definiit, ſaepius contra, quam definierat, uſurpat, eique mox anguſtiorem, mox ampliorem ſignificatum tribuit; is ubique velut indagandus, et in omnium ſententiarum atque verborum latebris detegendus eſt. Sic enim diſcitur, non quidquid ſublime adpelletur, aut in libro de ſublimitate tractetur, ſublime eſſe.

*) Fecit hoc *Bergerus*, in libro *de naturali pulcritudine orationis*, in quo commentariis Caeſaris ſublimitatem ideo vindicavit, quia exempla, praeceptis Longini reſpondentia, paſſim occurrunt.

Jam cum verae sublimitatis natura centies voce atque scripto e posita sit, ut propemodum impudens videatur, qui haec recoquat: cavi mihi ab hac offensione. Sed quoniam omnia genera rerum verborumque colligo, quae aut vere, aut abusione quadam, huc referri solent ab eo cuius disciplinam examinare sustineo, saltem fuerunt attingenda ea, quibus vera sublimitas censetur, ut reliquorum cum hac dissimilitudo celerius adpareret. Qui vero ne hoc quidem sustinebunt, hi tres proximas sectiones transmittere poterunt.

Igitur primo dixit de *sublimitate* orationis, hoc est, de magnitudine rerum, verbis expressa, eique vim *percellendi* aut obstupefaciendi tribuit (1, 4.): quam eamdem vim, ubi de terrore sermo est, *terrificam* nominare solet (3, 1. 9. 5.). Sed quid est in oratione *percellere?* Quaenam res magna, lectorum et auditorum animis dicendo admota, habet vim *obstupefaciendi?* Num omnis ea res, quae in vita communi nova, inaudita, inusitata, miranda, horrenda, incredibilis, παράδοξος, ὑπερβάλλουσα, dicitur? At nec mensura horum omnium certa, nec vsitati sermonis constantia est; ideoque nulla definitio inde confici potest, quae tradat certae rei certam notam, nec vagari in omnes partes et errare patiatur. Quare haec in docendo non sufficiunt. Ergo ea oratio percellit, ea res tanta magnitudine est ut obstupefaciat, cuius magnitudo perspicua notione *) aequari aut exhauriri nequit, aut, si queat, tamen tum, cum eam videmus, audimus, aut legimus, non exhauritur; ut adeo menti, conscientia illius magnitudinis adfectae, nihil nisi *admiratio* relinquatur. Hinc ille dicitur stupor, hinc est, quod res obstupefacit. Aliter qui utitur hoc verbo, is vagatur **): quod in docendo et iudicando fieri non debet.

Sed

*) Comparando, numerando, metiendo, definiendo.

**) Cic. de legg. 2, 4. *Exempla vim istius rei, ne aestus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermonis morem usitati trahat.*

Sed quod hactenus deſcripſi, id locum in oratione habet tum cum nihil niſi recipimus vim agentis, (paſſionem in ſcholis dicunt): quaedam autem res magnae, cum dicuntur, ita nos adficiunt, ut cupere, velle, adpetere maiora incipiamus, hoc eſt, ut, exorta magnitudinis aut noſtrae aut alienae conſcientia, imitari et ſuperarare alios, noſtraeque dignitati convenienter agere, eaque plane potiri velimus. Quod cum translatis verbis ſignificatur, animus dicitur attolli, erigi, exſuſcitari, et ad rem gerendam maior fieri (Cic. Offic. 1, 4.). Atque hoc eſt alterum genus ſublimitatis, a Longino tractatae, quod adpellavit ἀνάστημα, δίαρμα, δίαρσιν, τὰ διηρμένα (c. 7.) *)

Jam duo haec genera veram continet ſublimitatem orationis. Nam primo, ſi definita ſic fuerit, nihil ſimile cum ea confundi commiſcerique poterit, et, ut iam monui, magna, gravia, vehementia, digna, facillime ab ea internoſcentur. Deinde hoc modo ſententiae concludendo inverti poterunt: nam quidquid ita, ut deſcripſi, percellit attollitue animum, id certiſſime erit ſublime; recteque adeo ſublime dicetur, quod mentem obſtupefacit et attollit. Quaecumque ergo in aliis recenſendis poſthaec reperiemus, ſimilia quidem illa ſublimitati, ſed non eadem hac nota inſignita, in iis iudicandum erit, verba tantum et nomina ſimilia ſublimitati eſſe, ipſam vero rem in ſingulis locis ſingulatim quaerendam ac definiendam videri.

Quare libenter conceſſerim Longino, primo eventa praeter modum magna, ut mundi procreationem, nutu divino effectam; deinde adfectus generoſos; porro longe

 vehe-

*) Paulo aliter Origenes Tom. 2. pag. 171. C. ed. Rothomag. Ψυχὴν, φυσικὸν ἔχουσαν δίαρμα, dixit, mentem ceteris natura praeſtantiorem, et ad coeleſtia intelligenda aptiorem.

vehementiſſimos, qui parum ab inſania diſtent; denique magnitudinem animi, verbis expreſſam; veram gignere orationis ſublimitatem: nam haec aut percellunt, aut exſuſcitant animum. Concedam item, duas ſublimitatis cauſas, ab eo primo loco poſitas, ingenii magnitudinem, et vehementiſſimos adfectus, fontes ſublimitatis eſſe: de ceteris mox conſtabit.

Sequitur enim tertium, quod ſublimitati accenſetur, et iis conſtat, quae, variis quidem nominibus adpellata, omnia tamen *vehementiam*, *vim*, *contentionem*, indicant: ἀγών, ἀγωνία, ἀγωνιστικόν, ἐναγώνιον, ὀξύῤῥοπον, ἀγχίστροφον, φορά, ῥόθιον τῆς φορᾶς, σοβαρόν, τραχυνόμενον, δεδιωγμένον: quibus haud dubie plura ſunt adſperſa, in quae ſublimitas non cadit: neque enim, quidquid eſt vehemens, idem ſublime dici poteſt, niſi vocabulo abuti velimus. Fuerit Demoſthenes vehementior, cum ſaepius interrogavit (c. 18.), aut contumeliam colaphi ad naturam expreſſit (c. 20.); ſit Ilias Homeri actione et motu plena (9, 13.); fuerint alia ab eodem Homero, ab Herodoto, Xenophonte, aliis, figuris iis illuminata, quae commotam efficerent orationem; tamen haec abſunt a ſublimitate. Licebat quidem, quia propter vehementiae magnitudinem magna ſunt, ea promiſcue ὑψηλά dicere; ſed, ſi quis ita dixiſſet, agnoſcendum erat, haec ab illis, quae primo et ſecundo loco poſita ſunt, differre, et cum iis non niſi ſimilitudine quadam contineri? Quid enim? An omnia Iliados ἐναγώνια loca ſublimia dicemus? Non habet facile antiquitas vehementiorem orationem ea, qua Chriſtus Judaicae religionis doctores reprehendit (Matth. 23.): nulla tamen, ut mihi videtur, ineſt ſublimitas. Ergo vehementia rei et adfectus per ſe non ſufficit ad ſublimitatem, niſi eadem percellat animum aut attollat. Et tamen vulgo loca vehementiora dicuntur ſublimia, adſcribiturque auctoritas Longini. Scilicet ille in commentario

rio de ſublimitate tractavit exempla vehementioris orationis. Ergo omnis vehementia eſt ſublimis?

Quarto loco diiudicat orationem *ὐκ ἀργήν, ἐπεγείρυσαν τὸν ἀκροατήν, ὐκ ἐῶσαν ἠρεμεῖν*, hoc eſt, eam, quae vim habet. Habet autem oratio, quae quidem hic dicitur, vim; cum commovet. Sed non, quaecumque commovet, ad idem genus reduci, et ſublimis dici poteſt. Nam qui commovet interrogando et compellando (c. 18. 26. 27.), is *reddit attentiorem*. Qui commovet multitudine rerum et varietate; is cogit *multa* eodem tempore *cogitare*, et adfectum ciet. Qui commovet magnitudine oſtendenda, is *admirationem* efficit, aut *ſtudium imitandi*. Qui commovet deſcribendo et adumbrando, is reddit rem perſpicuam et *evidentem*, eamque ut videamus cogit. Qui commovet adfectu exprimendo, is *adfectum excitat* in aliorum animis. Quid eſt ergo *commovere?* Equidem non auſim omnino definire; in alia enim re, ut vidimus, aliter dicitur. Et haec adeo diverſa, *eſſe attentum*, *multa cogitare*, *admirari*, *grandia aemulari velle*, *rem planiſſime cernere*, *adfectuque moveri*, haec, inquam, pro uno eodemque habebimus? Nonne prius eſt conſtituendum, quid ſit in oratione, quod commoveat, quam hac de cauſa, quia commovet oratio, ſecure eam ſublimem iudicare ſuſtineamus? Tenebimus igitur, in hoc tropo multa latere, et eam commovendi vim, quae partim ab adfectu longe vehementiſſimo, partim ab eo, quod animum exſuſcitat, oriatur, ſublimem eſſe; illam, quia obſtupefaciat, hanc, quia erigat: ita conſtabit, non omnia, quae ab Longino his nominibus inſignita ſint, vere ſublimia eſſe.

Adiungit quintum, *τὸ σεμνόν*, cum ea, quae per ſe vulgaria aut depreſſiora adeo ſunt, tamen ita dicuntur, ut habere incipiant aliquid dignitatis ſive magnitudinis, propter quam non modo non fugienda et contemta, ſed adpetenda et honorifica videantur. Dignius ergo eſt, *iter a deo deſtinatum*.

natum facere, quam, *mori*: quod Longinus (28, 2.) e Platone docuit, et Chrysostomus (T. 8, p. 413 ed. Paris.) exemplo Ioannis (13. 1.) illustravit: μεγαλοφρόνως (non sine magna dignitate) ὁ εὐαγγελιστὴς μετάβασιν τῦ χριςῦ τὸν θάνατον καλεῖ. Quae oratio ut fortasse mentem exsuscitat ad voluntatem non moriendi, sed ad deum transeundi: ita huiusmodi periphrasis a Longino ὑψηλοποιοῦσα et ὀγκοῦσα dicitur. Cavebimus tamen, ne quidvis ex hoc genere τοῦ σεμνοῦ sublime censeamus, cum saepe circumlocutio, dignitatis efficiens, non nisi *decus* aliquod rei inferat, aut duritiem *mitiget*, aut rem non admodum magnam paulo *maiorem* splendidioremque reddat. Nam aliud est, rebus speciem aliquam conciliare, aliud orationis sublimitate uti: unde mihi Xenophontius locus, de quo Longinus (28, 3.) egit, non sublimis videtur.

Quod si, praeter veram sublimitatem, rebus aliis tribuitur idem nomen, non frustra videmur admonuisse, ubique de subtiliter interpretanda definiendaque notione cogitandum esse, ut ipsa res suo nomine insigniri possit.

Veniam ad praesidia sublimitatis orationi conciliandae, non omnia quidem, (nam non nulla veram sublimitatem haud dubie continent,) sed ea, in quibus parum attentus fortasse a vero deflectat.

Vult ergo Longinus, magnarum rerum describendarum causa eas περιςάσεις seligi, quae earum magnitudinem potissimum contineant (c. 10.), utiturque his verbis, τὸ ἀδρὸν, τὸ ἄκρον, τὸ ὑπερτεταμένον: his enim oratione expressis, adfore sublimitatem. Recte; si modo res ea fuerit magnitudine, ut vel ad primum, vel ad secundum genus revocari possit, qualis est Sapphus amor et Homerica procella. Sed omnino magnae rei magnae περιςάσεις, quantumvis cumulatae, numquam sublimitatem veram efficient. Ausim itaque negare, Demosthenicam descriptionem tumultus, qui

qui Elatea capta Athenas turbarat, sublimem esse, quamquam Longinus (10, 7.) exemplis verae sublimitatis eam adiunxit. Cum enim per se adpareat, si qua hic quaeratur sublimitas, eam in percellendo positam esse debere: multa quidem in hoc loco animadverto, quae terroris magnitudinem significent; sed nihil, quod, quia capere non possim, me percellat: nam talia, tali tempore, pro singularum civitatum moribus, ubivis accidere solent. Si loca huiusmodi omnia poetarum, oratorum, scriptorumque aliorum sublimia censeam, vereor ut multos habeam adstipulatores.

Finitimus his est locus de phantasiis, quas et ipsas adiumentis sublimitatis adnumerat (c. 15.), cum res magna tam perspicue (ἐμφαντικῶς, ἐναργῶς) describitur, ut ante oculos versari videatur. Quod quidem eadem cautione eget, atque totum ab ipsa re pendet. Nam si ea fuerit res, ut percellat; erit eius descriptio haud dubie sublimis, nec differet hoc a primo genere: si tam celsus animi sensus, ut alterius animum exsuscitet; dicenda est haec sublimitas, et alteri generi (διάρματι) adnumerabitur: sin neutrum, et res tamen grandis ulla de causa; dixerim descriptionem, vitae ac motus plenam, ad vivum expressam, (vividam adpellare solent), sed nullo pacto sublimem *). Quibus probe distinctis, scribendo pariter ac iudicando ab errore inconstantiae nobis cavebimus. Neque enim satis est, si quis in huiusmodi φαντασίαν scriptoris alicuius inciderit, Longini locum de phantasiis laudare, et iam de sublimitate certum esse: sed quaeritur, e quo genere sit. Fateor, quae Aeschylus de heroibus impavidis scripsit, sublimia esse, cum, qui se morituros iurant, alium ad eamdem animi celsitudinem attollere soleant; sed quae Longinus (15, 4.) ex Euripide de Phaethontis coelesti cursu repetit, ea magna quidem sunt,

*) Bene Cicero (Tusc. 1, 16.) *grande carmen* dixit.

funt, et poetam, cum haec fcripfit, animo incaluiffe arguunt; fed quidnam infit fublimitatis verae, equidem non video; nifi vero omnibus locis, quae de folis curfu agunt, fublimitas tribuenda videatur. Omnino vereor, ne plerisque in locis huius capitis hoc unum effecerit Longinus, fcriptoris animum commotum, aut ἐυφαντασιωτὸν, defcriptiones rerum evidentes gignere: ipfe certe hoc diferte de fingulis exemplis admonuit.

Jam quid de fublimitate elocutionis ftatuendum videatur, proclive ad intelligendum eft. Nimirum, cum elocutio ultra fermonis communis morem ita fe attollit, ut rerum magnitudini refpondeat, merebitur fublimis aut fublatae *) elocutionis nomen; fed ipfum hoc, attollere fe verba, quotuplex eft, et quam diverfum ab rerum magnitudine, vel percellente, vel obftupefaciente! Nam mox aequabit oratio rerum *dignitatem* dignitate foni; mox animi *vehementiam* celeritate, repetitione, reticentia, interrogatione, audacia conftructionis, mox rerum *praeftantiam* delectu verborum, copia, ornatu: ideoque his omnibus modis orationis conformatio intellectum rei, quantum poteft, adiuvat: fed illam perculfionem et elationem animi, qua vera fublimitas cenfetur, numquam adfequi poterit; immo adeo, quantumvis fimpliciter et ad vitae communis confuetudinem ea, quae vere fublimia funt, dicta fuerint, omnem tamen vim fuam exferent **). Si ergo vera fublimitas fine elocutione tali locum habet; fi habitus, delectus, numerus orationis fublimis omnino a re pendet, fine qua in tumoren abit; fi tantum eft adiumentum facilius fentiendae granditatis rerum; fi denique

*) Sic Cic. Brut. 55. eam adpellat. Ex ipfo loco adparet, fplendidam eamdem et magnificam effe, qualem fupra defcripfi.

**) v. *Sulzeri* theoria bonar. artium et literar. in v. *Erhaben*.

que fieri poteſt, ut in ea iudicanda argutemur, et ſcriptoribus affingamus artem de qua ne cogitaſſe quidem videntur: magnopere cavendum erit, ne habitus orationis nos fallat, nec dubitari poterit, in hac parte ſublimitatem multo aliter, quàm in priore, dici.

Satis, opinor, variavit Longinus ſublimitatis notionem, omnique hac diſputatione abſoluta, quae ſingulis verbis, praeſertim tropicis, vis ac poteſtas ſubiecta ſit, hac veluti tabula proponere lubet:

Dictum ὑψηλὸν eſt a magnitudine animi profectum, aliorumque animum exſuſcitat.

Adfectus ὑψηλὸς eſt vehementiſſimus aut generoſus.

Eventum ὑψηλὸν eſt, quod percellit.

Φαντασία ὑψηλὴ interdum eſt evidentiſſima.

Deſcriptio ὑψηλὴ interdum eſt plena motu, vita, calore, ſ. ad vivum expreſſa.

Περίφρασις ὑψηλὴ interdum eſt dignitatem rei concilians.

Figura ὑψηλὴ ſemper eſt congrua adfectus aut rerum vehementiae.

Numerus ὑψηλὸς ſemper eſt conveniens vehementiae, celeritati, granditati.

Delectus verborum ὑψηλὸς ſemper eſt conſentaneus dignitati rerum aut magnitudini.

Non ſunt ergo omnia, de quibus Longinus ſcripſit, unius eiusdemque ſublimitatis.

Quod ſi libere mihi fateri licet, quo modo quis Longini hoc libro uti debere videatur, diſcat primo verae ſublimitatis naturam, praeſidia, exempla: tum mihi attendat, in

usus oratorum praecipi, partim quae res vim atque vehementiam orationi concilient, ut exaggeratio, descriptio, adfectus; partim quae elocutio se ultra sermonem visitatum attollat dignitate, numero, ornatu, delectu; et quam prope absit ab sublimitate, qui cum his rebus hanc elocutionem coniunxerit: in omni denique hac re cogitet, veram sublimitatem ab ea *rei* magnitudine proficisci, quam describere conatus sum. "

Ex Animadversionibus iam quædam seligenda videntur. In universum illud observavimus, Cl. Morum nihil non fecisse, quod in Philologo et Critico diligente requiri posse videatur. Cuius rei haec sint, verbis auctoris, exempla. C. III. p. 12. v. 9. *κατανθρακώσομαι.* Inest in hoc verbo omnino quidem notio *comburendi* aut *torrendi:* unde Hesychius, *κατανθρακῶσαι· κατακαῦσαι, κατοπτῆσαι.* Sed huiusmodi explicationes, ut fit in Scholiis atque glossariis, vim verborum utcumque declarant, verbo usitatiore, cum rariore permutando. Itaque tum, cum *κατανθρακοῦν* et comburere coniunctim ponuntur, adparet, *κατανθρακοῦν* non esse simpliciter, *comburere*; sed aliquid comburendo adiunctum, quod, quantum potest, vertendo exprimi debet. Jam ut in Sophoclis Electra (v. 58.) *δέμας φλογιστὸν*, et *κατηνθρακωμένον* est, *combustum et in cineres mutatum*; ita in Longini loco *τὴν στέγην πυροῦν* et *κατανθρακοῦσθαι* erit, *aedes comburere et in cineres* (carbones) *mutare.* Idque nunc malim, quam quod in versione posui, *carbonibus opplere*, etsi hoc quoque ferri potest. Cap. IV. p. 26. v. 6. *φωρίου.* Est *τὸ φώριον* primo idem, quod *κλέμμα*: deinde rem furto ablatam, quam quis male sibi vindicavit, significat: denique id, quod occulto fit, et furtim. Tertiae significationis exempla Suidas Tom. 3. p. 629. collegit: alterius vero exemplum est in Josephi Archaeologia (5, 1, 10. et 24.) Achanes, qui in rem, ab alio amissam furtoque expositam, inciderat, eamque cupide rapuerat, convictus,

victus facinoris, ὡμολόγει τε τὸ κλέμμα, καὶ τὰ φώρια παρῆγεν ἐς μέσον, *fassus est, et ipsam rem, furto ablatam, in medio posuit.* Quae cum ita sint, Longinus καθάπερ φωρὸς ἐφάπτεσθαι de eo usurpavit, qui ingeniose ab aliquo dictum alteri *sublegit*, atque *cupide* sibi vindicat, et imitatur. Cap. V. p. 28. v. 12. τὰ κάλλη τῆς ἑρμηνείας, καὶ τὰ ὕψη, καὶ αἱ ἡδοναὶ, (i. e. τὸ ἡδὺ) ἐπίφορον εἰς συνταγμάτων κατόρθωσιν. Quaesivi, unde tropum hunc ducerem ἐπίφορον εἰς κατόρθωσιν, *adiumentum bene scribendi*: occurrit autem quaerenti ratio triplex. Nam primo, qui proclives sunt ad aliquid, dicuntur ἐπίφοροι πρός τι, *qui ad eam rem velut animo feruntur*, (ἐπιφέρονται): ut in Heliodori Aethiop. 3, 10. extr. ὁ μεθύων ἐπίφορος πρὸς τὸ ἐρᾷν, *ad amorem proclivis*: aut in Clementis Alex. Strom. l. 2, p. 408. ed. Sylb. ψυχαὶ εὐεπίφοροι, *mentes leves*, *quae facile inclinari possunt*, honore, pulchritudine, voluptate, de quarum rerum illecebris Clemens illo loco agit. Unde etiam apud Suidam: ἐπίφορος· ὁρμητικός. Jam etsi fortasse ornatus dici potest proclivis ad virtutes et vitia orationis, quatenus utrumque facile teneri potest ab eo, qui ornatui studet: tamen hoc mihi praeter modum durum visum est. Transii ergo ad aliud. Nempe constat, ventum *ferentem* f. secundum, ἐπίφορον dici, ut in Thucydidis loco (3, 74.) aura, quae flammam incendii fert, atque urget versus aedificia. Erit igitur ornatus ἐπίφορος (ὃς ἐπιφέρει) ad bene scribendum, *qui eo ducit*, qui confert et adiumento est. Hoc vero, ut est facillimum ad intelligendum, ita usitatius dicitur, συμφέρον εἰς τοῦτο. Examinavi quidem etiam Platonicum illud, τοῦτο ἐπιφέρει τι ἐκείνῳ, *hoc tribuit alteri aliquid*, ut hoc iam sit rei attributum; sed, praeterquam quod alia syntaxis est, ad sensum nihil prodesse vidi. Itaque praetuli medium illud, quod nunc ex Thucydide illustravi, etiamsi in eo haereo, quod Longinus ἐπίφορον εἰς — dixit, cum πρὸς fortasse melius fuisset. Cap. VIII. p. 36. v. 9. πηγαὶ γονιμώταται. Etiamsi γόνιμος in lexicis non habet significationem *genuini*, tamen Hesychius γόνιμον sic explicat, ut sit γνήσιον, veluti cum filius

genuinus dicitur, qui non est adoptivus. Etiam Suidas in παρακεκινδυνευμένον (T. 3. p. 31.) utitur Aristophanico loco e Ranis (v. 96.) ubi γόνιμος ποιητής, eodem Suida auctore, est *verus*, *germanus*. Cum ergo γόνιμος, et fecundus, et *genuinus* verti posset, non dubitavi posterius praeferre; neque enim quaeritur hoc loco, qui sint *fecundi* sublimitatis fontes, sed quaenam *vera* et *certa* eius caussa sit. In alio Longini loco (44, 3.) libertas, quae est νᾶμα γονιμώτατον verae eloquentiae, ut opinor, verissima et certissima eloquentiae causa dicitur. Cap. X. p. 70. v. 19. τὸ πάθος ἀπεπλάσατο non recte verti, *adfectum effinxit:* nam πάθος est *casus*, ipsum naufragii periculum. De re etiamnum teneo, quod ad illum locum dixi, Longinum in illo ὑπὲκ argutatum esse. Quis nescit, διὲκ, et διαπρὸ centies in carminibus occurrere, ipsumque illud ὑπὲκ in soluta oratione, ut in ὑπεκκαίειν, ὑπέκκαυμα, et aliis. Cap. XI. p. 74. v. 5. ἀγῶνες non tam videntur esse *causae forenses*, quam omnino *rei administratio*, *actio*. Ut enim βίος ἐν ἀγῶνι est vita negotiis occupata, actuosa, veluti cum Chrysostomus T. 11. p. 737. βίον ἐνεργὸν et ἐναγώνιον ab eo distinguit, qui est μεστὸς ῥᾳθυμίας: sic ἀγὼν esse poterit *ipsa actio* et contentio, ipsa rei administratio. Certe ἐναγώνιον πρᾶγμα c. 9. est res, quae cummaxime administratur et geritur. Cap. XIII. p. 88. v. 16. καλὸς καὶ ἀξιονικότατος ἀγών τε καὶ στέφανος. Verterim brevius: *praeclarum et eximium* (optabile, expetendum,) *certamen ac praemium*. Nempe aliter res, aliter homo dicitur ἀξιόνικος. Cum homini tribuitur, quo quidem sensu saepissime occurrit, intelligunt eum, qui dignus est cui victoria contingat, ut Imperator ἀξιόνικος, (Dio Cass. 41, 55.) aut ἀθλητὴς πολλὰ πονήσας καὶ ἀξιόνικος, *qui multo labore victoriam meruit*, (Xenoph. Cyrop. 1, 5, 7.) Sed res ἀξιόνικος, veluti digna, cuius consequendae causa victoriam optes, est expetenda, eximia, optabilis: sic enim nisi fallor, Philo, (T. 2. p. 166. nomen Dei ἀξιόνικον καὶ ἐπαξιέραστον adpellat,

adpellat, *eximium*, quo nullo pacto abuti licet, ne tum quidem, cum de idolis fermo eft. Cap. XV. p. 104. v. 1. Οἰδίπυς ἑαυτὸν θάπτων. Sepeliit fe Oedipus, cum oculis et confpectui hominum ipfe fe in perpetuum fubtraxit: eo ufque enim patent fines huius verbi, ut omnino fepultus dicatur, qui fub mortem ullo modo e confpectu hominum remotus eft. Nimirum Oedipus ille coecus, qui mortem praefenferat, fine duce adiit ad locum, in quo fulmen eum abfumturum erat, nec quisquam pofthaec cognitum habuit, quo loco fitus effet. Quae fi ad narrationem de Mofe transferantur, facile conftabit, hunc ideo a Deo fepultum dici, quoniam vis voluntasque divina effecerit, ut e confpectu hominum auferretur, nec, quo loco fitus effet, ulli conftaret. Cap. XXVI. p. 148. v. 7. ἀπερείδεσθαι τὸν λόγον πρὸς αὐτὰ τὰ πρόσωπα, *convertere orationem ad lectores ipfos*, *eos adloqui*. Mire variatur ufus huius verbi; omnibus tamen exemplis comparandis haec feries fignificationum texitur: *adplicare alteri* (Hefych. ἐναπερείδεσθαι· ἐμπῆξαι), *imponere* (v. Suidas) *adfigere* et *infigere* (v. Steph. Thef.), *convertere et dirigere aliquo*, (v. Cel. Erneft. Gloffar. Polyb.) *coniicere aliquo*, *tribuere* f. *adfcribere alicui*. Ἀπερείδεσθαι τὰς ὀδυρμὰς ἐπὶ τὴν τύχην, dixerat Plutarchus (T. 2. p. 123. med. ed. Baf.) *luctum et moerorem tribuere fortunae*, culpa in fortunam coniicienda: nam paulo poft de eadem re τὴν τύχην αἰτιᾶσθαι ufurpavit. Arifteas, ubi de Aegyptiis loquitur (p. 276. ed. Dalen.) τὴν ἀπέρεισιν, inquit, ἐπὶ θηρία πεποίηνται, καὶ ταῦτα προσκυνῦσι, *delati funt ad beftias, divino cultu venerandas*. Non ergo mirum eft, cum verbi huius ufus tam late pateat, Longinum ita locutum effe, ut paulo ante locum interpretati fumus: nam ἀπερείδεσθαι omnino eft, efficere, ut alterum fit alteri propinquum, et, fi translate dicatur, ut ad alterum pertineat, ei contingat, idque ullo modo adficiat. Unde Clemens Alex. (Strom. 2. p. 408. C. ed. Sylb.) ἀπάτην τῇ ψυχῇ ἐναπερειδομένην dixit, *opinionem vanam*, *animo infidentem*.

Cap.

Cap. XXXII. p. 170. v. 9. Cum Demosthenes in vehementiore adversus malos cives disputatione, multos tropos cumulat, dicitur ira oratoris multitudinem troporum obscurare, h. e. impedire, quo minus quis offendatur eorum frequentia, eamque animadvertat: ὁ τοῦ ῥήτορος κατὰ τῶν προδοτῶν θυμὸ τῷ πλήθει τῶν τροπικῶν ἐπιπροσθεῖ. Hic, cum omnibus Longini interpretibus, in verbo ἐπιπροσθεῖν erravi, cum verti, *irruit:* sic enim alii ceperant; alii, *palam fit, et se prodit.* Sed error est liberaliter retractandus. Nempe ἐπιπροσθεῖν τινι est, oppositum s. *obtentum esse alteri,* id ita tegere, ut adspectus impediatur. Nam primo, in quo est fundamentum, apud Xenophontem (Cyrop. 1, 4, 24.) ἐπίπροσθεν ποιοῦμαι τινὰ significat, aliquem sic ante me colloco, ut post eum tectus lateam: cf. 3, 3, 15. Hinc ipsa res, quae alteram obtentu s. oppositu tegit, dicitur ἐπιπροσθεῖν, h. e. auctore Suida, ἐπισκιάζειν, et ἐκ τῶν ἔμπροσθεν ὑπερανέχειν. Praeter exempla in Thesauro Stephaniano collecta, equidem haec reperi. Clemens Alexandr. (Strom. 4. p. 490. A.) de ratione, quae nullo rerum externarum respectu impeditur, quo minus verum videat: τὸ ἡγεμονικὸν μηδὲν ἔχει ἐπιπροσθοῦν τῇ δυνάμει ἑαυτοῦ, nihil habet, quod ita se opponat, ut ne dispicere verum possit. Theodoretus (in Ezech. T. 2. p. 670. ed. Hal.) eodem fere modo, ἀχλὺς ἐπιπροσθοῦσα τῷ τῆς ψυχῆς ὀπτικῷ, *caligo mentis aciem obnubilans &c.* Sufficient haec pauca, ipsis Auctoris verbis relata. Vehementer videtur hicce libellus commendandus iis, qui ad interpretandum aliquem antiquum scriptorem, imo libros sacros, accedunt, ut inde discant, qua via et ratione ad analogiam linguae, et ad certas observationes, investiganda sit vera atque probabilis verbi notio, item, quomodo reperta notio idoneis auctorum locis confirmari illustrarique debeat.

LA CONSTITUTION UNIGENITUS deferée à l'Eglise universelle: ou Recueil général des Actes d'Appel interjettés au futur Concile Général de cette Constitution et des Lettres Pastoralis Officii, par M. le Cardinal de Noailles, Archevéque de Paris, et beaucoup d'autres Evéques de France, par un grand nombre de Chapitres d'Eglises Metropolitaines, Cathédrales, et autres, d'Universités, de Facultés de Theologie, d'Abbayes, de Curés, de Celrgés, de Communautés Seculières et Regulières, et par une multitude de differens Particuliers de presque tous les Diocèses: avec les Arrests et autres Actes des Parlemens du Royaume, qui ont rapport à ces objets. Tome PREMIER, SECOND *et* TROISIEME.

à Cologne, aux dépens de la Compagnie, (aut potius in Batavia ut typi chartaeque declarant,) anno CIↃIↃCCLXIX complectiturque totum opus IↃCCCXCVI plagulas in Folio maximo.

Famosa illa Bulla Unigenitus &c. quae intue ab orsuo maximos et ecclesiae, et reipublicae Gallorum, motus progenuit, cum in Historia, tum in Iure Ecclesiastico recentiori, tam notabilis est, ut Actorum publicorum, quae ab ea originem duxerunt, collectio authentica maximae sane foret uti-

M litatis

litatis. Cum horrore enim ex altera parte rationes iniuſtas atque nefandas, quas Societas quaedam famoſa ad illam perferendam confirmandamque iniit, ex altera, tela ab adverſariis illi oppoſita conſpicimus. Praeterea non immoti videmus, quae et quanta inde in omnes ordines mala redundarint. Ex Praefatione ſcripta ao. CIↃIↃCCLXII. apparet, librum ipſum duodecimo demum anno poſt in publicum prodiviſſe, quam typis iam eſſet expreſſus. Sed morae cauſſae non ſunt additae. Anonymi, qui edendum illum curarunt, ex multitudine Provocationum Interceſſionumque, et aliorum contra Bullam ſcriptorum longe uberrima, ea tantum ſe elegiſſe teſtantur, quae publicae eſſent auctoritatis, i. e. quae aut ab auctoribus ſocietatibusve, quarum nomina inſcripta haberent, eſſent agnita pro ſuis, aut in publicos Actorum commentarios relata, aut a viris publico fungentibus magiſtratu, pro certis fideque dignis habita. Sed dolent ſimul, partim librariorum, partim deletae exemplaris ſcripturae culpa nomina interdum aliena irrepſiſſe, quibus, quantum fieri poſſet, emendandis maximam dediſſe operam fatentur, adiecto inſuper cuique Tomo vitiorum ſummario.

Operis vero totius argumentum atque diſpoſitio tribus abſolvitur partibus, quae, ob nimiam ſecundae partis magnitudinem, quatuor Volumina efficiunt.

Prima pars Acta Eccleſiae Pariſienſis habet contra Bullam, quae et ipſa eſt in fronte. Sed ut confuſioni caveretur, ea in V. Epochas ſunt ordinata atque redacta. Harum prima Provocationem quatuor Epiſcoporum (de Mirepoix, de Senez, de Montpellier, de Boulogne,) Pariſiis contra Bullam editam; altera Appellationem Noallii Cardinalis Archiepiſcopi Pariſienſis, quam mira provocationum et Pariſiis et in Provinciis interpoſitarum multitudo ſecuta eſt; tertia interceſſionem vel medelam A. CIↃIↃCCXX. interpoſi-

positam, e qua insimul fortem constantemque Appellantium animum videre licet; quarta Concilium Embrunense, in quo iidem se appellantes magna cum animi gravitate gesserunt; quinta demum Archiepiscopale regimen Vintimillii Cardinalis, Noallii Successoris, continet: hic, quanquam omnia ad Parochiam Parisiensem edicto illi Pontificis Romani subiiciendam tentasset, tamen, prae viribus illi oppositis, conatum perficere non potuit. Cuique praeterea Epochae, litterae ad eam explanandam utiles, pro virorum, Collegiorum, Societatumve, quae in lucem eas emiserunt, discrimine, adiunctae sunt.

Secunda pars Acta aliarum Galliae Dioecesium contra Bullam prolata complectitur, et quatuor ordinibus inferioribus constat: horum primus Parochias, quarum Episcopi ipsi se appellantes professi sunt; alter, quarum Episcopi non modo nomina Provocationi non subscripsere, sed opprimere eam potius studuerunt; tertius Ordinum, Societatum, aliorumque Ecclesiae Romanae Collegiorum Acta in classes quasdam divisa; quartus Bullae a quibusdam Societatibus Collegiisque receptionem, una cum declarationibus illi oppositis, enumerat.

Tertia pars, Decretis propositisque ab Ordinibus regni Gallici contra Bullam prolatis repleta est multasque in Epochas, quae a fatis plerumque Curiae Parisiensis summae, quae, ut satis notum est, cum Bullam aspernaretur, ex urbe eiiciebatur, originem duxerunt divisa est. Ea ad ius reipublicae Gallorum politicum explicandum imprimis apta est. Aliorum vero Principum Decreta, ad Bullam opprimendam, malaque, quae inde haud dubie orientur, avertenda, edita, opportune parti huic adiecta sunt.

Cuique praeterea Tomo Introductio historica ad Actorum historiam contextumque explicandum, praefixa est.

 Sed

Sed esset optandum, ut in tanta libri tam egregii caritate, hae Introductiones aut ipsis auctorum verbis, aut versione aliqua expressae, ederentur separatim. In eiusmodi enim libro certissima, et cum Actis ipsis convenientissima Bullae illius esset historia, quam quidem habere plerorumque huius libri fautorum, extra Galliam degentium, magis fortasse interesset, quam ipsa Acta coacervata perlegere. Hoc temporis dispendium est; illud autem lucrum foret certissimum.

Aufklärung des Buchs Daniels für den Verstand und das Herz.

i. e.

DILUCIDATIO LIBRI, A DANIELE scripti, in usum intellectus et pietatis, edita a IOANNE CHRISTOPHORO HARENBERGIO, Praeposito Coenobii S. Laurentii supra Schöningam &c.

Blankenburgi, MDCCLXXII. 4 Alphab. 16 plagg. quaternis.

Auctori iam libuerat, cum lectoribus nonnihil huius operis in suo *Amoso exposito* pag. 522 — 579. communicare, evulgato Lugduni Batavorum 1765. 4. *apud Ioannem le Maire et Cornelium van Hoogeveen, jun.* Visum

Visum fuit viris non paucis, studii sacri exegetici fautoribus, institutum adprobare, auctorique esse suasores, ut omnem Danielis librum commentariis, adiumentis necessariis praemunitus, illustraret. Nutui huic obsecutus est Auctor, ope laboris usus, quam sibi ex cura et attentione annorum non paucorum comparaverat. Opus ipsum in partes duas distribuitur. Priore complexus est popularem e contextu sermonis hebraei et chaldaici exortam interpretationem, seu potius paraphrasin, notis passim firmatam, adiecitque ea, quae ad criticam faciunt, et ad chronologiam, geographiam, ac instituta ea prisca pertinent, sine quibus expositio ipsa talo satis firmo insistere haud potest. Pars posterior hanc exhibet expositionem passim non ita expeditu facilem, ut in eam blandus pronusque aditus patescat. Nodos, quos intra expeditionis terminos evolvere vel coërcere haud licuit, subiecit Auctor tandem expositioni ad finem perductae, cum vindiciis contra varias criminationes in Danielem, et obiectiones in narrata et praenuntiata a Daniele conceptas, et contra explicationes numerorum propheticorum falsas. Adiicitur tandem theologia, quae libro inest Danielis, atque ex eo hauriri potest. Operi universo praemissa est praefatio, et alphabetica scriptorum recensio, qua Auctor vel est usus ad suffragia, vel ad enuntiata sua confirmanda et stabilienda. Non enim pauca deprehendit Vir cel. in Daniele, quibus lux clarior est admovenda. Si quid lucis ex cura posteriore, ac meditatione iterata, Auctori firmius pulcriusque adparuit, id ipsum inseruit praefationi.

Parti priori subdidit A. chronologiam, annis 490. accommodatam, initio belli, quod Nebucadnezar Jehoiakimo Regi Judaeae intulit, attemperandam et cum anno secundo Dan. 2, 1. aptandam. Tum vero vitam, acta, scripta Danielis, et scriptorum eius genuinorum fidem atque autoritatem edisserit. Deinceps, quid in Ctesia et Xenophontis Cyropaedia insit naevorum, qui a commentatore veri studioso sint reiiciendi et exauctorandi, diligenter ostendit. Tandem fidem et auctoritatem canonis astronomici, quem denuo lectoribus exhibet, tuetur contra varios alucinatores novosque oppugnatores. Ultimos Babyloniae Reges, cum Daniele et cum canone in concordiam redigit, addita eorum genealogia; pag. 245. quam non obstare loco Jer. 27, 6. 7. demonstrat. Cum Gothofredus Kohlreisius praecipue in eum canonem aspera sustulerit cornua, Autori libuit argumenta recens efficta amoliri. Exsilii Babylonici annos 70 summatim computare docet; pag. 252. De annis canonis, huiusque habitudine et initio disserit. Hinc progreditur Auctor ad varia, inter expositiones Partis II. in usum traducta, ad linguam Babylonis aulicam, de philosophis Babylonicis tractationem, ad viros Aschaphim, ad Chaldaeos, ad Gaserin, Masschephim, nec non administros imperii politici, ad ministros intimos, ad Principes maiores et secundarios, satrapas, aliosque, quos ex

voca-

vocabulis, munia indicantibus, et ex linguarum sororiarum usu plerumque habemus comperta. Excipit virorum illustrium memoriam Colossus, imaginem praeferens, et ad hunc inaugurandum musica, dissertatio de Babylone non una, de Beli templo Babylonico, de flumine Euphrate, de fl. Chiddekel seu Tigri, de fl. Ulai, de regione Elam seu Elymaide, et de urbe Schuschan seu Susa. Haec ad Partem priorem dicta sunto. Pars posterior plena est permultis dictis, quibus idola specus et tribus sunt in nihilum dispersa. Monarchiae quatuor, expositionum Danielis systemata minus genuina, umbraticae et varie falsae supputationes annorum 490. opiniones de antichristo, pro varietate temporis variantes, ac refutationes multiplicis aberrationis historicae, nec non conatu ill. Voltarii in Danielis miracula, et Josephi de Alexandri Magni ad Hierosolymitanos iter, ac impetus in resurrectionem mortuorum, argumentis adversantibus repelluntur ac disiiciuntur. Non possumus, quin ea, quae lectoribus non ingrata esse posse videntur, tamen praetermittamus. Non enim nobis vacat libros reddere, quos indicamus per compendia, reddere descriptos. Id tamen memoratu non indignum videtur, ab Auctore *Observationes* Isaaci Newtoni, *in Danielis vaticinia* VIII, 5 — 26. XI, 3 — 32. anglice consignatas, in germanicum versas, et testium locis stabilitas esse; eas vero, quae in vaticinia consequentia

sunt

ſunt conſcriptae, adprobatas haud eſſe, ſed ab Auſto-re confutatas, ortas quippe ex hypotheſi, quam theologiae propheticae Vet. Teſt. minus eſſe accommodatam, aetas noſtra coepit pro explorato habere, et Auſtor argumentis non infirmis declarare ſic ſtuduit, ut vix dubitemus, quin ſecus arbitrati calculum ſint reduſturi. Promiſit, niſi fallimur, Auſtor, Meditationes in Ezechielem conſimiles, quas uſui publico profuturas nullum eſt dubium.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLXXIII.

NOTICIAS AMERICANAS: ENTRETEnimientos Physicos-Historicos, sobre la America Meridional, y la Septentrional oriental. Comparacion General de los Territorios, Climas, y Produciones en las tres especies, Vegetales, Animales, y Minerales: con Relacion Particular de las Petrificaciones de Cuerpos Marinos de los Indios naturales de aquellos Paises, sus costumbres, y usos: de las Antiquedades: Discurso sobre la Lengua, y sobre el modo en que pasaron los primeros Pobladores. Su Autor Don ANTONIO DE ULLOA, Commendador de Ocana, en el Orden de Santiago, Gefe de Esquadra de la Real Armada, de la Real Sociedad de Londres, y de las Reales Academias de las Ciencias de Stockolmo, Berlin, &c.

En Madrid, en la Imprenta de Don Francisco Manuel de Mena, Calle de las Carretas, MDCCLXXII.

Perillustris libri huius, de rebus Americanis, Auctor, e familia nobili ac doctrinae laude incluta, de *Ulloa*, cui Viri eruditi multos ex omni doctrinarum genere libros debent,

bent, ortus est; optimoque Iure a multis inter doctissimos Hispanorum numeratur. Est enim sine dubio idem, quem *Clarke* in epistolis, concerning the Spanish Nation. Epist. 4. Sect. III. una cum alio, ex eadem familia, Don *George Juan de Ulloa*, doctissimum Mathematicum appellat. Idem librum alium fortasse composuit, quem *Ant. Yves Goguet*, in libro de origine legum, artium, et disciplinarum, magnopere laudat, et cuius excitat saepius versionem gallicam: Voyage au Perou par Don Antoine de Ulloa, Amsterd. 1752 4. Atque eundem etiam, uti nobis videtur, laudat *John Millar* in his Observations concerning the distinction of Ranks in Society, Lond. 1771. 4. pag. 9. Ex illo praesens liber emanasse nobis videtur, ut quasi illius compendium esset. Auctor fortasse terram illam ipse vidit, etsi nihil in libro, de tali itinere reperias, quod hanc opinionem confirmet.

Totum Opus divisum est in XXII. Sectiones, quas oblectamentorum nomine inscribere ei placuit. Scopum finemque libri ipse declaravit in introductione erudita ac eleganti, ubi de differentia inter gentes cultas, et eas quae in statu naturali adhuc vivunt, pulchre disputat. Desiderium nempe, aliis communicandae notitiae Americae meridionalis, raritatemque librorum de rebus atque curiosis quae in magno illo tractu terrarum orbis videre licet, ait procreasse opusculum suum. Multis ibidem disputat de praerogativis cultarum gentium prae barbaris; de studio naturae, ubi admiratur sapientiam varietatemque illius; fructus porro, qui capi possint ex cognitione aliarum nationum, earumque antiquitatibus, usumque in diiudicanda societatis humanae historia, ex vita et moribus nationis, quae in statu naturali vivant, commemorat. Addit denique rationem, cur librum suum oblectamentorum titulo inscripserit. Promittit se omnia plane enarraturum esse, et ubique causam effectuum naturae additurum. Has omnes Sectiones,

percur-

percurrere hic conſtituimus, ut ii, qui librum ipſum legere non poſſint, ſciant quid contineat.

Obſ. I. Varium coelum varios habet proventus,

Naturae varietatem iterum laudat, quae dona ſua varie quidem diviſerit, unicuique tamen coelo ea largita ſit, quibus contentum eſſe poſſit. Uni dedit pinguitudinem terrae, alteri defectum eius aliis rebus ſarcivit. Multa A. profert, quibus America differat ab Europae regionibus, rationemque reddit, cur illa iam appelletur novus orbis, ſimul de collectionibus rerum naturalium agit, earumque uſum declarat. Exiſtimat, eum qui naturae operam det, in effectuum illius cauſas inquirere debere, etſi earum cognoſcendarum ſtudium perdifficile ſit. Sectio haec prima tota phyſica eſt, et amoena lectu.

Obſ. II. De indole Terrarum Indiae occidentalis &c.

Incipit de varietate, naturae, illamque ait efficere praecipue eius pulchritudinem. Uniformitas ſtatim taedium parit, varietas autem nos attentos reddit ad unumquodque particulare obiectum, efficitque, ut operam demus inquirendi in id quod ſit praeſtantiſſimum. Natura terrae dedit montes, valles, planitiem, fluvios, varioſque colores, ut nobis adimeret adſpectum uniformitatis illius, redderetque opus ſuum magis perfectum. Deſcribit deinde A. viciſſitudinem indolis variarum Americae meridionalis regionum. Sequuntur mox multae obſervationes ad Phyſicam, Geographiam, coelumque Americae meridionalis ſpectantes. Deſcriptiones iſtae de varietate et pulchritudine naturae perquam elegantes ſunt.

Obſect. III. De coeli temperatura, et climate variarum Americae regionum.

Solis hic describit vim, causamque cur regiones aliae aliis sint calidiores; ubi observationes doctissimae ad Physicam inspersae sunt. Computat ibidem caloris gradus uniuscuiusque Americae tractus.

Obs. IV. Continuatio eiusdem Argumenti.

Continet praecipue vicissitudines caloris ac frigoris, tempestatisque in universum, in hac terrarum parte.

Oblect. V. De variis coeli temperaturis partis Americae superioris, effectibusque quos producunt, et de causis eorum, quae ibi videre licet, contra generalem ordinem aliarum orbis partium.

Hic primo disputat de vicissitudinibus tempestatis partis superioris et inferioris, additque proventus, quos variae illae partes, pro eadem vicissitudine habeant, de quibus nonnullos adducere placet. Inter regiones frigidas, ea, quae Guancavelica dicitur, procreat solummodo Pumpam herbam, quae alio nomine *Batatas de Irlanda* vocatur. Hordeum ibi crescit quidem, non autem maturat; arboribus frugiferis omnino caret. In Iscuchaca hordeum maturat, ibique frumentum, et frumentum Indicum (Maiz), quae calidius coelum amant, etiam salices, Cedri, aliaeque arborum species inveniuntur. Mentionem facit A. morbi cuiusdam, quem, qui parti superiori non adsueti sint, raro vitent, quem *Mareo de la Puna* appellant, Punae morbum. Multum similis est morbo, quem ii experiuntur, qui trans mare eunt. Caput vertigine laborat, calor sentitur summo cum dolore coniunctus, vomitus sequitur, totumque corpus viribus deficit. Durat morbus iste duos dies, iique, qui semel illo laborarunt, raro experiuntur eundem de novo. Ipsa animalia locum illum transeuntia tantam sentiunt respirationis compressionem, ut iis necesse sit saepius sistere cursum, quod nisi faciant, statim concidunt. Incolae eius regionis credunt, multas metallorum venas montibus illis con-

contineri, evaporationemque Stibii, arsenici, et argenti vivi illud efficere; perill. autem auctor in contrariam partem disputat. Tota haec Sectio praestantissimas ad Physicam habet observationes.

Obiect. VI. De Productionibus Vegetabilium in variis illius terrae tractibus.

Hic de humiditate et calore, vegetationis causis, agit. Plantae quaedam, quae coelum frigidum amant, frigidis regionibus crescunt, et sic contra. Observationem autem addit, ordinarie regiones calidas abundare omni herbarum genere, naturamque quasi in his omni momento renovari; frigidis autem solummodo quasdam hinc et illinc sparsas videri, ne omnino sterilis habeatur. Multis de proventibus, variis regionibus propriis, dictis, pergit deinde eos ipsos describere. Parti inferiori Peruae adscribit frumentum Indicum, Sacharinum calamum, multasque alias plantarum arborumque frugiferarum species, quas in latinum sermonem transferre difficile est, quum Lexicon rerum naturalium Hispanicum nobis deficiat, eaque de causa earum nomina adducere non licet. Tres arbores praecipue, parti altiori ac frigidiori proprias, adducit, multisque describit, Quinuales, Especias, et Casiam. In tractibus non admodum frigidis plantam habitare ait, cuius nomen non addit, quae virtutem habeat mulieribus augmentandi lac, eandemque virtutem et alii adscribit, ab incolis Nunu-quehua appellatae; alii, nomine Hualhua, virtutem omnes vulnerum species curandi. Cascarilla, vulgo Quina, crescit parte superiori, tractibus frigidis. Calido coelo propriam esse dicit aliam plantam Hisp. Manzanilla, lat. Anthemis, Chamaemellum, a qua observat tumescere eos, qui caloris effugiendi causa, umbram illius quaerunt, aliamque *Guao* Hisp. magis venenatam esse ait. Multas ibidem alias A. adducit, earumque in medicina virtutes enarrat. Omnia illa excipit, enarratio de Professore quodam Parisiensi, Dom. Josepho de

 Jusieu,

Jussieu, qui anno 1735, cum aliis quibusdam eruditis Hispanis, hanc Americae partem adiit in herbarum virtutes inquirendi causa, qui omnes plantas collegerit, herbariumque confecerit, quod in reditu casu quodam amissum sit. Coca, peruviana herba, ibidem parte superiore crescit: describit usitatissimam hanc Peruvianis plantam, additque descriptionem Assae foetidae et Mandragorae, Chinesiis Ginseng, Tartaris Orhuta, ob similitudinem figurae humanae dictam; nationes illas, multas illi adscribere virtutes, ait. A, 1768. primo inventam esse hanc plantam in Luisiana, quam omni plantarum genere abundare dicit, nominaque praecipuarum iterum adponit.

Oblect. VII. De Animalibus illius terrae.

De animalibus Peruae sup. propriis A. incipit: inter ea primo numerat Vicunas, capelli Peruviani speciem, Alpacas, et Llacmas, figura fere similes, sed quae differant corporis habitu, proprietatibus, colore et lana. Alpacas et Llacmas mansuefieri possunt, non autem ea quae Vicunas appellantur: gregibus viginti quinque aut triginta capitum pascunt, habitant regionibus frigidis, sunt cursu veloces, aestimantur capiunturque ob lanam subtilem. Modum ea capiendi addit A. Pergit deinde ad Alpacas et Llacmas, quae domesticis usibus inserviunt, atque incolis pro onerariis iumentis sunt. Multis exponit insanum amorem, quo in animalia illa ducantur. Commemorat deinde Viscachas, cuniculi speciem, atque parte superiori ursos, sciuros, quorum quidam etiam volent; Cucuyo, animal parvum, quod nocte lucet, formicarumque species, multis describit. Haec Sectio multa curiosa naturae proponit.

Oblect. VIII. De vario Volatilium genere.

In Luisiana inveniri ait, Sinfonte, avem suavi cantu, quam describit: addit tres species, Hisp. Mariposas, Azulejos, Cardenales, Gall. le Pape, le Cardinal, et l'Evéque, pulcher-

pulcherrimis plumis; Pſittacos, multasque alias, tam aquaticas, quam terreſtres, multaque curioſa de iis adducit.

Obleĉt. IX. De variis piſcium ſpeciebus.

Deſcribit auĉtor Perill. hac Seĉtione multas piſcium ſpecies, huic terrae partim proprias, partim cum aliis communes.

Obleĉt. X. De Lacubus, fluviis, et de iis quae in illis continentur.

Eorum dat amplam notitiam, et quaedam de illis, nominaque eorum adducit.

Obleĉt. XI. De morbis variis ſecundum coeli varietatem.

Hic primum demonſtrat, unumquodque coelum proprios ſuos habere morbos, alios coelum frigidum, alios calidum. Parti ſuperiori proprios dicit, alvi compreſſionem, peĉtoris paſſiones, Pleuritidem, Rheuma, vallibus febres intermittentes ac putridas, quae ſaepius magnam hominum multitudinem evertant: multa de iis narrat, cauſamque, cur ibi regnent, addit. Morbum etiam venereum commemorat, dicitque, eum, cum ſpirituoſis potibus coniunĉtum, magnam cladem incolis adferre. Epidemiae generalis de anno 1759. triſtem omnino addit deſcriptionem, a qua neque canes fuerint immunes. Etiam variolae ſaepius deſolationem faciunt; qua occaſione multa habet A. de inoculationis utilitate. Lepram, Lazari morbum, frequentiſſimum eſſe coeli calidi, cum aliis multis; rationem denique unde proficiſcantur haec, reddit.

Obleĉt. XII. De mineralibus, in primis de argento.

Primum de proprietatibus ac effeĉtibus malis ac bonis auri et argenti, copioſe ac eleganter, ſuo modo, et de deſiderio inſano hominum illud poſſidendi, A. diſputat. Peruam

omnes

omnes metallorum species habere dicit, plumbum, cuprum, stannum, hydrargirum, aurum ac argentum. Semimetalla quoque, sal, sulphur, bitumen. Argentum praecipue frigido, aurum sub coelo calido invenitur. Narrat, plurimos quaerendo argento et auro omnia sua consumere, pauperrimosque inde reddi.

Est tota haec Sectio suavissima lectu.

Oblect. XIII. Super eodem argumento.

Hydrargirum mensuram esse argenti dicit, aut testis certissimus eius quod in fodinis latet. Laboratur autem illud per Amalgama, unde ex consumtione Hydrargiri colligi aliquo modo potest, quantum ex fodinis proveniat. Affirmat, contra aliorum opinionem, tantundem argenti adhuc inveniri, quantum ante 70 aut 80 annos. Non negat, multis quidem locis non amplius illud inveniri, sed rationem huius defectus addit, esseque novas quasdam inventas. Fodinae variis regionibus sunt dispersae Loquitur deinde de hydrargiro, fodinasque indicat, quibus inveniatur, modumque eius dispertiendi. Aerarium regis Hispaniae primis temporibus quintam partem hydrargiri et argenti accipiebat; anno autem 1737. ad decimam reducebatur argenti partem, et anno 1761. etiam ad hydrargiri, sed tantum ad duos annos, quod adhuc usu venit. Computat deinde ex consumtione hydrargiri, summam argenti, quae ex fodinis provenerit annis 1759 — 1763. quantumque exinde proventus aerario accesserit.

Oblect. XIV. De statu praesenti fodinarum, de iis ubi argentum hydrargiro, aliisque, ubi igne tractatur.

Laudat fodinam Huantajaya in Perua, in regione omnino sterili, ubi argentum, idque solidum, copiose quondam inveniebatur. Multa ibidem habet de difficultate, labore, ac impensis, ad educendum argentum necessariis.

Recenset

Recenſet magnas ſummas argenti, quas olim ab anno 1545. fodinae Potoſinae dederunt, ſtatumque illarum praeſentem, toto iam coelo differentem, modum illud ſignandi, et recipiendi decimam partem, quae in aerarium transfertur, addit. Limam maſſae deferuntur, ibi in argentum vertendae. Totam hanc Sectionem fodinarum hiſtoria occupat. Adducit nomina earum A. quae quondam divites fuerunt, earumque, quae in praeſentiarum non ſine fructu tractantur. Loquitur porro de iis, a quibus tractantur, ſunt ii Hybridae et Indiani. Sunt quidam, qui opere tributario ibi laborant, per ſex menſes, Hiſpanis Mitayos dicti. Diſputat contra eos, qui putant, labore illo incolas devaſtari.

Oblect. XV. De Hydrargiro et Sale, materiis neceſſariis ad tractandum argentum, deque fodinis, in quibus duae hae metallorum ſpecies inveniuntur.

Hic A. loquitur de Sale et Hydrargiro, neceſſariis ad amalgamatis compoſitionem, de fodinis quibusdam, in quibus habitant hae duae metallorum ſpecies, lapides materiaque deſcribuntur, cui adhaerent, aut in quibus inveniuntur. Magnam ſalis copiam habere ait, regiones illas, tam marini quam mineralis; quod ultimum iterum deſcribit. Haec Sectio multas utiles obſervationes ad Phyſicam habet.

Oblect. XVI. De Foſſilibus et Petrificationibus.

Exponit de deſiderio hominum praeterita ſciendi, ſcrutandique naturam, antiquitatum ſtudio, fortunae omniumque rerum creatarum viciſſitudine, et de expeditione quorundam Daniae eruditorum, ad eruendas Africae Aſiaeque antiquitates. Pergit deinde: Nihil omnino ſcimus de Americae hiſtoria, nemo veterum illius mentionem fecit. *Qua in re tamen multa in contrariam partem diſputari poſſent.* Ipſi Peruviani hiſtoriam ſuam ignorant; numerant XIII. Yncas. Auct. Cel. hic ſupponit, unumquemque illorum XXX. annos regnaſſe. Anno 1525. terra illa armis expugnata eſt, igitur

O non

non ultra sex saecula et dimidium progreditur. Post illud tempus omne confusum et fabulosum esse A. dicit. Quidam affirmant, tempore expugnationis incolas notitiam quandam diluvii habuisse, etsi confusam. Hodie nulla indicia illius inveniuntur, neque apud nationes devictas; neque apud eas, quae in libertate naturali vivere continuant; nesciunt omnino ideam diluvii universalis sibi formare. Historici, et antiquitatum studiosi, multam operam dederunt, ut invenirent illius vestigia, eosque illa sufficientia invenisse credit Auctor. Saepius enim inveniri ait, in montibus altissimis, pisces marinos solidis saxis incrustatos, et inter eos multos ita conservatos, ut caput, spinae, squamae, et reliquae corporis partes, adhuc observari et distingui possint. Variae etiam inventae sunt concharum species, mari propriae, multaeque plantae marinae petrificatae et saxis inclusae. Putat, omnia ea indicare, illas ab aqua esse relictas. In parte autem altiori, cuius montes altissimi sint in toto terrarum orbe, talia vestigia non esse, quae indicent ibi aquam quondam stetisse; quod Auctori doctissimo mirum videtur. Alias quasdam ibidem citat petrificationes, cuius rei caussam rationemque addit, pluribusque probare studet, aquam in illis regionibus fuisse. In Paucara planitie dicit Pyramides videri, colore subalbido, quae videantur opera naturae esse; sunt rotundae, et structae secundum omnes regulas artis; unaquaeque simplex et unum corpus facit, non omnes una eademque altitudine, sunt quaedam inter eas usque ad 30. pedes altae, cubique forma, plurimae adhuc integrae, rimas nullas, nec fissuras habent. Nescit A. an eas adscribat arti Peruvianorum, an naturae. Non alienus videtur a credendo, monumenta Dynastarum (de los Caciques) regionum adiacentium, qui ibi sepulti iaceant, esse. Inclinat adscribere Peruvianis veteribus artem liquefaciendi metalla, quod de veteribus quidam credunt occasione Obeliscorum: quam autem opinionem Yves Goguet, in originibus suis artium, legum, et scientiarum, probabiliter sane, ut earum rerum expertus,

pertus, refutat parte I. cap. 11. hisce verbis: Ii, qui talem opinionem adoptant, nesciunt sane, marmor et lapides liquefieri non posse, quod fieri solummodo potest arena ac silicibus. Etiamsi concedere vellemus, Aegyptios habuisse tale arcanum; nesciunt ne ii effectum liquefactionis talium materiarum, quae facta liquefactione in vitrum convertuntur? Loco igitur marmoreorum monumentorum videremus vitrea.

Oblect. XVII. De Peruvianis indigenis, eorumque moribus.

Incipit A. de iucunditate cognoscendi varios variarum gentium mores, statuitque, frigidum aut calidum coelum non esse sufficientem rationem et causam eius, quod incolae sint albo aut nigro colore. Distinguit varias illarum gentium stirpes; quaedam adducit de Getudis, qui aspectu horribiles sint, et loco crinium lanam habeant; describit Indianorum staturam a pedibus usque ad caput, eos variis coloribus se pingere, modumque pingendi addit, ceterum, omnia reliqua foeminis Peruvianis cum nostris esse communia: postquam enim se pinxere, speculum e manibus non deponunt, amantes propriae formae. Indiani quietem ac otium amant, et animo tranquillo maximas perficiunt crudelitates; corpus habent durum, caloris aeque ac frigoris patiens, potui spirituoso ultra modum dediti.

Oblect. XVIII. Continuatio eiusdem argumenti.

Eos magis perfidos, quam animosos, A. depingit. Si quando vincant, crudelior populus in terris esse non potest; victi autem, se excusare student, supplicantque summis precibus ut illis condonetur. Bella eorum consistunt in solis incursionibus, in sylvis se abscondunt, et ex iis in hostes prorumpunt. Nulla natio magis tectior esse potest, atque perfida. Insidias occultare norunt, usque ad rem confectam. Cuius quidem rei exempla multa A. adducit. Dies ac septi-

manas non numerant, attamen vicissitudines lunae noscunt. Si certo die aliquid agere, aut convenire illis placet, alteri nationi, cuius interest, fasciculum certo numero virgarum mittunt, sibique unum eodem numero retinent, ex quo protrahunt unoquoque die unam, et omnibus protractis, denique constituto die conveniunt. Omnes unam iniuriam vindicant. Iis, quos Hispani sibi subiecerunt, arma gestare non licet, quoniam illorum perfidia timetur: qua re Auctor victores excusare studet, quod iis utantur ad durissimos labores, nimirum ut domentur depriinanturque. Amant venatum ac piscatum, dormiunt parum, noctuque vagantur. Calor rediens, ac superatum frigus, annum apud eos conficit; non curant lunae aut solis cursum. Aetatem suam computant secundum annos, quibus eorum Dynastae (Caciquarum nomine noti,) regnarunt, aut magistratum gesserunt. Credit A. Peruvianos habuisse, regnantibus Incis, modum quendam conservandi facta eorum memorabilia, neque tamen indicat qualem. Ad summam aetatem perveniunt, quod adscribit eorum segnitiei et vitae duritiei, in modum animalium quam agunt. Multi, prima coniuge aetate provecta, aliam iuvenem sibi matrimonio iungunt; unaquaeque autem in domo habitat, liberosque suos proprios educat usque ad eam aetatem, qua patriam domum relinquere possunt. Conqueritur Auctor, eos pudorem Christianum noscere nolle. Consuetudinem pro lege habent. Tuguria eorum sunt rotunda forma, hominisque altitudine; tectum habent pyramidale; in medio tugurii ignem accendunt, ac circum illum iacent; aperturam aliam non habent, quam parvam ianuam. Aedificant ex lapidibus, luto et ligno, parieti foramina adplicant, in quae reponunt quidquid possident. Unaquaeque villa maiorem casam in medio habet, ubi conveniunt et consultant de omnibus rebus, e. c. quando, et quo venatum ac piscatum ire velint &c. ibidem convivia sua celebrant, frugesque omnes cogunt. Tuguria sine ordine ac confusa iacent, maximam partem fluviis proxima. Opus ruri faciunt sono

virili

virili tympanorum ac tibiarum. Illacrimatur perill. ac humaniss. Auctor fortunae Indianorum, qui tam duriter a dominis suis habeantur, disputatque contra illorum errorem, quo multi credunt, homines istos aliis populis esse dociliores. Modum eorum colloquendi cum aliis ibidem addit, hisce verbis: quando indigenae verba faciunt cum Europeo homine, faciunt id suo modo, gravissimis verbis ac sententiis usi, attamen sine omni ordine, per figuras, et comparationes cum sole, illius calore, luce, ac cursu, orationemque talem comitantur actionibus, gestibus, et signis demonstrativis; unam eandemque rem saepius repetunt, multaque dicere se credunt, cum revera nihil omnino dicant.

Oblect. XIX. De eorum religione et sepulturis.

Peruviani, aut ii qui habitant meridionalem Americae partem, adorabant sub Incarum imperio solem, illique templa aedificabant. Apud eas autem nationes, quae in libertate naturali adhuc vivunt, nulla sunt alicuius cultus vestigia; sunt valde superstitiosi, veneranturque quod casu ipsis offertur, saepius res vilissimas, non autem continua veneratione. Multis iam factis experimentis, nondum inveniri potuit, eos habere ideam quandam Dei, qui omnia creaverit. Habent sepulturas prope sua tuguria, suntque structae in altum. Ex eo quod cibum mortuis apponunt, auctor doctiss. verisimiliter colligit, eos ideam quandam alterius vitae habere: addit, certum esse, populorum multitudinem imminutam esse, cuius rei rationem adscribit usui potus spirituosi, morbo venereo, ac indignationi, quod aliis subiecti sint, et inviti laborare debeant, *non autem addit alias nobis optime notas*.

Oblect. XX. De Antiquitatibus illius terrae.

Memorabilia quaedam Peruvianorum reliqua sunt in eorum sedibus, sepulchris, et in iis rebus, quae ad quotidianum usum pertinent, e. g. instrumentis ferreis, aliisque, qui-

bus utebantur ad conficiendas reculas suas. Perua iam ante Incarum tempora omne genus tuguriorum habebat, sedesque fixas, ex quibus videre licet, illam prius quam alias huius terrae nationes cultam fuisse. Multa vestigia supersunt aedificiorum Incarum, quae maiora ac commodiora sunt aliis. Hanc tractationem excipit descriptio locorum, ubi sedes suas fixerunt, et circuitus eorum, palatiorumque quorundam Incarum, quae adhuc supersunt; et praecipue ruderum magni sane munimenti et templi antiqui, in valle Pachacamac ab incolis nominata, quod significat Deum supremum, invisibilem, ac ignotum, aut Creatorem. Omnia illa aedificia aedificata sunt e specie quadam lapidis lateritii, ex arena et terra facti; Peruviani tamen iam ignorant arcanum lapides hosce duros eoquendi. Moles illae statim post superatam gentem dirutae sunt, quoniam saepius sub illis inveniebatur aurum ac argentum. Auctor perill. credit, ea ab Incis aedificata esse, ut suo populo otioso, et ad seditiones proclivi, aliquid operae darent, quo amitterent tempus ac desiderium turbandi quietem: quam opinionem, falsam sine dubio, ut Goguët iam laudatus docuit, quidam et de Aegyptiorum Pyramidibus habuerunt. Veteribus Peruvianis Idololatria bene nota erat. Quod ad eorum mores peculiares attinet, ita refert A. Praesens tantum curant, et non sunt idonei ad conferendum futurum cum praesenti, et ad consequentias inde ducendas. Nullam ideam de Hispanorum religione sibi formare possunt; si Hispani illis dicant, diabolum esse malum, respondent, illum ipsis nihil mali fecisse, *attamen prudenter sane addunt*: sit ita. Ait A. sine magna difficultate eorum consensum ad omnia obtineri posse: quod ipsum sine dubio Hispani illos docuerunt. Curant praesentem solummodo diem, noluntque bonis operibus mereri aeternitatem, potius cupiditatibus suis hac in vita satisfacere nituntur.

Oblect.

Oblect. XXI. De operibus quibusdam Peruvianorum.

Primo a necessitate illos quarundam rerum inventionem edoctos esse, earum nempe, quibus carere non poterant; quasdam autem nationes iam usque eo progressas esse, ut quaedam, quae commoditati inservirent, invenerint. Arma omnes eadem habuerunt, nempe arcum ac sagittam; et apud eas nationes, quae in statu naturali adhuc vivunt, aliud armorum genus nondum invenitur. Inter eorum antiquitates, secundum Autorem nostrum, numerari merentur species quaedam variae securium, bipennium, ex cupro confectarum. Pergit A. deinde describere signa quaedam Superioritatis ac Iudicum, speciesque armorum. Veteres Peruviani metallorum mixturam intelligebant, quod arcanum autem iam nesciunt. Auctor perill. omnino miratur, quid causae fuerit, quod populi isti multarum rerum cognitionem amiserint, quam veteribus temporibus habuerint; inprimis inventionem rerum artificialium cur amiserint. Quod, secundum nostram opinionem, adscribi potest oppressioni in qua vivunt. Credit autem A. metalla eos miscuisse, ut cupro, ex quo instrumenta eorum confecta essent, duritiem quandam darent, et oculis satisfacerent.

Soli sacrificabant, gratitudine beneficiorum commoti, attamen ipsi figuram illius non fingebant: interne venerabantur Deum invisibilem Pachacamac. Est inter eos species quaedam hominum utriusque sexus, valde communis, quæ magis foedorum monstrorum quam hominum formam habet, Opas ab illis dicta. Sunt horribili adspectu, ac capite guttureque tumente, quos incolae divinos putant, quos consulunt in omni fortuna adversa, atque venerantur. Indiani indigenae id non faciunt; unde perill. Auctor credit, illorum venerationem a principibus eorum, Incarum nomine qui noti sunt, fuisse introductam. Animadversionem hoc loco A. addit:

addit: populos illos multum amare deformitatem, dimidiatasque sibi facere laryas; ut sint horribili aspectu, et hac ratione, ut sibi deos facerent, expressisse figuram Oparum, Nonnulli credunt, figuras istas esse diaboli imaginem, qua Indianis comparuerit, ut eos confirmaret in sui veneratione. Auctor tamen tam absurdam opinionem habere non videtur. Habent librae speciem quandam, sine examine, duabus planis lancibus, quae filis librili affixae sunt, cui est in medio aliud filum, quo in altum elevatur. Lapides illis pro pondere sunt, secundum quod vendunt Cocam suam, erioxylon, aliamque lanam, quae sunt omnes species, quas pondere vendunt, omnia alia venduntur ac emuntur solummodo ad mensuram oculorum. Liberi populi libram omnino non habent. Facit deinde A. comparationem morum populi istius cum aliis gentibus, quum adhuc in statu naturali essent, descriptionemque quorundam vestituum, qui in sepulturis adhuc inveniuntur, addit.

Oblect. XXII. De eorum lingua.

Sunt quidam eorum, inquit A. qui linguam Quitoam (Quichua) intelligunt, in ea opinione, eandem illi esse cum Ebraea originem, aut saltem magnam similitudinem, multaque in illa esse verba, eodem sono, quo in Ebraea. Optat perill. Auctor, ut aliquis eorum, qui eam optime teneant, addiscat Ebraeam, quo iudicare possit, an etiam eandem habeant significationem; additque, maximam partem esse talia verba, quorum vera significatio in Ebraea incerta sit, et credit hoc modo ea fortasse explicari posse. Infantes, quando balbutire incipiunt, primum verbum proferunt *Apa*, primam personam verbi *Apani*, *apanqui*, cuius imperativus est *apamai*: quam si quis animadvertit, intelligit, significari hoc verbo, velle se ut ipsis res, quam demonstrant, admoveatur. *Mama*, eorum lingua matrem significat. Non mutant haec verba aetate magis provecti, sed manet illis sua semper potestas.

Lingua

Lingua illa pauca habet verba, multas autem formulas; mutato enim accentu, mutatur etiam verbi significatio. Multae illorum propositiones in repetitione sola verbi praecedentis, mutato tantum accentu, consistunt, aut addita in fine alia littera, quae aliam statim significationem gignit: e. g. *Acacau* significat me urit, quum loquor de sole, igne, esca, aut potu; *Alalau* frigeo, *Ananau* dolet, mutata autem syllaba finali mutatur verbi significatio, *Alau – ni huay* commiserere mei, *Anallau* quid tam dulce!

Et tamen lingua ista regulas, Grammaticam, et Lexicon habet. Habet vero etiam multum leporis, suavitatis ac urbanitatis, nullaque alia illi anteponi meretur vocibus blandiloquis. Verbis ex aliena lingua non est intermixta, nisi quibusdam Ebraicis, quod auctorem credere iubet, populos eos, nisi sint omnino originis hebraicae, eos saltem in Judaeorum vicinia quondam habitasse, unde verba quaedam ab illis desumserint. Porro credit A. morum quandam adhuc similitudinem inter Judaeos ac Peruvianos in ueniri, quum retinuerint illorum voluntatem fallendi ac mentiendi, ceremoniasque ut amarent. *Judicium Auctoris de Judaeis in genere est acerbissimum ac iniquissimum, minimeque probandum.* Eorum lingua hanc vim habet, ut accentibus, quos verbis imponunt, animi commotiones exprimere possint: eam quidem in Perua variam dicit, attamen qui unam nosset, facile reliquas intelligere posse, ob magnam quam habeant similitudinem.

Valde dubius est A. in diiudicando modo, quo primi parentes ad eam terram peruenerint, creditque probabiliter, cum aliis eruditis, nauibus illud factum esse, et statim quidem post *diluvium.* Qua ultima in re dissentiendum nobis est ab ill. Auctore. Copiose sane, et iudiciose hanc materiam tractauit.

Ceterum librum hunc amoenum, auctoremque illius, virum fortem ac sapientem, certe enim qui rerum causas noscit, sapiens

 piens

piens appellari debet, iure meritoque omnibus qui ſcientias amant, commendare oportet. Eſt enim liber, non vulgaris quaedam Itineris deſcriptio, ſed talis, qualis tantum virum decet. Ubique in rerum, quas ibi animaduertere licet, cauſas inquirit, iuſtasque, ut opinamur, profert. Opuſculum Geographis inprimis utile erit aeque ac mathematicis; Hiſtorici, iique qui hiſtoriae naturali operam dant, facile perſpicient, neque ſe eſſe neglectos. Philoſophi qui in origines gentium in quirunt viamque Goguetiorum, Ferguſiorum, Rouſſeauviorum proſequuntur, et origines noſtras apud barbaros et indigenas recte quaerunt, multa legent, quibus philoſophiam ſuam, hiſtoriamque generis humani philoſophicam, augere poſſint.

THEORIA CORPORIS NATURALIS

Principiis Boſcouichii conformata, quam elucubrauit eſt P. NICOL. BURKHAEUSER, *Soc. Jeſu, Philoſ. in Univerſitate Wirceburgenſi* P. O.

Wirceburgi, MDCCLXX. 8. plagg. 233.

Totus hic liber eſt continua ſeries, et veluti catena propoſitionum, ita connexarum, ut poſteriores identidem ex prioribus conſequantur, aut intelligantur. Naturam corporis naturalis methodo Newtoniana A. inveſtigat. Demonſtrat inprimis, corpora conſtare ex elementis ſimplicibus, quae ſeſe contingere (mathematice ſcilicet) nequeant, adeoque nec illa unquam ad mutuum contactum pervenire poſſe. Tum ex corporum phaenomenis demonſtratur, ea praedita eſſe *vi motrice*, tum qua ipſa ſe moveant, ſi modo ad certam celeritatem et directionem motus a cauſis extraneis determinata fuerint; tum qua etiam motum in aliis corporibus, in minimis diſtantiis efficiant, et quidem *vi repellente*,

pellente, qua ſe invicem in minimis diſtantiis ad mutuos receſſus determinent, et *vi attrahente*, qua ſe invicem in maioribus diſtantiis ad mutuos acceſſus determinent.

Et harum quidem virium exiſtentiam ita demonſtrat, ut ſimul oſtendat, ſi ratiocinio uſque eo progrediamur quo licet, nihil denique reſtare, niſi ut cenſeamus, vires illas revera eſſe proprietates internas corporum, quamvis non intelligamus, quid illae ſint, et quemadmodum illae a corporibus tam varie relevantur. Vires dein attractivas in *vim cohaeſionis*, et *vim gravitatis* dividit, quas ita appellat, quia illa cohaeſionem corporum, iſta corporum gravitatem efficiat. Oſtendit poſt haec, vim gravitatis agere in ratione inverſa duplicata diſtantiarum; itaque omnia corpora, ad totum noſtrum ſyſtema planetarium pertinentia, in ſe invicem agere, adeoque dari *gravitatem univerſalem*. Tum rationem, quam vires illae inter ſe habent, determinat, dum oſtendit, vim cohaeſionis vi gravitatis, et vim repellentem vi cohaeſionis, longe fortiorem eſſe.

Conſtituit deinde *legem earundem virium*, quae eſt haec: In minimis diſtantiis agit vis repellens, ſic in ratione aliqua inverſa diſtantiarum creſcent, ut par ſit extinguendae cuicumque velocitati naturali, qua corpus aut punctum materiae unum accedere ad alterum poſſit: tum vero auctis nonnihil diſtantiis, vi repellenti ſenſim evaneſcenti ſuccedit vis cohaeſionis creſcens primum, et dein gradatim decreſcens: et haec denique, in diſtantiis maioribus et ſenſibilibus abit in vim gravitatis, quae ad diſtantias ſaltem diſtantiis planetarum et cometarum maiores pertinet, et in ratione inverſa duplicata diſtantiarum agit. Poſt haec A. demonſtrat, vires illas re ipſa nonniſi unam eandemque vim motricem eſſe, et praeter eam corpora non habere peculiarem quandam *vim inertiae*. Tum per easdem vires, earumque legem, explicat praecipuas maximeque generales proprietates corporum ut impenetrabilitatem, extenſionem, cohaeſionem, denſitatem,

tem, raritatem, fluiditatem, mollitiem, duritiem, diverſitatem, flexibilitatem, rigiditatem, fragilitatem, elaſticitatem et gravitatem. Oſtendit deinde, proprietates et mutationes corporum *nonniſi* per vires illas explicari poſſe, adeoque praeter eas nullam vim aliam corporibus ineſſe.

Et hinc denique A. concludit, in iisdem viribus naturam corporum, et elementorum, e quibus corpora componuntur, ſitam eſſe. Mox diligenter oſtenditur, tum in quibus tria illa ſyſtemata, *Leibnitianum*, *Newtonianum*, et *Boſcovichianum* conveniant, tum in quibus ea inter ſe diſcrepent. Sic ſyſtema ipſum Boſcovichianum, eiusque principia, partesque omnes et uſus, diſtincte explicantur, ſed ita, ut ſimul ea, quae Boſcovichius ipſe haud ſatis probaſſe videtur, accuratioribus ratiociniis confirmet, et ea, quae in ſyſtemate V. Cel. haud ſatis probari poſſe videbantur, correxerit. Nam praeter alia leviora, legem virium ab ipſo conſtitutam mutavit, reiectis *alternationibus virium*, quas ille admiſit; et reiecta *vi inertiae*, quam is cum Newtono ſumſerat, *novo ſyſtemate* perſpicue demonſtravit, reſiſtentiam omnem corporum a ſola vi repellente oriri. Quod quidem ſyſtema, in omni Phyſica, ad explicandas actiones et reactiones corporum, atque ad perſpiciendas leges cauſasque aequilibrii, tum ſolidorum, tum fluidorum, plurimum utilitatis habet, adeo, ut uno hoc ſyſtemate multae quaeſtiones phyſicae, quae nunquam ſatis explicatae fuere, et nulla ratione alia explicari unquam poterunt, facillime et pulcherrime explicari poſſint, totusque hic liber, vel ob ſolum hoc ſyſtema magna laude dignus eſſe videatur. Sed praeterimus multa quoque alia principia in hoc libro ſuppeditata, quorum in tota Phyſica ad explicanda naturae phaenomena, maximus eſſe uſus poteſt, et quibus proinde praeſtantia atque utilitas *Philoſophiae Boſcovichianae* ſummopere commendatur.

IOANNIS

IOANNIS GEORGII ESTOR, SERENISſimo et Potentiſſimo Haſſiae Landgravio a Conſiliis intimis in Regimine, Primarii Anteceſſoris atque Univerſitatis literatae Marburgenſis Procancellarii, Commentationum et Opuſculorum VOL. I. PARS. I. *graviſſima argumenta ex Iure Publico Germanico continens.*

Lemgoviae, typis Meierianis CIↃIↃCCLXVIII. PARS II. ibid. CIↃIↃCCLXIX. PARS III. ibid. CIↃIↃCCLXX. quae quae in univerſum efficiunt paginas 846. quaternis.

Quo lubentius omnino Quaeſtiones e Iure Germanico, imprimisque e Iure Imperii Germanici Publico petitae leguntur, et quo difficilius generis illius diſputationes academicae brevi temporis ſpatio confici poſſunt: eo optatior acceptiorque illa, ab ipſo *Eſtore*, a Conſiliis intimis in Regimine, viroque doctrinae fama clariſſimo, inſtituta Elaborationum ſuarum academicarum, quae ſparſim antea erant editae, collectio, fautoribus eiusmodi librorum eſſe debet. Harum tres priores partes Diſſertationes XIX. continent: 1) De principum iudicio, Furſtenrecht dicto, ac de recurſu ad regni concilium. 2) De iure primi fori, ſive beneficio primae inſtantiae Ordinum Imperii. 3) De iudice competente cauſſarum, quae de exemtionibus Imperii aguntur. 4) De repulſa, ſeu poteſtate Auguſti, repellendi Candidatum a pontificia dignitate, quod exclusivam vocant. 5) Deſcriptio iuris ad Sacra Evangelicorum pertinentis, exhibens iura et beneficia Auguſtanae Confeſſionis, eique addictorum. 6) Gründlicher Beweiſs des groſsen Unterſchiedes zwiſchen dem hohen und niedern Reichs- auch Landſaeſſigen Adel,

auch denen daher entſpringenden Miſsheyrathen. Quae Diſputatio, infelici connubio Domus Haſſiae Rothenburgenſis, diſſenſioneque inde orta, materiam praebente, ſcripta, huc uſque, quia pacto de ea re paullo poſt inito reprimebatur, prae ceteris rara fuit. 7) Meditationes de iudice ſuo ac legitimo cauſſarum, quae de exemtionibus Imperii de procerum numero aguntur. 8) De iure poſcendi auctoritatem publicam, quam litteras vocant credentiales, a legatis. 9) De iuribus quibusdam viduarum equeſtrium, ubi de ratione amittendi vitalitii dotalitiique, item de vera notione vocis Leibzucht, de donatione propter nuptias, portione ſtatutaria, et adquaeſtu connubiali. 10) De dotalitio propter ſecundas nuptias non ceſſante, vitalitio autem deſinente. 11) De cognominibus Auguſtalibus, ſive honorum nominibus provinciisque, quae ſacro Imperatoris Franciſci I. pii, felicis, et perpetuo auguſti, nomini adiiciuntur, ac titulos vocant. 12) Num Elector ſaecularis impubes ſit in tutela Electoris (Clerici) agnati? 13) De terrarum partitionibus illuſtrium Germanorum inter ſe, praeſertim ea, quae vocatur Todtheilung, illarumque effectis quod ad ſucceſſionem. 14) De iure Ordinum Imperii, decorandi honoribus militaribus, ubi origo ſtatusque ſummorum militiae praefectorum et ductorum ſuperiori et inferiori honore, vulgo Officiales vocant, cum ex Romanorum, tum Germanorum iure exponitur. 15) De dote filiae illuſtri nuptae ex domus pacto, extra patris concurſum, ut vocant, prae creditoribus paternis ſtatim numeranda. 16) De divortio praeſertim perſonarum diverſae religionis illuſtrium in Germania. 17) Demonſtrationis nobilitatis avitae opuſculum I. 18) Demonſtrationis nobilitatis avitae opuſculum II. 19) De conturbatione illuſtrium tentamen, ſive de cura Imperatoris St. Auguſti, ut aere diruti Status Imperii eo liberentur, vulgo Adminiſtrations - Commiſſion - et Debitweſen.

Tracta-

Tractatus isti, paucis annotatis, quae adiecta sunt, exceptis, integri omnes immutatique manserunt. Ante primam vero partem, praefatio, in qua Auctor celeberrimus breves aliquot ad Comitia Forumque Imperii Germanici summum pertinentes animadversiones edidit, collocata est.

Unpartheyische Abhandlung von dem Staate des hohen Erzstifts Salzburg, und dessen Grundverfassung ꝛc.

i. e.

DISCUSSIO HISTORICO IURIDICA IURIS regii Ducum Bavariae; et vera imago Archiepiscopatus Salisburgensis: Scripta A. 1765. typis vulgata A. 1770. pagg. omnino 430. in Folio.

Consilium in conscribenda hac dissertatione Auctor qui perhonorifico Salisburgi munere fungi videtur, duplex ut iam ex inscriptione ipsa liquet, secutus est. Primum ut Jus publicum constitutionemque Salisburgensem in ea exponeret. Atque ita dissertatio haec inter eos numeranda est libellos, quibus notitia Iuris Imperii Germanorum Publici, quae, nisi Constitutiones singulorum perspexeris regnorum, manca atque minoris utilitatis est, quam si hoc sis assecutus, mirum in modum augetur, praesertim si, ut hoc in libro factum, origo historiaque ordinationis rerum in Regno aliquo addita sit. Alterum eius consilium fuit, ut Ducum Bavariae imperium, summamque potestatem et relationem quae inter eos atque Episcopos Salisburgenses intercederet, inde ab antiquissimis temporibus deduceret. Quodsi

ſi ad hoc reſpexeris, ſane in Opere hoc adiumentum, ad illam de origine ſummi Principum iuris (*Landeshoheit*) opinionem incertam dubiamque diiudicandam, non ſpernendum invenies. Satis enim inter omnes conſtat, Ludovicum, ad famoſam illam hypotheſin ſuam probandam, in enarranda Ducum Bavariae ſumma poteſtate diutiſſime commoratum fuiſſe, iisdemque regia interdum iura tribuiſſe. Recentioribus demum temporibus, Jureconſulti Bavarici eam amplexi ſunt ſententiam, quin etiam, diſſenſione cum Salisburgenſibus ob negotium Salis Halleinienſis exorta, maxime illo Jure regio nixi ſint. Quibus rebus motus librum hunc edendum duxit auctor. Qui quanquam, ut facile coniici poteſt, ſcripſerit interdum quae probari fortaſſe nequeant, tantum tamen utilitatis attulit, ut facile in aliquibus conniveamus. Lectionis enim librorum de Germania hiſtoricorum aſſiduitate, Documentorum notitia longe copioſiſſima cognitionis praeterea et Iuris Imperii Germanici Publici, et patriae ſuae conſtitutionis, ſoliditate, Tabulariique Salisburgenſis continua frequentatione, edoctus atque adiutus, recognitionibus novis inſtitutis, nova ac inaudita argumenta in publicum protulit. Totum vero opus VII. Sectionibus abſolvitur, quarum V. priores Ordinationem rerum Salisburgenſium capitulatim, II. poſteriores peculiaria quaedam eiusdem AEpiſcopatus iura exhibent. In quaque Paragrapho documenta allata ad verbum expreſſa leguntur, id quod valde laudandum eſt. Ceterum, eſt cum liber ſic non tam, quam fas erat, innotuerit, nos ea, quae maxime notanda videntur, excerpta referre conſtituimus.

Sectio I. *Von der Staatsverfaſſung des Erzſtiftes Salzburg unter der Regierung der fränkiſchen Könige Merovingiſchen Stammes, und zur Zeit der bayeriſchen Herzoge Agilofingiſchen Geſchlechts.* Nempe Theodo Dux, Ruperto in regnum recepto, multa, ad condendum conſtituendumque Salisburgi Epiſcopale regimen, donaverat praedia, quorum numerum

ſucceſſo-

ſucceſſores eius valde auxere. Horum quod ad imperium attinet, auctor legibus Bavaricis declarare ſtuduit, eos praefectos tantum a regibus Franconiae conſtitutos fuiſſe; quanquam ingenue nobis fatendum ſit, nos nunquam hoc ex illis intelligere potuiſſe. Nam imperio Francorum ſubiecta quidem erat Bavaria, atque etiam, praeter Duces ſuos, praefectos a regibus miſſos habebat; ſed Ducum creandorum poteſtas penes populum erat, qui, more Germanorum, e Domo, cui tunc imperium eſſet, eligere illos cogebatur, quod et iam in legibus Baiuvar. diſerte dictum eſt: Dux ſemper de genere Agilolfingorum fuit, et debet eſſe. Signa autem regiae in Bavaria poteſtatis, quae maxime in deponendis Bavarorum Ducibus cernebatur, ex inconſtanti illa Germanicarum Provinciarum cum Regno Francorum coniunctione veniſſe videntur, qua ſaepe factum eſt, quod iniuſtum nominare poſſis. Jam ipſa expulſio Thaſſilonis, coarctatum regum Franconiae imperium docet. — Auctor, documenta pro illa Ducum Bavariae ſumma poteſtate allata refellere quidem tentavit, dicendo, regis appellationem interdum occurrentem, non niſi cognomen fuiſſe, principem quemque denotans; Synodos vero, Ordinumque conventus (*Landtäge*) a Ducibus imperatos, et decreta in iis conſtituta, partim pro Regum Francorum, iuſſu confectis, partim pro iuribus contra vetitum ſibi vindicatis habenda eſſe, iurisdictionemque in Epiſcopos, Ducibus lege confirmatam, ius ad munus eorum pertinens eſſe, quippe qui in crimine proditi imperii (*Landesverrätherey*) iudices non lecti ſint. Sed haec falſa eſt opinio. Poſt eum enim legum locum, in quo Dux in cauſſis Epiſcoporum iudex conſtitutus legitur, ſtatim Epiſcopus, ſi criminis fuerit convictus, iubetur puniri, et quibusdam in cauſſis, quarum in numero eſt crimen proditi imperii, exilio mulctari. Cur hic, quaeſumus, Dux bis iudex vocetur? — Deinde auctor Ducum in eligendis Epiſcopis auctoritatem, partim dubiam, partim regis loco datam dixit. — At hoc teſtimonio Scriptorum temporum illorum repugnat,

Q qui

qui et Ducis et Optimatum auctoritate opus fuisse consentiunt. — Denique e iureiurando ad fidem servandam a Ducibus dato auctor apparere putat, hos non feudalis officii vinculo coniunctos cum regibus Francorum vixisse. — At ipsa iuris iurandi formula, ab auctore allata, aliaque praeterea Capitularium loca, iusiurandum illud feudale fuisse declarant. Ex quibus auctor colligit, Episcopos Salisburgenses Bavariae ducibus omnino non subiectos fuisse, sed pro Principibus Proceribusque Imperii Germanici habitos, qui de bonis Ecclesiae, litibusque in re ecclesiastica iudicarent, immunitateque ea, fruerentur quam tunc consuetudo tulisset.

Sectio II. *Von der Staatsverfassung des Erzstiftes Salzburg, unter den Karolingischen Königen.* Hoc etiam tempore auctoritas imperiumque Episcoporum Salisburgensium, Bavariae rebus conturbatis, crevit. Imperator Carolus enim Bavariam, Thassilone duce detruso, Comitibus ordinandam cum tradidisset, eam, quasi in provinciae formam redactam, tenebat. Sub Imperatoribus deinde secutis, interdum praefectis sola Bavaria provincia dabatur, quibusque id evenisset, ii reges appellabantur. Sed cum primum plures regiones regendas accepissent, nomen illud iis denegabatur. Tunc enim pristinum rerum regimen ad modum supra dictum revocabatur, Ordinesque Bavariae ad Comitia Imperii Germanici universi coibant. Comitum aliqui, quorum hic historia narrata est, etsi fortissime se gererent, tamen, cum regum ministri tantum essent, raro in Episcopos iurisdictionem exercere poterant. Quare accidit, ut horum, et prae ceteris Salisburgensium Episcoporum auctoritas opesque, crescerent. Archiepiscopi enim nominati, ut documenta e tabulario, nam ab Hundio proposita suspecta videntur, allata demonstrant, multis insuper privilegiis donabantur, quae, ut ex documento Ludovici Germanici liquet, maxime in plena subordinati imperii exemtione, atque ita in summa de omnibus ad Episcopatum

tum pertinentibus iurisdictione, et in usu iuris fisci, ut vulgo dicunt, cernebatur. Quod quantopere coarctatum fuerit, libertas Episcopis postea de singulis eius generis iuribus exercendis concessa, satis declarat. Quibus rebus fundamenta iuris summae potestatis exercendae *(L ndeshoheit)* iacta sunt, quod ius Archiepiscopi post illa tempora obtinuerunt.

Sect. III. *Von der Staatsverfassung des Erzstiftes Salzburg unter den deutschen Königen Conrad I. und Heinrich I. zu Zeiten Herzog Arnulphs in Bayern.* In hac parte auctor systema Ludovicianum refellere conatur. Igitur Bavaros regem sibi ipsos creare non potuisse, idque etiam nunquam ausos, sed Conradum simul creasse, supremique dominii iura *(Majestätsrechte)* tum circumscripta nondum fuisse, documentis, quae nobis tamen satisfacere rei non videntur, declarare studuit. Facta vero Arnulphi ducis auctor defectiones a rege putat, (sed inopia phrasium latinarum rei convenientium, studiaque historicorum rerum medii aevi erga Imperatores, eiusmodi dictiones progenuerunt) vultque adeo, et illum, et alios Germaniae duces, non nisi praefectos fuisse, qui saepe iurisdictionem in Episcopos contra vetitum exercuerint. Imperatoris Henrici electionem quanquam Arnulphus probare primum nollet, tamen, foedere deinceps inito, quo et Episcopi Bavariae Ducibus subiecti fuerint, cessit demum. Quae vero ex his consequuntur, auctor. affirmando Ducibus summum imperium nondum fuisse; (sed verba illa Luitprandi: quod Praedecessores tui non habuerunt, documenti loco allata, iurisdictionem modo in Episcopos spectant;) Arnulphum imperium in Episcopos non exercuisse, pactaque forsan condita solum fuisse, (quanquam locus ipse, ex inedito Codice Traditionum Salisburgensi ab auctore citatus, his plane contraria docet;) jusque demum hoc, soli Arnulpho concessum, successoribus eius demtum esse, enervare atque infirma red-

 dere

dere conatus est. Ex quibus Episcopos, hoc etiam tempore, imperium a nemine pendens, obtinuisse colligit.

Sectio IV. *Von der Staatsverfassung des Erzstifts Saltzburg unter K. Otto dem Grossen, und denen weiter nachgefolgten sächsisch - fränkisch - und schwäbischen Kayssern.* Etiam hac in Epocha auctor summam Ducum potestatem, atque ius quoddam regium, quod haereditate ad posteros transferri posset, negat: contra Episcopos libertatem a ducum imperio, statum a nemine pendentem, ceteraque iura ut antea obtinuisse affirmat. Cuius quidem rei argumenta fere haec affert: a) Bavaros reges Germaniae electos agnovisse, agnitisque fidem iurasse. — Sed, ut ex hoc non sequitur, quod auctor declarare voluit: ita etiam Episcopos Salisburgenses regum electioni interfuisse novum atque mirum nemini videri debet. Constat enim inter omnes, Ordinibus, et clericis et singularibus quibusvis, morem hunc fuisse. Ad hos vero omnes liberi atque ingenui pertinebant. b) Principes Bavariae Proceresque, cum ad Comitia Imperii Germanici universi coirent, Bavariam regnum a Germania separatum fuisse dici non potest. — Sed tam late nemo unquam Jus Bavariae regium extendit. — c) Ducum imperium summamque potestatem, neque haereditate ad posteros transferri potuisse, neque Ordinum consensu, sed regum plane arbitrio datam fuisse. Ad quod probandum, historia singulorum Bavariae ducum usque ad Ottonem a Wittelsbach deducitur. — At vita Henrici Leonis, aliaque historicorum illorum temporum loca, quibus Ordinibus ius ducem eligendi tribuitur, multa habent quae argumentum hoc multifariam enervent. d) Episcopos sine Ducum consensu semper creatos fuisse, et ab Imperatoribus, ut ex historia omnium Episcoporum Salisburgensium adiecta videre liceat, confirmatos, atque iure possidendi donatos fuisse. e) Dignitatem metropolitanam Archiepiscopis multum

multum iuris in rebus ecclesiasticis attulisse. — Auctor, cum in annotatione addita dicit, Ecclesiam Imperatoribus Regibusque interdum concessisse, quae ad ipsius Ecclesiae iurisdictionem pertinerent, arrogantiam, studio erga Ecclesiam tractus, ostendit, nostris temporibus vix ferendam. f) Episcopos Salisburgenses, in rebus civilibus summa, ut partim ex historia dissensionis illius de Inauguratione (*Investitur*,) partim documentis in tabulario Salisburgensi reconditis manifestum sit, iura habuisse. g) Episcopatum, quoad Patronos Protectoresque, independentem esse redditum. — Magistratus vero illos non munera certa, sed officia modo tuenda habuisse, non facile, ut nobis quidem videtur, probare possis. — h) Abbates Bavariae Principesque, et Ratisbonam urbem, semper statum a nemine pendentem obtinuisse. i) Imperatores in Bavariam aeque ac in ceteras Imperii partes Comites Palatinos misisse, qui multa summae potestatis iura exercuerint. k) Hos ibi possessiones, quae iure dominii Imperatoris essent, tenuisse; et l) Comitia iudiciaque ibidem saepe celebrasse. — At argumenta illa tria posteriora rationem modo, ut nostra quidem opinio fert, pristinae Imperatorum Ducumque potestatis explicant, qua salva, ius quoddam summum, sed aliud quam hodiernum, fuisse, dici posse nobis videtur. — In extrema hac Sectione auctor obiectiones quasdam refellit, quarum multae refutari certe nequeunt: v. c. Episcopos, eodem quo ceteri Ordines modo, ad conventus venire ducibusque fidem iurare, coactos fuisse.

Sectio V. *Von der Staatsverfassung des Erzstifts Salzburg nach Abgang der Schwäbischen Kayser in dem dreyzehnten Jahrhundert und hernach bis jetzige Zeiten.* Isthoc tempore auctor Ducatum Bavariae, Archiepiscopatumque Salisburgensem, vult fuisse regna ita separata, ut ne minimum quidem subiectionis in politicis signum eluceat.

Q 3 Quod

Quod quidem exemplis aliquot confirmare conatur. Verba eius haec fere sunt: a) Imperator Adolphus, quod etiam insertum est documentum, Archiepiscopo summa iura, imprimisque merum imperium *(peinliche Gerichtsbarkeit)* tradidit, et Principem Imperii Germanici primi ordinis dixit. At hoc etiam in multis sequentium Imperatorum documentis legitur, quae in tabulario Salisburgensi perscripta inveniuntur. b) Ducum Bavariae maiestas, cum nullum tribunalis aulici provincialisve signum in historia illorum temporum reperiatur, deleta est, unde evenit, ut tribunalia Westphaliae et Rotwilense ibi orirentur, quibus tamen Archiepiscopi Salisburgenses non tenebantur. c) Episcopi summa iura exercuerunt, id quod maxime de legum scribendarum potestate A. docuit. Episcopi iam Seculi XIII. tempore urbibus, (quae tamen nonnisi iurium pristinorum erant confirmationes) et deinde sub initium Seculi XIX. provinciis etiam, sua quibusque iura dederunt. d) Caussae partitionis circulorum paullo post secutae, Episcopos a nemine dependisse demonstrarunt. Temporibus autem illis inquietis atque periculosis, Ordinum provinciae illustrium coniunctione diremta, quisque sibi summum imperium arripere studebat, atque ita Salisburgenses Episcopi, (haec enim caussa plenae libertatis, summique imperii, quod multi, imprimisque Ordines Imperii Ecclesiastici adepti sunt, esse videtur) multa inierunt foedera, et cum Bavaris, et contra eosdem facta, quae omnia in hac Sectione enumerata sunt. Igitur ad sedandos motus, partitione in circulos aliquoties facta, quae tamen nullam, (sed errasse hac in re auctor videtur, quod ex universa constitutione probare facile esset,) pristini Bavariae status rationem habebat, Episcopi Salisburgenses praesides in Circulo Bavarico constituebantur, id quod Duces post longum demum temporis intervallum obtinuerunt. e) Salisburgenses plane a Bavaricis Ordinibus separati fuerunt. Nempe Canonicorum Collegium, quod

ius

ius eorum erat in multis una suffragia ferre, fundamenta effingendae novae provinciae iaciebat; — sed sero demum. Alia ad ius Salisburgi publicum pertinentia auctor, nimiam orationis ubertatem evitandi caussa, omisit.

Sectio VI. *Einleitung in das Erzstiftliche Salz - und Bergbau - Regal.* Praemissis aliquot annotationibus, quibus iam Theodo Ruperto salinas donasse, Episcopique, quod illis esset datum ius fisci, Privilegiumque a Ludovico Pio imprimis constitutum, summa in Salinas metallifodinasque iura exercuisse dicuntur, auctor iuris eius historiam ad II. Epochas ordinatam persecutus est. Harum prior ad XIII. Seculum usque producitur, quo scilicet tempore Episcopi fructum cuiusque iuris ad illa pertinentis maxima ex parte quietum perceperunt. Post tempus enim hoc, Salinarum metallifodinarumque illarum ratio alio tempore alia fuit. Quam ob caussam auctor quamlibet separatim exhibendam censuit. 1) Bavariae principes enim Salinas Reichenhalae non modo suas faciebant, sed etiam lignum ad salem coquendum necessarium in sylvis Salisburgensibus, quia antea mos ille obtinuerat, caedi volebant. Auctor vero hoc tum factum dicit, cum Salinae essent Archiepiscoporum. 2) Salinas Halleinenses tenent huc usque quidem Archiepiscopi, sed Bavari summa earum iura postulant; quae quidem postulata auctor, dissensionum illarum pactorumque multorum his de rebus initorum historiam enarrando, et ad litem usque in summo Imperii Germanici Judicio super his rebus exortam producendo, recenset. 3) Salisburgenses cum Brechtesgadensibus de eorum Salinis aeque ac de supremo iure litigant. 4) Auctor summa Episcoporum in metallifodinas iura enarravit maxime e Documentis reconditis petita temporum rationem secutus. Ipsa vero iura in exigenda decima et metalli eruti parte, in exercendo iure cambiali, scribendis legibus metallicis, ordinandaque iurisdictione in eas, cernebantur.

Sectio

Sectio VII. *Von dem Münzrechte des hohen Erzstiftes Salzburg*. Jus monetandi Episcopis simul cum iure aeris pretium constituendi, regnante Ottone III. concessum, semperque utrumque, (nam pro ratione constitutionis illius rerum Salisburgensium id quidem necessum erat) coniunctum invenitur. Simul auctor hic rei nummariae rationem depingit, quae temporibus antiquioribus ibi obtinebat. Per beneficium scilicet illud supra dictum, eiusque ab Imperatoribus confirmationem, Archiepiscopi iura inde oriunda exeruerunt. Officinas enim monetae cudendae exstruxere, quarum binae in bello cum Bavaris aliisque ereptae iis sunt, nummorumque valorem ex arbitrio constituerunt; cuius rei mutationes hac in parte narrantur. Bavarorum de summa rei nummariae iure postulata, partim documenti illius supra allati verbis, quibus valor nummorum Salisburgensium idem qum Ratisbonensium esse iubetur, partim pacto nituntur, quo Ducibus Bavariae certa monetae cusae pars addicitur.

Sed verba illa declarant tantum illis temporibus nullam nisi Ratisbonae officinam monetae cudendae exstitisse Imperatoresque nummorum valorem aequalem voluisse. Ceterum pactum hoc non nisi officinam illam Salisburgensium Reichenhalae respicit. Quam cum Dux suam facere vellet, pacto demum res composita est. Super haec vicissitudines rei nummariae in Germania, Decreta ad eas pertinentia, inprimisque historia rei nummariae in Circulo Bavarico, relata est, e qua caussae communis Archiepiscoporum Salisburgensium in re nummaria directionis derivantur. Quarum quidem singulas, ne forte lectorem fatigemus, omittimus. Praeterire tamen nefas est, sectionem hanc ad difficilem illam atque contortam rei nummariae in Germania historiam explicandam permultum valere. Extremo libello, Pontificum Romanorum, Regum Francorum, Germaniaeque, Ducum Bavariae, atque Archiepiscoporum Salisburgensium tabula addita est.

ANTONII

ANTONII PERERII, FIGUEREDI, PRESBYTERI ac Theologi Olissiponensis, Regiae Curiae Censoriae Decemuiri ordinarii, Regisque Fidelissimi ab Epistulis latinis, Dissertatio historica et theologica, de Gestis ac Scriptis Gregorii Papae VII. aduersus Henricum IV. Imperatorem.

Olisiponae, ex Typographia regia, Anno MDCCLXIX. pagg. omnino 122. octonis. Permissu regiae Curiae censoriae.

Ad quam potestatem Romani Episcopi, barbariei Seculorum beneficio, quae Fanaticismum peperit, successu temporis, a paruis initiis, peruenerint, nemo est qui ignoret; nisi forte aliquis, priuatis negotiis obstrictus, nescire se simulet, igitur hypocrita sit. Nemo tamen unus istorum Episcoporum eo impietatis progressus est, ut cum Imperio Sacerdotium ita committeret, ut Romae Dominus seruire Romano Episcopo, et quasi famulari cogeretur, praeter *Gregorium VII.* Hildebrandum, exeunte undecimo Seculo, et qui deinceps ex eius schola et disciplina prodierunt Papas. Agnouit iniquitatem hominis illius, et publice professus est, Seculi iam duodecimi initio, Leodiensis Clerus, qui in Epistola *Omnibus, hominibus bonae voluntatis*, Paschali II. anno MCVII. opposita, vere scribere non est veritus: *Hildebrandus Papa auctor est huius nouelli schismatis, et primus leuauit sacerdotalem lanceam contra diadema Regni.* Sed oppressae sunt istae querelae, neque in illis tenebris tantum valuit generosus Henrici IV. Imperatoris atque inuictus animus, ut e malis, quae ab illlo homine, (*Sigeberto Gemblacensi* multisque aliis testantibus,) continuo perpessus est, nisi cum maximo dedecore eluctaretur. Renascentibus deinceps, sed post Seculorum decursum, bonis litteris, adfulsit spes, demigratura sensim barbarie, orbis terrarum principes iugum illud excussuros, illamque cleri ferociam, religionis nomine male infucatam, compescituros esse. Atque hoc ita euenit, accedente potissimum ad litterarum culturam restauratione sacrorum per Lutherum: neque fuerunt ab eo tempore inter Pontifices, qui, quae ausus olim esset Gregorius, ea ipsi

repeterent; et cum essent, qui talia ausuri viderentur, ii nullo negotio intra suos cancellos compulsi sunt. Vehementer igitur laetamur de Libro, cuius titulum supra posuimus, qui nefandos ausus Gregorii Papae VII. tam eleganter, tam candide, tamque vere exponit, ut nullum sit dubium, avidissime lectum iri. Dicatus est illustrissimo atque excellentissimo Comiti *Oeirensi*, *Sebastiano Josepho Carvallio de Mello*, Lusitaniae Regi a sanctioribus consiliis, initimoque administro quam nos dedicatoriam Epistolam temperare nobis non possumus quin heic loci integram inseramus, et hoc quidem libentius, quod ipse liber hic in paucorum manibus, imo ne satis quidem cognitus esse videtur.

„Dissertationem, Excellentissime Comes, *De Gestis et Scriptis Gregorii Papae VII aduersus Henricum IV.* Imperatorem evulgaturus, putavi Scriptum delicatissimi argumenti Patrono eo indigere, qui et sua auctoritate narrationi vim adderet, et adprobatione conciliaret narratis fidem. Ubi enim agitur de dissidio inter Sacerdotium et Imperium, sicut omnium primo, ita omnium foedissimo et calamitosissimo, nonne res est periculi et aleae plena, si quid in alterutram potestatem vel dicendo, vel narrando, peccarim? Opus igitur est Censore prudentissimo et incorruptissimo, qui rei gestae summam penitus adsecutus, dijudicet numquid vel minus vere traditum, vel minus decenter prolatum, emendari oporteat, et ad incudem reuocari. Ex omnibus autem, qui de his rebus sanum iudicium ferre possunt, unum Te ego, *Excellentissime Comes*, in tota Lusitania noui, cuius sententia acquiescere venerabundi debeant vel ii, quorum apud exteros maxima sit existimatio atque auctoritas. Cum enim inter grauissimas et molestissimas curas atque occupationes, quibus diu noctuque implicare, adsiduus nihilominus sis, cum in euoluendis et perlustrandis antiquis monumentis, tum in indagandis et perpendendis institutae a Deo duplicis potestatis juribus: hinc sane fieri videmus, ut, quemadmodum veteris Historiae callentissimus es, ita qui veri sint Sacerdotii et Imperii limites nemo melius *Te* perspectum habeat atque exploratum. Soleo saepe mirari, *Excellentissime Comes*, quid sit

ſit, quod cum tot negotia tractes longe grauiſſima, quot tractare neceſſe eſt eum, cui totius Luſitaniae adminiſtratio commiſſa eſt: ubi tamen caſus aliquis occurrit, (occurrunt autem quotidie eius generis plurimi,) in quo noſtrorum temporum ſive iniquitate, ſive infortunio, eo res ſubinde adducitur, ut videantur alterius utrius partis jura neceſſario violanda ab eo, cui tamquam catholico Adminiſtro Apoſtolicae Sedis dignitas, tanquam Adminiſtro regio *Regis* majeſtas eſſe curae debet. Cum tam multi, inquam, tamque difficiles caſus ſe offerant, ubi fortiſſimus ac prudentiſſimus quisque rerum aſperitate preſſus haereret ac vacillaret: Tu, qua polles ſapientia ac dexteritate, de maximis ſemper difficultatibus expedire Te ſoles ita feliciter, ita praeclare; ut qui conſilia Tua, et agendi rationem, non partium ſtudiis, ſed factorum veritate metiuntur, ii Te pari gloria politicam ſagacitatem cum theologica prudentia coniunxiſſe, pari gloria et hominis Chriſtiani et Regii Conſiliarii munia executum eſſe, mirentur, fateantur, gaudeant. Vidimus non ita pridem, fortiſſimi ac ſapientiſſimi *Regis* juſſu, de Luſitania expelli Pontificium Legatum: vidimus Luſitanis omnibus commercium cum Romana Curia intercludi: vidimus Jeſuitarum Ordinem, tanquam Regis et Regni hoſtem, proſcribi et ipſorum bona publicari: vidimus de Proceribus nefariae coniurationis auctoribus capitale ſupplicium ſumi: vidimus eccleſiaſticorum cupiditati et avaritiae fibulam imponi: vidimus Bullam quae *Coenae* dicitur in perpetuum aboleri: vidimus *Librorum prohibitorum Indicem Romano Jeſuiticum* penitus explodi: vidimus ab Epiſcopis matrimonii impedimenta tolli: vidimus denique regiam Curiam cenſoriam inſtitui, quae rem librariam, quanta quanta eſt, ſummo imperio moderaretur. Grandia haec profecto omnia, *Excellentiſſime Comes*, admiranda, noua, nunquam a noſtris viſa, nunquam audita. Sed quanta interim in Apoſtolicam ſedem obſeruantia, quanta in Regem fide, Te ſuaſore imperata, Te impulſore in executionem miſſa! Olim, ubi Sacerdotium ab Imperio diſſidere contigiſſet, omnia tumultu, ſeditione, inteſtinis bellis, ſacrilegiis, rapinis, ſanguine compleri videbamus: violari templa, attrectari ſacras virgines, deſpicatui et ludibrio ha-

beri Sacerdotes, res Ecclesiae impiis hominibus praedae esse, pro aris sacra ima summis misceri. Talia sub Henrico IV. Friderico I. Friderico II. Ottone IV. Ludouico Bauaro, aliisque Caesaribus, experta est Germania Talia sub Philippo Pulchro Ludouico XII. Henrico IV. Gallia. Talia ex Auenionensi schismate, et sub Carolo V. tota Italia. Contra in Lusitania nostris temporibus pacata omnia: nulla apud nos bella, nulli tumultus, nullae seditiones, nullae strages. Apostolica Sedes honoratur, Rex diligitur. Ecclesiastica disciplina sancte ab Episcopis administratur: Ecclesiae eiusque rebus et ministris sua reuerentia constat. Reaedificantur aedes sacrae, instituuntur collegia, studia instaurantur. Regia urbs priuatis et publicis aedificiis ampliatur, ornatur, illustratur. Ditescit aerarium, exercitus colligitur, instruitur classis, arces muniuntur. Floret commercium, vigent leges boni et bene meriti ciues praemiis donantur, mali et improbi puniuntur. Cuncta denique, sub ipso armorum strepitu, et militaribus exercitationibus, gratissimo otio, stabilique et perpetua pace gaudent. Sic unius hominis patientia factum est, ut paucis annis consecuta sit Lusitania, quod multis saeculis praestare non posset aliorum ferocia, seu praeceps animus. De *Te* proinde, *Excellentissime Comes*, arte magis quam armis hostes profligante, merito dici potest, quod de Cunctatore Fabio, Annibalem sine pugna frangente, cecinit Ennius, et ex Ennio Virgilius postea: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.* O! nimium beatos Lusitaniae populos, quibus licuit esse tam felicibus, ut quo tempore in vestram perniciem coniurarant tot domestici, tot externi hostes; talem ipsi nacti *Regem* fueritis, qui nihil sibi gloriosius ducit, quam subditorum incolumitati commodisque prospicere, talem nacti regium Administrum, cui nihil antiquius est, quam de religione, de patria, de ciuibus, de liberalibus disciplinis omnibus, bene mereri. Debetis utique tanto *Regi* acceptum referre, quod discussa et dissipata funditus auitae ignorantiae et superstitionis caligine, cui per annos ducentos fueratis immersi, noua nunc et splendidissima rerum ac doctrinarum luce ita perfundamini, ut qui antehac exteris nationibus ludibrio eratis,

jam

jam vel illuminatiſſimis gentibus admirationi ſitis et exemplo. Debetis pariter tanto Adminiſtro aeternum eſſe obſtricti eo nomine, quod ab optimo et ſapientiſſimo *Rege*, reſtituendae Luſitanorum gloriae, tanquam intimae admiſſionis Conſiliarius admotus, veſtris commodis atque emolumentis ita inuigilat, ut non ſibi, ſed Regi et patriae viuere videatur. Haec illuſtris et omnibus Saeculis memoranda Epocha erit, veſtrae gloriae, veſtrae libertatis, veſtrae culturae: ut pro tantis tamque egregiis beneficiis, in vos ab utroque collatis, *Regi* quidem omnem caritatem veſtram, amorem fidem, obſeruantiam, obedientiam, vitam ipſam, vosmet ipſos, veſtra omnia, libenter dedicare, addicere, deuouere: *Adminiſtro* autem *Regis* immortales gratias agere et referre, vitam longiſſimam, aeternam felicitatem precari: uxorem, liberos, nepotes, fratres, perpetuo incolumes, perpetuo beatos fauſta omnia optare debeatis. Sed ut aliquid de mea hac Diſſertatione paullo diſtinctius praelibemus, non dubito fore pleroſque, *Excellentiſſime Comes*, qui, ut ſibi videntur omnia ſapere, ita ſuſceptam a me narrationem de Geſtis et Scriptis Gregorii Papae VII. non ſolum inutilem, verum etiam ſupervacaneam arbitrentur. Hos audire mihi videor ſecum ita murmurantes: Gregorii Papae in Henricum Imperatorem acta cuiuis notiora eſſe, quam ut nouis commentariis explicari illuſtrariue poſtulent. Conſtare omnibus, a Gregorio Henricum non ſolum de Eccleſia, ſed etiam de Regno expulſum: abſolutos fidelitatis ſacramento ſubditos omnes: ſciſſa in contrarias partes Germanorum et Romanorum ſtudia: inteſtinis bellis, mutuis odiis omnia conflagraſſe. His ego ita reſpondeo: aliud eſſe rei ſummam nude ſpectare, aliud in interiora peruadere. Illud doctis quibuslibet, imo vero ipſis de triuio hominibus, perfacile; hoc ſolis illis conceſſum, qui non contenti ſcire quae facta ſunt, primum in cauſas quoque et praetextus, propter quae facta ſunt, diligenter inquirunt; deinde quinam eius qui fecerit mores et ingenium fuerint, pari ſolertia rimantur; denique, quid ex factis ipſis ſit conſecutum quaenam inde ſiue rerum, ſiue hominum mutationes ortae, accurate perpendunt. Haec autem rite praeſtare non poteſt, niſi qui in-

defeſſo labore veritatem ex ipſis fontibus hauriat, antiqua ſcilicet monumenta perluſtrando, libros ſquallore et ſitu obſitos excutiendo, ſynchronos Scriptores adeundo, et eosdem inter ſe conferendo. Id vero qua ego fide ac diligentia ſim executus, Tu, harum rerum, ſi quis alius, peritiſſimus ac ſtudioſiſſimus, optime judicare potes, *Excellentiſſime Comes*; a quo proinde ſi haec Diſſertatio adprobata fuerit, nullius ego cenſuras, nullius reprehenſiones debeo pertimeſcere. Nam Gregorii VII. cum Henrico IV. pertinaciſſimam ac funeſtiſſimam controuerſiam deſcripturus, non ego Baronii, non Gretſeri, non Romani Breuiarii, non alicujus junioris Scriptoris fide ſteti: ſed eorum, qui ſub ipſo Gregorii Pontificatu, vel proxime ſecutis temporibus, floruere, Hiſtorias et Annales diligenter perſcrutatus, ſic meam narrationem inſtitui ſic judicium interpoſui, ut cum res ipſas niſi ex fide probatiſſimorum Auctorum retuliſſem, ubi ad enarrandas cauſas et praetextus ventum eſt, non alia praepoſuerim, quam quae ex rebus ipſis naturaliter et quaſi ſua ſponte defluebant. In quo ducem mihi perpetuo adfuiſſe non diſſimulo Onuphrium Panvinium, Veronenſem, ex Eremitarum S. Auguſtini Familia Scriptorem nobiliſſimum et candidiſſimum, qui quanto eſt in Gregorii laudes effuſior, tanto minus ſuſpectus haberi debet. Si quid tamen interea minus caſtigatum, ſi quid inconditum, ſi quid redundans inter legendum offenderis, id *Tu*, quaeſo, *Excellentiſſime Comes*, cuius ſunt omnia limatiſſima et ornatiſſima, emendare, inducere, praecidere non graueris. Mihi enim propoſitum eſt, nihil omnino euulgare, niſi quod Tibi, omnium ſtudiorum politiſſimo Maecenati, omni ex parte probetur. Nam ſi veteri Poeta judice, *Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt;* me utique judice Tibi placuiſſe laus eſt prima et ſumma. Nihil ad hoc addimus. Fata enim Henrici IV. Imperatoris, aeque ac Papae Gregorii VII. facinora, Hiſtoria Imperii et Eccleſiae ſatis declarant.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

SYNOPSIS OPERIS HISTORICI, continentis Antiquitates Illyricas, censurae Celsissimi S. R. I. Principis JABLONOVII oblata, per Comitem di RAGNINA, quondam Legatum Reipublicae Ragusiensis apud Imperatricem Russorum: Auctore P. GIORGI, Abbate di Melita, Benedictino, Equite Ragusiensi.

Antiquitatum Illyricarum *Tomi primi* Diuisio ac partium Index. *Pars prima* geographica, siue de veteris minoris Illyrici Dalmatiaeque limitibus, Hydrographia, et Gentium dispositione. *Proemium.* Sylloge Disquisitionum: I. De constitutione minoris Illyrici. Disquisitio I. De Etymo Illyricorum, et de magni Illyrici a minori distinctione. Cap. I. De Illyricorum appellatione Cap. II. De Illyrici magni paruique, seu minoris, discrimine. Cap. III. De Illyrico politico. Disquisitio II. De minori Illyrico. Cap. I. De peruetusto, quoque minores Illyrici a Graecis appellabantur nomine Encheiliarum, et an toti conueniat Illyrico? Cap. II. De huiusmodi Graeco Encheiliarum nomine etymologia. Cap. III. De antiquissimis, quorum memoria est, quique veri ac primitiui dici queant, minoris Illyrici finibus, et primo de iis, qui in longitudine sunt. Cap. IV. De latitudine tractus, siue, de boreali et australi latere, ac summatim tota circumspectione minoris Illyrici. Disquisitio III. de Illyrico Macedonico, Graeco et Romano. Disquisitio IV. De vero Illyrico in Liburniam et occidentalem plagam prolato. Cap. I. De prolationis huiusmodi aetate et variatione. Cap. II. De Codropoli oppido, et Jo. Lucii lapsu circa fines, prol. 10. Illyrico hactenus praestitutos Cap. III. De altera Lucii larua, Illyricum diuisum in superius et inferius comminiscentis. Disquisitio V. De Illyrico proprie dicto, commenticio Melae, vel potius Jo. Lucii Melae sententiam deprauantis Cap I. Pomponii Melae sententia exponitur. Cap. II. Jo. Lucii tricae atque rapinae. Sylloge Disquis. IIdae de

de Dalmatia. Disquisitio I. De Dalmatia primitiua, seu minima, et Dalmatis, peculiari veteris Illyrici populo. Cap. I. Nomen Dalmatiae, et recentiorum errata circa minimae Dalmatiae positionem. Cap. II. Urbis Dalmii siue Dalminii, eiusque regionis ac gentis, vera positio. Cap. III. De etymo Dalmii, ac Dalmatarum. Disquisitio II. De Dalmatia a primis finibus paullatim hinc ad Titium amnem, et confinia Liburniae, inde ad Liscum Dirrachiumque promota. Disquisitio III. De Dalmatiae nomine usque ad Istriae confinia dilatato. Disquisitio IV. De Transmontano excursu, Dalmatisque versus Istrum. Cap. I. Illyrium proprie dictum, cui successit Dalmatia, ultra montes Ardium et Scardum versus Istri marginem antiquissime procedebat. Cap II. Transmontana Dalmatia documentis exstruitur. Cap III. Postrema ratio, qua idem excursus Dalmatiae in Dardaniam Mysiamque constituitur. Cap. IV. Varia Dalmatiae transmontanae sub Romanorum dominio fortunae, dispositio, appellatio. Disquisitio V. De sera Dalmatiae usque ad Sauum fluuium prolatione. Cap. I. Quandonam, et quare sero facta sit huiusmodi Dalmatensis prolatio. Cap. II. Terminationes et cognomenta Pannoniarum breviter exposita. Cap. III. De pluratiua appellatione Dalmatiarum. Disquisitio VI. De noua Preualitana Prouincia, siue de contractione Dalmatiae ex latere Orientis. Cap. I. Preualeos Prouinciae origo ac situs. Cap. II. Aliae quaedam circa Preualim peristases et adiuncta. Disquisitio VII. De Japidia Liburniaque. Cap. I. De nomine finibusque Japidiae. Cap II. Japidia Carnica, siue Italica. Cap. III. Sphalmata Scriptorum circa Japidiam. Cap. IV. Quo peculiari nomine montani Japodes et cismontani a suis appellarentur, et nonnulla obiter de hodierna Japidia. Cap. V. Reliqua de Liburnia. Disquisitio VIII. Ad Jo. Lucii circa minus Illyricum Dalmatiamque allucinationes, Collyrium. Disquisitio IX. De recentiore Dalmatia. Cap. I. Dalmatiae diuisio post aduentum Slauorum, siue Dalmatia duplex, Barbarica et Romana. Cap. II. Audax Jo. Lucii imperitia circa

fines

fines recentioris Dalmatiae. Cap. III. Fabulae Diocleatis de diuisione Dalmatiae. Cap. IV. Universae ab Istria ad Dyrrachium Romanae sive Littoralis Dalmatiae, post Slauorum aduentum, dirutamque Salonam, solum Ragusium, tum ciuilis, tum ecclesiastica Metropolis diu fuit. Cap. V. Reliqua de Metropolitis Dalmatiae. Cap. VI. Quaedam Jo. Lucii errata circa Metropolitas Dalmatiae. Cap. VII. Ragusiensium Scriptorum lapsus circa Juris Metropolitici in sua patria originem. Cap. VIII. Quid Slauonica? Sylloge Disquisitionis III. De Illyrico Dalmatico, Adriatico mari, et reliqua Hydrographia Illyrici minoris, atque Dalmatiae. Disquisitio I. Cap. I. De Maris Adriatici vario nomine, eiusque terminis ante et post Claudii Ptolomaei aetatem. Cap. II. Ptolomaici erroris circa limites Adriae progressus et caussae. Cap. III. Adriae cum Jonio Sinu permistio atque conuenientia. Cap X. Sinus Jonii a mari Jonio magno insignis diuersitas. Cap. V. De mari Jonio magno. Cap. VI. Traiectus Jonius. Cap. VII. Mare Auxonium. Cap. VIII. Quam temere Strabonem aduersarii mei in suas partes trahent. Cap. IX. Quam inconsulto contraria factis Ouidium, Lucanum, Papinium, tamquam sibi fauentes, producant. Disquisitio II. De maris Adriatici finibus. Cap. I. Flanaticus et Coriniensis. Cap. II. Salonitanus, Naronicus, Rhizonicus, Lysius, itemque Sycense Aestuarium, et Bratiensis Euripus. Cap. III. Ausonensis, qui Amantinus quoque et Oricinus nuncupatur. Disquisitio III. De Dalmatiae ac Illyrici minoris fluminibus ac lacubus. Cap. I. Arsia, Olneus, Gedanius et Pseudo-Gedanius, itemque Titius, Liburniae et Dalmatiae finis. Cap. II. Jader, Tilurus, Naro. Cap. III Arion et Rhizo. Cap. IV. Labearis palus, et quaedam antiquis ignota, in quam cademtia flumina: Barbana, ex ea profluens Oriundus, vel Drino imminutus, clausula subductus, Brilo, praeterea Drinus mosetius. Cap. V. Genusus, Palamnus, Pangasius, et Apsus. Cap. VI. Eas, siue Aous et Celidnus. Cap. VII. Lacus per Illyricum. Sylloge Disquisitionis V. De antiquis minoris Illyrici Dalmatiaeque gentibus, atque oppidis, ab Istriae confinio ad

usque Ceronios montes et Epiri limitem pertingentibus Disquisitio I. De Japidiae urbibus populisque. Cap. I Flanates vel Flavates ac Mentores Populi, cum oppidis Flauona et Aulona. Cap. II. Cetera Japidiae oppida maritima et cismontana. Cap. III. Urbes Japidum mediterraneae. Disquisitio II. De gentibus oppidisque Liburniae. Cap. I. Ortopula, Vegia, Argiruntum, Corinium, Enona, urbes. Cap II. Jadera Colonia. Cap. III. Alba maritima, Blanona, Varuaria, Saloia, Burnum, et si quae alia usque ad Tit um amnem. Cap. IV. De oppidis ignotis et gentibus Liburnorum. Disquisitio III. De Dalmatiae, siue minoris Illyrici urbib is gentibusque maritimis, ab amne Titio usque ad Lyssicum sinum. Cap. I. De ora Dalmatarum maritima, amni Titio proxima, vel de Hierastamnis, ac Tarionitis populis, atque oppidis Scardona, Tariona, et Sico Cap II. Hylli et Bulini populi Peninsula Hyllis, Promontorium Diomedis, atque oppida Hylla, Bulina, Heraclea, Pretorium. Cap. III. Vesti et Siculorae, ipsorumque oppida Traiurium, Epetium, Siculi Salona, Andetrium, et Aspalatum. Cap. IV. Salona eiusque adjacens Aspalatum. Cap. V. Ardei seu Bardei Popu i, et Colonia Varona Equum. Cap. VI. Pleri seu Polarii. Commenii, Raganza Peninsula, Onzo et Ratanzo. seu Ratino, oppidis, ac turri Stagni. Cap. VII. Daorici seu Daorsii. Cap VIII. Partheni atque Epidaurus, Colonia. Cap IX. Colonia Epidaurus. Cap. X. Cetera Parthenei seu Partheniae oppida, Burnum, Triburium, Melanthus. Cap. XI Rhizel, vel Rhizonitae, et eorum urbes, Ethicon, aut Rhizina. Ascrivium, Ethnizinum, seu Resinum Veocarmum, Rosis. Cap. XII Sardici vel Sardiatae Agranou tae, eorumque urbes, Bu ua, Dioclea, Agrauona, Antibaris. Cap. XIII. Labeatae atque Olciniatae, et eorum oppida, Scodra, Medeon, Olcinium, Driuastum. Cap. XIV. Lissenses et Lissum oppidum. Disquisitio IV. De maritimis Macedoniae graecae vel romanae Illyridis gentibus oppidisque, a Sinu Lyssico usque ad Ceraunios montes Cap. I. Parthini, seu Parthinei seu Brygi vel Phrygi Populi, et Urbes ipsorum, Dyrrachium, vel Epidamnus, Parthus siue Eriboia, Dimala

seu

ſeu Dimallum, et petra Epidamnia Cap. II. Epidamnus, ſive Dyrrachium Colonia, petra Epidamnia, Aſparagium, Via Ignatia. Cap. III. Taulantii et eorum urbes, Arniſſa et Appollonia. Cap. IV. Bulliani, ſeu Bulliones, et urbs Bullii. Cap. V. Amantini, et Oricini: Urbes Amantia, Aulon, et Horicum aut Oricum. Diſquiſitio V. De gentibus totius Illyrici mediteraneis. Cap. I. Atintanes, Scirtanes ſeu Gyrtonii, et Stimphalii, Oreſti, ipſorumque oppida, Gyrton Oreſtia, Celetrum. Cap. II. Examinantur duo Lycophronis Pericopae de Atintanis, Amantinis, aliisque quibusdam Populis ſociisque in Illyrico, eique adjacente Epiro. Cap. III. Daſſaretae, vel Daſſaretii, Peneſta, Piruſta, Candauia regio et oppidum, Lychnidus. Cap. IV. De Antaxiatis, et oppidis eorum regionis, Nacpo, et Viminacio. Cap. V. De Enetis, ſive Venetis Illyricis, Dalmatisve, et de Venetiae, Italiae regione atque urbe Patauio, earumque progenitoribus. Cap. VI. De Deſitiatibus. Cap. VII. Nomina Gentium urbiumque obſcuri ſitus, ex antiquis Scriptoribus recenſita. Diſquiſitio VI. De Inſulis maris Adriatici, praeſertim quae ad Illyricum ſunt. Cap. I. De Electridibus, Diomedeis, atque Abſyrtide, et ab ea cognominatis. Cap. II. De Liburnicis, Dalmaticisque, ſive de iis quas Liburnidas priſci vocant. Cap. III. Scylacis et Plinii duo loca vitiata corriguntur, atque explicantur. Cap. IV. De Surio, Proterade, Boa, Olynto ſiue Solentio, aliisque minoribus Inſulis, quae circa Titii oſtia ad Dalmatiam ſunt. Cap. V. De Lyſſo, ſeu Lypſa Inſula, quam frequentius veteres Iſſam dicunt, et de Ioannis Lucii circa Iſſae et Liburniae antiquitates ineptiis. Cap VI. De Bratia ſeu Biſcelado. Cap. VII. De Pharo. Cap. VIII. De Corcyra Melaena. Cap. IX De Melita ſeu Melitana. Cap. X. De Ladeſta. Cap. XI. De Elaphitibus et Saſſone. Diſquiſitio VII. Corollarium de Romanis Principibus e deſcripta hactenus Dalmatia Illyrioque minori oriundis. Cap. I. De Claudio ſecundo, Quintillo, et Probo. Cap. II. De Caro, Numeriano, Carino, Diocletiano, et filia Diocletiani Valeria. Cap III De Julio Conſtantio Chloro, eiusque liberis, praeſertim de Conſtantino

Magno, de b. Helena, tum de Constantii liberis praeter Constantinum. Cap. IV. De Constantino Magno, eiusque Familia. Cap. V. De reliquis e Dalmatia Augustis. Antiquitatum Illyricarum, Pars secunda et ethica. De regionis ingenio, et moribus veterum Populorum. Prooemium. Sylloge: Disquisitio I. De soli coelique Illyrici natura: Disquisitio I. De commoditate regionis. Disquisitio II. De Illyrici soli feracitate. Disquisitio III. De animantibus terrestribus, volucribus, aquatilibus, eorumque copia in minori Illyrico. Disquisitio IV. De Fodinis Illyricis. Disquisitio V. De coeli salubritate, quae ad corporum viuacitatem et firmitatem conducit. Disquisitio VI. De mirandis quibusdam, quae ab antiquis perhibentur in Illyrico Dalmatiaque. Sylloge: Disquisitio II. De veterum Illyricorum Dalmatarumque moribus atque institutis: Disquisitio I. De Illyriorum piratica. Disquisitio II. De Illyriorum Dalmatarumque virtute bellica, et diuturna militia cum Romanis. Disquisitio III. De armis Illyriorum. Disquisitio IV. De nauibus veterum Illyriorum. Disquisitio V. De vestimentis veterum Illyriorum, ac primo de Dalmatica. Disquisitio VI. De aliis vestibus Illyriorum. Disquisitio VII. De politia veterum Illyriorum. Disquisitio VIII. De veterum Illyriorum moneta. Disquisitio IX. De lingua primitiua, et de superstitione Illyriorum. Disquisitio X. De victu potuque et conuiuiis Illyriorum. Disquisitio XI. De aliis vetustis Illyricarum gentium consuetudinibus. Disquisitio XII. De sapientia veterum Illyriorum. Antiquitatum Illyricarum Pars tertia, Hieronymiana. Sylloge Disquisitionis I. De b. Hieronymi in Romana Ecclesia Doctoris Opt. Max. Prouincia et Urbe natali. Disquisitio I. Vera divi Hieronymi patria in Dalmatia fuit. Disquisitio II. De Stridona seu Stridone, natali b. Hieronymi oppido. Disquisitio III. De vero significatu τȣ *Quondam*, quod in Hieronymi Perizommate de patria sua legitur. Disquisitio IV. d. Hieronymus, nec Pannonius fuit nec Germanus. Disquisitio V. De Istrimorum ineptiis b. Hieronymi patrium sibi afferentium. Hic et auctoritas Flauii Blondi, ineptaque argumenta amplissime diluuntur.

Dis-

Disquisitio VI. Mariani Victorii coniecturae arguuntur. Disquisitio VII. Iacobi Philippi Thomasini θαυμάσια διηγήματα, siue admirandae narrationes, quibus Stridonem atque Hieronymum Istriae adserit, glossematis illustrantur. Disquisitio VIII. Exploduntur ineptiae Irenaei a Cruce, Historiographi Terjestini, ac eiusdem Fratris, Pii Rossii, contendentium, Stridonem castellum et pagum fuisse, et Hieronymum vilem genere ac rusticanum. Disquisitio IX. De Dalmatia universali, et Geographia Irenaica. Disquisitio X. aliquot Irenaicae ignorantiae non illepida paradigmata. Disquisitio XI. Aquilejae an Romae, Hieronymus fuerit sacro Baptismate initiatus, et de ejus amicis Aquileiensibus. Sylloge: Disquisitio II. De Sermone Illyrico in Dalmatia quoad tempora Hieronymiana. Disquisitio I. Cur ante Hieronymi aetatem sermonis Illyrici, nempe huius, quem hodie Slauicum etiam, siue Slauonicum dicimus, fuerit in Dalmatia et per Illyricum usus. Disquisitio II. Hieronymus Illyricae locutionis non ignarus fuit Disquisitio III. De Hieronymi Dalmatica sacrarum Scripturarum versione. Disquisitio IV. De annis b. Hieronymi. Disquisitio V. De Ulphilae, Arianorum Episcopi, Gothica, Getica seu Sarmatica versione. Disquisitio VI. De b. Cyrillo et Methodio, eorumque Slavinica versione. Antiquitatum Illyricarum Pars quarta: Coloniae et reges. Sylloge: Disquisitio I. De Coloniis Illyricorum. Disquisitio I. De Coloniis e minori Illyrico in Italiam transgressis Disquisitio II. De Dalmatensium, Zechi et Lechi, trans Danubium in Poloniam Bojemumque celeberrima migratione. Sylloge: Disquisitio II. De vetustissimis minoris Illyrici Regibus. Disquisitio I. De Cadmo et Cadmeidis. Disquisitio II. De fabulosis quibusdam Regibus, qui post Cadmum in Illyride rerum potiti sunt. Disquisitio III. De Hyllo Meliteo, porcionis Illyrici Rege. Disquisitio IV. De Rege Illyrici Diomede. Antiquitatum Illyricarum Pars Quinta. Historici, seu minoris Illyrici atque Dalmatiae Annales, a Noachico diluuio ad Natale Dominicum propagati. Index Dissertationum, quae in Tomo Secundo Antiquit. Illyricarum continentur. Dissertatio I. Quisnam ex Japheti filiis auctor fuerit Illyricorum. Dissertatio II. Quam late patuerit, et

quas gentes complexa sit Thyre pro pago a prima origine. Dissertatio III. Quas Gentes aliquando occupauerint Thraces armis colonisque. Dissertatio IV. de Thraciae magnae praestantia. Dissertatio V De doctrina ac peritia Thracum. Dissertatio VI. De Sarmatis eorumque terminis et diuisione. Dissertatio VII. De termino orientali Germaniae. Dissertatio VIII. Sarmatae, qui et Daci, Getae, vel Thraces, occupatis regionibus inter Vistulam et Tanaim, obtinuere quoque regiones inter Vistulam et Albim. Dissertatio IX. De nomine ac situ Celtarum, a Scriptoribus confuso. Dissertatio X. Galatarum seu Gallorum antiquissimum nomen in Scythia. Dissertatio XI. Thraces et Sarmatae in Hispania. Dissertatio XII. Bastarnae dicti Galli, quamuis vere Thraces et Sarmatae. Dissertatio XIII. Germani conueniunt cum Thracibus ac Sarmatis corporum morumque similitudine. Dissertatio XIV. De Scordiscis. Dissertatio XV. De Tauriscis. Dissertatio XVI. De Amazonibus, seu Geticis, Thressis, ac Sarmaticis foeminis. Dissertatio XVII. De Boiis. Dissertatio XVIII. De Padi, sive Eridani fluminis etymologia. Dissertatio XIX. Thracum lingua vetus eadem est in hodierna Dalman-Slauo-Sarmatica. Dissertatio XX. Lingua eadem Macedonum et Thracum. Dissertatio XXI. Thessalorum lingua fuit Thracica. Dissertatio XXII. De Inalpinis et Cisalpinis gentibus. Dissertatio XXIII. Lingua Thracum in transpadanis. Dissertatio XXIV. Lingua Thracum in Hispania. Dissertatio XXV. Lingua Thracum in Vindelicis Dissertatio XXVI. Lingua Thracica in Rhaetia. Dissertatio XXVII. Lingua Thracica in Norico. Dissertatio XXVIII. Pannones Lingua Thracica a vetustate utuntur, et primo de Pannonia superiori. Dissertatio XXIX. De Pannonia inferiori. Dissertatio XXX. Lingua Thracica in Histria. Dissertatio XXXI. Lingua Thracica in Dalmatia et Illyrico proprio. Dissertatio XXXII De Lingua Germanica. Dissertatio XXXIII. De Lingua Thracica in Germania, eiusque antiquitate. Dissertatio XXXIV. Lingua Thracum et Sarmatarum in Britannia. Dissertatio XXXV. Lingua Thracum in Hibernia. Dissertatio XXXVI. Lingua Thracum in minoribus Britanniae Insulis. Dissertatio XXXVII. De Deo Teutate, ac de

Tuis-

Tuiſtone et Manno, deo Germanico. Diſſertatio XXXVIII De Druidibus. Diſſertatio XXXIX. De Marte, Thuro et Taravi. Diſſertatio XL. Lingua Thracica, quae hodie Slavonica mater eſt, et neceſſaria ad antiquitates cognoſcendas. Diſſertatio XLI. De Sueuis. Diſſertatio XLII. Poſtulata quaedam, ſeu proponenda ad etymologicas Diſſertationes. Diſſertatio XLIII. De nominibus deſinentibus in Rix, Mund. Rik, Ik, Mirus. Marus, Merus, eorumque origine. Diſſertatio XLIV. De Bert, vel Bret, vel Brit, in nominibus propriis, ficut Vald vel Bald, Char vel Har, Wik, Win, Vit, Gaet, Man, et Rad. Diſſertatio XLV. Brand in nominibus propriis, Sar, Kun vel Chun, Amala, Hermen, et in foeminarum nominibus, Berra, Treda, Linda, Hilda, ſeu Wilda, Druda, Garda, Gilda, Gisla. Diſſertatio XLVI De Getis. Diſſertatio XLVII. De Gothis. Diſſertatio XLVIII De Slauis, quod Gothi ſint Diſſertatio XLIX. De Turcis et Gazaris. Diſſertatio L. De Bulgaris. Diſſertatio LI. Reliqua de Slauis. Diſſertatio LII. De Venedis. Diſſertatio LIII. De Vandalis. Diſſertatio LIV. De Alanis et Alemannis. Diſſertatio LV. De Alemannis. Diſſertatio LVI. De Francis. Diſſertatio LVII. De odio quorundam tranſalpinorum, praecipueque Germanorum, in Slauos ac Illyricos. Diſſertatio LVIII De Herulis. Diſſertatio LIX. De Gepidibus et Longobardis. Diſſertatio LX De Burgundionibus. Diſſertatio LXI. De Saxonibus. Diſſertatio LXII. Sarmatae diverſi a Sauromatibus et a Scythis. Diſſertatio LXIII. De nomine Scytharum et Germanorum. Diſſertatio LXIV. De Scyris. Diſſertatio LXV. Carporum Gens. Diſſertatio LXVI. De diis antiquis et recentibus Sarmatarum. Diſſ. LXVII. Graeci a Barbaris edocti et primum de Homero Diſſ. LXVIII. Homerum numquam fuiſſe, ſuſpicio. Diſſertatio LXIX, Graecia multum profecit ex barbaris in idiomate peaeſertim Thracio. Diſſertatio LXX. De Graecis barbariſque. Quid Barbarus? Diſſertatio LXXI. Bellum Troianum fabula Diſſertatio LXXII. Incerta varia Diſſ LXXIII De Hyperboreis Diſſertatio LXXIV. De Slavis in Gallia. Diſſertatio LXXV. Graeci veteres in rebus tranſiſtranis ac borealibus imperiti. Diſ-

Dissertatio LXXVI. Sarmatae inter Albim et Vistulam, et Germania usque ad Albim, ex antiquissimis vocabulis Sarmaticis, Thracicis, seu Slauicis, in illa regione. Dissertatio LXXVII. Fabula de Brenni migratione, ex Gallia occidua in Graeciam, Thraciam, et Asiam. Dissertatio LXXVIII. Thracia, quam lata est, plena oppidis, a vetustissima aetate usque ad tempora Iulii Caesaris, itemque Sarmatia transistrana, quando Germani adhuc sine oppidis et Nomadum vitam agerent. Dissertatio LXXIX. Iudicium de falsitate characterum Germanitatis ex Mogoduno, Burgo, et Dura. Dissertatio LXXX. Thraces in Gallia. Dissertatio LXXXI. Quibus Alpium itineribus Bellovesus et Galli primo in Italiam descenderint. Dissertatio LXXXII. Lingua Thracum in Phrygia, sive Troja, et in Gallograecia. Dissertatio LXXXIII. De non credendo cantilenarum traditionibus. Dissertatio LXXXIV. De Sarmatia magna ac parua. Dissertatio LXXXV. Taciti locus examinatur. Dissertatio LXXXVI. Cur in nominibus quibusdam Theotiscorum propriis praefixum sit H. vel Ch vel K. et aliquando omissum. Dissertatio LXXXVII. De Rheginibus Josephi. Dissertatio LXXXVIII. De diuersitate linguarum Gallorum et Germanorum. Dissertatio LXXXIX. Tacitus satis indiligenter de Germanis tractauit. Dissertatio XC. Populi Slaui noti olim iisdem nominibus recentioribus, inter Albim et Vistulam. Dissertatio XCI. Sequuntur nomina novantiqua Slavorum inter Albim et Vistulam. Dissertatio XCII. De Matronis Aufanis, deabus. Dissertatio XCIII. De deo Thracum Sarmatarumque supremo, qui Jesse, sive Stagh, absolute dicebatur. Dissertatio XCIV. De dea Vesta.

Patet ex hac Synopsi, quam praeclarum Opus Giorgius, Ord. Benedicti Socius, iam fatis functus, et in republica litteraria aliunde notus, instituerit, illustrandae totius Illyrici geographiae et historiae utilissimum. Igitur optamus vehementer, ut orbum parente librum, inclyta respublica Ragusiensis, suis sumtibus, illustrissimo Comite di Ragnina patrocinante, prodire in publicum iubeat, efficiatque adeo, ut ex auctoris doctissimi immenso labore etiam exteri proficiant, et spem, de liberalitate atque amore litterarum illustrissimae reipublicae non immerito conceptam, confirmatam videant.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXIII

M. OLAVI GERHARDI TYCHSEN, PHILOS. et Literaturae Orient. in Acad. Bützoviensi Professoris Ord. et Biblioth. Praefecti, Tentamen, de variis Codicum Hebraeorum Vet. Test. MSS. generibus, a Judaeis et Non-Judaeis descriptis: eorum in classes certas distributione, et antiquitatis et bonitatis characteribus.

Rostochii, MDCCLXXII, pagg. 372. forma 8.

Quanto attentiores plurimorum animos hic liber reddidit, nostris temporibus, quibus Critices V. T. studium, aliquandiu sepultum, excitari instaurarique videtur, accommodatus: eo dignior nobis videbatur, cuius argumentum lectoribus, pro nostrorum Commentariorum more, diligentius exponeremus. Videtur omnino *Tychsenius* V. Cl. quem ingenio, literarum hebraicarum scientia, maxime vero Rabbinorum lectione excellere aliunde constat, in hoc libro hoc potissimum consilium secutus esse, ut Criticam V. T. etiam si modeste et legitime institutam, eliminaret, eamque, nisi plane noxiam et periculosam, tamen nostra aetate minus ne-

 ces-

cessariam parumque utilem esse ostenderet, neque tantum ipsum Critices studium, sed et operam in emendando textu masorethico a viris peritis collocatam, in contemtum suspicionemque adduceret; lectores vero V. T. doctos de bonitate et integritate textus impressi securiores redderet, majorique erga illum imbueret reuerentia. Quod quidem consilium etiamsi non diserte declarauit, hypothesibus tamen suis atque conjecturis illud arte quadam ita inuoluit, ut omnem criticorum subsidiorum usum dubium redderet atque incertum. — Talem librum, in tanta temporum nostrorum peruersitate, ne dicamus profanitate, gratissimum fuisse exoptatissimumque Critices sacrae aduersariis, textusque hebraei a Masorethis nobis traditi veritatem defendentibus, quis est quin suspicetur? Neque fefellit suspicio. Etenim illum tanto cum plausu exceperunt sententiae istius fautores, tanta admiratione, tanta laude prosecuti sunt, ut eo superstitionis progrederentur, ut, quoniam auctoritatem ei diuinam tribuere, quod fecissent lubenter, religioni sibi ducerent, nullius erroris illum conuinci, nihilque contra dici posse, sibi aliisque persuaderent, palamque profiterentur et pronunciarent.

In praefatione A. non modo queritur de opera virorum doctorum, in conferendis Mss. V. T. codd. ad emendandam textus recepti lectionem irrita, et inutiliter olim posita; sed etiam maxime Ven. Kennicotti diligentiam in hoc genere plane egregiam, fructu carituram esse atque successu, sinistre ominans diuinat; immo hunc conferendi Mss laborem majori detrimento, quam emolumento fore, existimat, nisi historia codicum exponatur, eorumque diuersa genera quam accuratissime ante explicentur, quam inde lectionis varietas conquisita proponatur. Codicibus enim collatis, adeoque collectis inde variis lectionibus, non idem statuendum esse pretium iudicat; id quod nemo in dubitationem vocabit. Sed Ven. Kennicottus codicum, unde varietates lectionis conquisiuerit, historiam, in Prolegomenis se expositurum esse

se

se promisit. Miratur porro, nondum virorum doctorum quemquam ad discrimina generum MSS. ebraicorum animum attendisse; codices V. T. manuscriptos pro exactis a Judaeorum librariis tam indubitate habitas fuisse, et ex iis, nulla discriminis ratione habita, lectionis varietates colligi, quibus textus impressus emendari possit. Et vero etiam affirmare audet, ex CXLIV. codicibus in Anglia collatis nullum textui ebraico typis exscripto praeferendum esse, quoniam omnes ad spuria codicum hebraeorum genera, quorum characteres suppeditat, referenda esse censet. Etenim fieri posse negat, ut tot centena millia variarum Lectionum, quot a Kennicotto iam corrasa sint, in codicibus a genuinis librariis judaicis exaratis deprehendantur, quod ii ab antiquissimis temporibus ad regulam descripti fuerint. Ne igitur tam ingens V. L. collectio pretio suo excidat, usuque privetur, Manuscriptorum habendum esse delectum quendam praecipit, ut nimirum spuria v. g. a Christiano, Exiudaeo, Haeretico, puero exercitii causa etc. descripta, item graecissantia et latinizantia, a bonis et genuinis discernantur, et ex his bonae notae codicibus varietas lectionis hauriatur. Itaque in hoc libro A. primus negotium arduum illud aggressus, ad dignoscenda V. T. codicum hebraicorum diuersa genera viam munire instituit.

Sed in eo hunc tenuit ordinem, ut primo, historia duce, e monimentis demonstraret, exstitisse olim, et adhuc existere, codd. V. T. hebraicorum varia genera; deinde classes, in quas singuli codices distribuendi sint, constitueret; denique vero de criteriis antiquitatis et bonitatis MSStorum, ciuitate sine ullo suo merito donatorum, quaedam dissereret. Veniamus autem ad librum ipsum. In prima igitur illius Sectione hoc egit A. ut ex locis Talmudis, aliorumque scriptorum Judaicorum, ostenderet, antiquissimis jam temporibus fuisse inter Judaeos codicum biblicorum V. T. hebraicorum varia genera, de quorum usu atque pretio illi dubitarent, quod quidem in locis legis eorum laudatis iis statuitur.

Talmud codices ſpurios reiiciendos, immo comburendos iudicat, ab hominibus Non-Judaeis, ad quos Chriſtiani et monachi praecipue referuntur, deſcriptos. Ex pluribus illis teſtimoniis aliquot tantum commemorabimus. Primus locus, isque palmarius, ab A. ita translatus eſt: „Libri le„gis (lora precatoria et ſchedulae poſtibus affigendae) ab „Haeretico, Proditore, a Judaica religione alieno, miniſtro „idolatrico, (ſ. Monacho) mancipio, femina, minorenni, „Cuthaeo (ſ. Chriſtiano) et Apoſtata Iſraelitico ſcripti, il„legitimi ſunt.“ An vero haec verſio verbis Talmudis vere reſpondeat, paululum excutiamus. Sub nomine Non-Judaeorum complectitur omnes Exiudaeos, Chriſtianos natos, haereticos et gentiles. Sed nondum ſatis liquet, vel uno verbo ſignificari monachos et Chriſtianos. Verba (עבדי עצרת אלילים) quorum ſcribendorum compendium עצא eſt, idolorum cultum exercentem denotantia, vertenda arbitratus eſt, *monachum*. Judaeorum quidem recentiorum plebeculam hoc nomine aduerſus *Chriſtianos*, Pontificios maxime, contumeliae cauſa uti, notum eſt: ſed quis tam antiquum librum, Talmudem, ex recentiori loquendi uſu, quem ſequitur Judaeornm plebecula, explicabit? Aſt cauſa, cur non Chriſtianos, ſed *monachos* tam callide interpretatus ſit, eſt in promtu.

Nam ſi verbis עצא et מינים ſubieciſſet vertendo Chriſtianos, ter idem vocabulum *Chriſtianorum* adhibendum fuiſſet; id quod lectoribus ſuſpicionem aliquam moturum erat, adeoque argute vitandum putauit, τῷ מינות per *haereticos* ſimpliciter, עצא per *monachos*, et tum demum כותי per Chriſtianos reddendo. Sed cum vocabulum כותי, quamquam interdum Chriſtianos Judaeosque haereticos contumelioſe ſignificet Samaritanos tamen certo et indubitate denotare, et Pentateuchum Samaritanum tam notum, tamque inuiſum fuiſſe conſtet deſcriptum vero a Chriſtianis vel ignotum, vel incertum fuiſſe, credibile ſit: num judex harum rerum peritus, ſignificationem rariorem *Chriſtia-*

norum

ctorem tum, quando Talmud Pentateuchum a Samaritano descriptum reiiciendum statuit, adhibendam censebit, ut inde, Pentateuchum eo tempore, quo Talmud in unum corpus coaluit, a Christianis saepe descriptum fuisse probaretur? Verum ad hanc significationem illustrandam, locum, ubi Cuthaeis sacram coenam tribui putat, commemorat, qui ita habet: „Tradiderunt doctores nostri, bestias „ab haeretico immolatas, ad cultum idololatricum esse mactatas, panem et vinum eius esse Cuthaeorum (s. Christianorum) panem et vinum (in sacra coena adhibitum,) „et libros illorum libros acheronticos." In hoc loco, ubi ne tantillum quidem de Sacra coena mentio fieri videtur, Tychsenius verbis suam sententiam addere non dubitat: *panem et vinum*, (in sacra coena adhibitum.) Et de vocabulo Cuthaeorum, quos etiam h. l. Christianos interpretatur, eadem quaestio redit, cur significationi notiori praeferendam arbitretur insolentiorem, maxime in locis ubi de Pentateuchis descriptis sermo est. Mirandum profecto esset, si Talmud in Pentateuchis manuscriptis prohibitis reiiciendisque, non commemorarit codicem Samaritanum. Sed sentiens A. egere hanc versionem tam arbitrariam confirmatione aliqua, Samaritanos h. l. qui legem suis literis descripsisse dicantur, indicari dubitat propterea, quod Judaei Samaritanum Pentateuchum legere non potuerint. Fingamus autem Judaeos literas Samaritanas, ut nostra aetate viuentes, non calluisse; num inde sequitur, eos Pentateuchum illum non potuisse reiiciendum, corruptum, et comburendum judicare? Judaeos autem, qui temporibus Talmude antiquioribus viuebant, Samaritanas literas non modo tenuisse, etiamsi Pentateuchum literis iis scriptum reiicerent, sed et iis in vita communi ad scribendum usos fuisse, ex Samaritanis numorum inscriptionibus doceri potest. Deinde partium studio ductus, eo progressus est A. ut etiam Sadducaeos, quorum descriptiones ex sententia Talmudis comburendae erant, pro Christianis, immo etiam mona-

 chis

didiſſe, ut ex ipſis fontibus Judaeos conuincerent, alios vero artis calligraphicae peritos monachos, tam ex Chriſtianis, quam Judaeis oriundos, codices hebraeos deſcripſiſſe, haud vulgaribus teſtimoniis munire conatur. Teſtimonium autem iſtud haud vulgare, quo ſententiam ſuam confirmat, eſt *unum* tantummodo R. Jechielis, in diſſertatione cum Frid. Nicolao Exiudaeo, Pariſiis Sec. XIII. habita, cuius verba haec ſunt: „Similiter ad hunc usque diem exſtiterunt Monachi et Exiudaei, aeque praeſtantes, ac illi" ſc. Hieronymus, quem totam legem et uniuerſum Talmud didiciſſe, idem affirmet Jechiel. In hoc autem loco, ſermonem eſſe de Exiudaeis perſpicue apparet; neque inde certo colligi poteſt, praeter eos, multos fuiſſe monachos ebraice doctos: nam locutio haec, *Monachi et Exiudaei*, commode ſignificare poteſt monachos eosdemque Exiudaeos, maxime ſi ſpectes genus loquendi Rabbinicum (גלחים ומשומדים.) Fac vero, Jechielem verbis ſuis hunc ſenſum ſubiici nolle; vnum tamen illius verbum neutiquam ſufficiet ad hanc, de literis hebraicis aetate media in monaſteriis admodum aſſidue tractatis, ſententiam probandam. Huic ſubiungit aliud argumentum. Quoniam Origenis biblia hexapla et octapla, quorum columna prima textum ebraeum literis hebraicis exaratum continebat, a librariis Chriſtianis vel centies deſcripta fuiſſe conſtet, credibile ei etiam videtur, illos quoque codices pure hebraicos, aeque atque eiusmodi biblia polyglotta, exaraſſe. Sed verendum eſt, ut unum exemplum Hexaplorum aut Octaplorum reperiatur, cum Hexapla ita funditus periiſſe, ut ne particulam quidem eorum ulli uſpiam conſpicere licuerit, teſtetur Montefalconius, qui collecta tantum eorum fragmenta edidit. Quodſi igitur media aetate Hexapla in monaſteriis tam ſaepe deſcripta fuiſſent, profecto ea non plane periiſſe poterant, ſed unum certe exemplum repertum fuiſſet a Criticis, qui curioſius ea quaerebant. Praeterea, per omnia poſt Chriſtum natum ſecula, doctiſſimos Exiudaeos deſcripſiſſe, confidit Auctor.

His

His ita ſumtis, criteria quaedam exhibet §. 8. quibus codex a Chriſtiano deſcriptus agnoſci poſſit. In horum numero ponit *primum* omnia Mſſta, quae Maſoram ſub figuris draconum, ſphingum, urſorum, porcorum, aliorumque animalium immundorum, marginibus adpictam habent; tum quae vulgatam latinam, vocabularia etc. adiuncta habent; deinde Mſſta ad vulgatam; et denique Mſſta ad LXX. viralem translationem effecta. Quorum codicum exempla deinceps proponere pergit. Ad primum igitur genus refert Mſſta Maſoram animalium figuris depictam habentia, propterea quod monachos eiusmodi calami ludis delectatos, Judaeos e contrario imaginibus quibuscunque, maxime impuris iſtis, infeſtiſſimos olim fuiſſe, conſtet. Sed non opus eſt, monachis talium codicum deſcriptionem aſſignare, cum neque Judaicos librarios ab iſtis pingendi ſcribendique luſibus alienos fuiſſe, id quod ipſe A. exemplo libri Eſther confirmat, neque imagines, praeter Dei, tanto habuiſſe odio, ut plane ab iis abſtinerent, nemo ignoret. Deinde in iis codicibus, quos ex Wolfii Bibl. Hebr. ad hanc primam claſſem refert, ponit etiam eum, qui in Bibliotheca Dresdenſi Electorali reperitur. Nomen ſcribae ibi ita expreſſum cernitur: Elieſer, filius Samuelis Leui, ſcriba מהדן, quod vocabulum a nemine, qui hunc codicem deſcripſit, explicatum, ſcripturae compendium eſſe coniicit verborum: מן הקהל דנוצלים i. e. e coetu Chriſtianorum, ſ. Exiudaeum. — Utrum vero codices, quorum literae initiales auro aliisque ornamentis ſuperbiunt, a ſolis Chriſtianis fuerint transſcripti, an quoque Judaeorum librariis adſcribi poſſint, non definit quidem, ſed tamen probabile putat, quoniam Talmud prohibuerit, nomina diuina auro vel coloribus aliis ſcribere. Hic addere lubet, non quo nos rem credere declaremus, ſed potius animi cauſa, breue quidem, verum graue Auctoris de Joſepho judicium, qui volumen legis ad Ptolomaeum regem miſſum, membranaceum, et aureis literis ſcriptum fuiſſe, refert: „*Fides ſit penes auctorem.*“

Quis hoc ferat, ſcriptori antiquiori, et fide digniori, fidem denegatam, Talmudi recentiori, fabulisque ſibi contrariis, et ex meris traditionibus depromtis referto, tribui? Per hanc opportunitatem refutat Hubigantium, temere criminantem: omnes Bibliorum hebr. editiones adornatas eſſe ad editionem a Chaiimo curatam, huic vero imprimendae adhibitos fuiſſe codices notae inferioris quod ipſe R. Chaiim teſtetur, conquerens, in ſuis codicibus Maſoram magnam, variis animalium figuris non tam ornatam, quam deformatam, inexplicabiles errores continere. Hanc Hubigantii criminationem nullo omnino niti fundamento, ita demonſtrat. Primo, ait, ante illam editionem multas editiones prodiiſſe, in diſſitis regionibus, ex Mſtis optimae notae expreſſas; deinde teſtimonium Chaiimi allatum ſe plane non ita habere. Teſtari quidem Chaiimum, ad manus ſibi fuiſſe codices, Maſoram imaginum figuris refertam exprimentes, ex quibus nullo modo quidquam percipere potuerit, ſed ſe hos ad alios, in quibus Maſora ſeorſim ſcripta extiterit, caſtigaſſe.

Ad alterum genus codicum a Chriſtianis ſcriptorum non modo refert eos, qui unam aut plures verſiones latinas, aut vocabularia, adjuncta habent, quorum multos ex Wolfio et Kennicotto commemorat, ſed etiam eos, quibus addita eſt paraphraſis chaldaica, ſyriaca, arabica. Quos Chriſtianis librariis originem debere, etiamſi nemo dubitat, ideo tamen, quod habet verſionem latinam adiunctam codex, non reiiciendus videtur, ſed textus conferendus eſt cum verſione atque an ex illa mutuaetus ſit, prius videndum, quam reiicias illum, deprauatumque judiees. Tum §. 11. fuiſſe codices ait, tertii generis, hebraeos, ad vulgatam refictos, uno pſalterio hebraico Anglicano oſtendit, quod ex vulgata correctum eſſe, non exemplis docet, ſed auctoritate doctorum virorum quibus et nos multum fidei tribuimus, confirmat. Quapropter autem nullum ſibi omnino dubium eſſe ait, quin eiusdem conditionis *multi paſſim* extent codices, ad vulgatam praeprimis antiquam (qualem intelligat, an fortaſſe

eam,

eam, quae fuit ante Hieronymi aetatem, non apparet,) reformati. Inde colligit, codices, si cum versionibus antiquis conspirent, a Christianis ex versione deprauatos esse. Porro, etsi textus cum Syro interprete consentiat, tamen nihil huic tribuendum censet, quoniam illius etiam descriptorem ex eodem fonte hausisse, atque adeo graecissare, opinatur.

Hinc ad quartum genus transit, et §. 12. disquirit, an olim extiterint, atque etiamnum reperiantur codices ebraei, ad graecarum translationum aliquam reformati. Codices tales graecissantes extitisse docet loco Talmudis Hierosolymitani, ubi narratur, in templo Hierosol. tres codices repertos fuisse, in quorum uno Exod. 24, 11. זעטוטי, in duobus aliis נערי scriptum fuerit. Inter hos tres codices iste dictionem זעטוטי pro נערי seruans, Tychsenio videtur ille ipse, aut saltem apographon eius fuisse codicis, quem Judaei quidam, in gratiam Ptolomaei Philadelphi, Aegyptiorum regis, graecis literis transcripserant. Quod quomodo ex hoc loco colligi possit, nos non videmus. Causam vero affert hanc: Judaei in eo codice, ne rex offenderetur, mutarunt, ut tradunt Talmud et Rabbini, loca tredecim, et in iis etiam illum, ne putaret rex, Judaeos ad deprecandum Schechinam misisse *vilissimos*, ibique scripserunt pro נערי, iuuenibus, זאטוטי digniores, quod vocabulum graecum ζητητῶν referre, et personas virorum summorum, magistratus, quaestores significare, recte judicat A. — Sed hic praeter omnem expectationem natales Versionis Alexandrinae incipit indagare, ab omnibus huc usque ignoratos. Auctori igitur exploratissimum esse videtur, Aristeae, Aristobuli, aliorumque veterum de hac translatione, (seu potius *transscriptione* codicis sacri graecis literis instituta,) relationes, quoad causam principalem omnem mereri fidem. Quamquam dat, falsa veris mixta, aut potius multa ad ornatum orationis, vel ad conciliandam legi Judaicae inter gentes auctoritatem aestimationemque, historiae intertexta fuisse; ta-

men relationem totam pro fabula habere nefas esse putat. Neque hoc negari posse, Ptolomaei Philadelphi tempestate tale quidquam fuisse tentatum, ut scilicet lex Judaeorum genuinis ebraicis characteribus scripta, non modo in Bibliotheca Alexandrina reconderetur, sed etiam in gratiam Judaeorum Aegypti, graecis literis, et pronunciationi hebraeo-graecae conformiter transscriberetur, quo in publicis praelectionibus legem, qua eo usque caruisse videantur, rite recitare possent. — Cauendum vero esse, existimemus, tum temporis vere adornatam fuisse translationem graecam. Mirum enim esset, neque perspici posset, cur legati Hierosolymitani, non ex Bibliis genuinis characteribus scriptis, quae secum attulerant, sed ex transscripto exemplari hebraeo graeco, versionem suam adornassent. — Nihil itaque A. superesse credit, quam ut vel veterum relationes de instituta eiusmodi legatione, simpliciter pro fabula habeamus, atque sic in difficultates inextricabiles nos immergamus; vel ex fide priscorum et Talmudis assumamus, s. credamus, legatos illos siue legem solam, siue Biblia integra, in regis gratiam minime *vertisse*, sed solummodo *graece transscripsisse*, atque ex eorum exemplari hebraeo graeco Judaeos Alexandrinos, vel superiorum jussu, vel priuato studio, versionem graecam adornasse. Omnibus igitur probe perpensis, ita fert sententia Autoris: Exemplar hebraeum, a legatis Judaeorum regi oblatum, iis ideo redditum fuisse, ut literas hebraicas in graecas transfunderent. Sed quo consilio? Nescimus, utrum obliuione eorum quae paulo ante dixerat, delapsus, an aliis causis inductus, mutauerit sententiam, quam tamen p. 64. repetit et confirmat; atque miramur, cur h. l. ideo id factum esse dicat, ut rex ipse fontes legere posset. Dubium enim esse cuipiam posse negat, qui affinitatem dialectorum Aegypti et Phoeniciae, inter quas hebraeam medium tenere testetur Hieronymus, nouerit, quin rex doctissimus ille, sine negotio et interprete, hebraica, simulac notis ipsi characteribus, et ad vulgarem pronuntia-

ſtationem accommodatis fuerint deſcripta, intelligere potuerit: (de quo tamen magnopere dubitari poteſt.) Sed ad cauſas veniamus, quae Auctorem ad hanc hypotheſin primariam, cui tamquam fundamento multa alia ſuperſtruit, ſuſcipiendam impulerunt. Prima eſt haec. In Talmude mentio tantum iniicitur legis aut Scripturae S. literis graecis *transſcriptae*, non autem graece *translatae*, in gratiam Ptolomaei regis. In iis locis quater uſurpatur vox כתב, quae *ſcribere*, *deſcribere*, minime vero *transferre* denotet. Qua cum voce etiam Ariſteae et Philonis verba μεταγςάφεσθαι, ἰναςμόζεσθαι, μεθαςμόζεσθαι, quae ſola notione *transſcribendi*, *transformandi* gaudent, conſpirant. — At non modo tota orationis ſeries docet, de verſione, non de deſcriptione, ſermonem eſſe; verum etiam verba clariora et magis perſpicua, quibus ambigua illa et obſcuriora illuſtrari explicarique debent, ἑςμηνεύειν, μεταβάλλειν, διεςμηνεύειν, quae ubi de eadem re ſermo eſt, non niſi *interpretationem* ſignificare nullo modo negari poteſt, declarant. Inſuper ſane mirum eſſet, hanc iſtorum verborum vim, doctiſſimis Joſephi et Philonis editoribus, Havercampio et Mangeo, non in mentem veniſſe. —

Altera cauſa eſt haec: Tria loca ex tredecim illis ab Interpretibus mutatis, ſiue corruptis, manifeſte, extra omnem dubitationis aleam ponunt codicis hebraei transſcriptionem graecam. Loca ſunt a) Genes. 1, 1. בראשית ברא אלהים mutarunt in אלהים ברא בראשית, ne rex ex mente Raſchii diceret: Breſchith eſſe nomen Dei, atque ſic duo principia, quorum unum alterum crearit, a Judaeis ſtatui. b) Exod. 24, 5. loco נערי ſubſtituerunt זעטוטי, de quo ſupra diximus. c) Leuit. 2, 6. ubi ארנבת transmutauerunt in צעירת הרגלים, vel, quoniam regis uxori nomen erat Arneber, vel quod aui cognomen *Lagus*, leporem quoque denotat, ne fortaſſe rex ſe a Judaeis ludibrio haberi putare poſſet. Tertium cauſam in eo ponit A. quod Origenes, in altera columna Hexaplorum ſuorum, textum hebraeum

braeum graecis literis scripsit. Utrum vero ex Prototypo graeco, ab oratoribus Hierosolymitanis, jussu Ptolomaei concinnato, an ex quodam illius apographo, mutuatus sit, quamquam indecisum relinquit: neminem tamen credit futurum esse, qui ipsius opera hunc foetum exclusum esse serio affirmet, quoniam tantam linguae hebraicae scientiam, quanta tanto operi perficiendo sufficeret, non habuerit. — Quomodo autem respondet judicium Autoris de Origenis hebraicae linguae scientia illi sententiae, quam supra p. 29. jam de eo tulerat, ubi eum describendo codici ebraeo operam dedisse diserte laudarat? — Quicquid vero sit, inde tamen apparere ait A. ipsius etiam aetate Judaeos adhuc codices hebraeo-graecos habuisse atque adhibuisse; sed *hoc erat demonstrandum.* Sine dubio locum dedit Viro Clarissimo hanc in sententiam incidendi, Origenis descriptio textus ebraei literis graecis, quam fecit in usum Graecorum Christianorum, qui cupiebant discere linguam Hebraicam, ut possent hoc praesidio adiuti commodius legere et discere. Ante Origenem eiusmodi descriptionem e titisse, et si extiterit, eam tamen ad aetatem Ptolomaei assurgere, nullo testimonio historico satis idoneo probari potest.

Quartum argumentum, cui ad suam ipsius persuasionem maximam vim tribuit, est, quod Interpretes Versionis, quocunque demum tempore facta sit, in adornanda translatione sua, eiusmodi exemplar hebraeum graecis literis scriptum *unice ob oculos* et *ad manus* habuisse credit, praesertim ideo, quod ex illa hypothesi innumerae variae lectiones, et cuiuscunque generis mutationes, sine ullo negotio expediri possunt. Ut vero collatio characterum textus hebraeo graeci cum genuinis textus ebraei characteribus rite procedat, tum ante omnia literarum graecarum ductus ante Chr. Nat. usitati, tum etiam consuetudo hebraea graecis literis scribendi, et ad graecorum organa loquelae repraesentandi, probe spectanda sunt. Insuper tenendum est, Graecos ista aetate, praeter scripturam βουςροφηδὸν, scriptura quoque *continua* usos fuisse.

Ante

Ante vero quam A. hanc hypothesin exemplis illustret, duas primarias transscriptae literis graecis Scripturae Sacrae caussas commemorat. Et primo quidem existimat, Judaeos etiam scripturam duplicis generis, alteram sanctam, alteram profanam, habuisse. Sanctam scripturam, qua Biblia exarata erant, ut peculium templi Hierosol. reseruatam, illiusque extra templum copiam nulli olim factam fuisse, partim ne profanaretur, partim ne Judaei extra Hierosolymam habitantes a templi frequentatione sensim auocarentur. Ptolomaeum eam ob caussam voti sui aegre compotem fuisse factum, nisi legationem tam splendidam Hierosolymas ablegasset. Deinde Tychsenio rex non in animum inducturus fuisse videtur, codicis unius caussa tot sumtus impendere, nisi Judaei Alexandrini, quorum numerus in myriades iam excreuerat, et qui legis librum genuinum non possidebant, eum ad id faciendum instigassent. Quoniam autem ii neque literas sanctas callebant, neque recte legere poterant; praelectio vero Parascharum lingua hebraea, qua a Mose scriptae erant, peragenda esset: in gratiam eorum eiusmodi transscriptionem adornandam fuisse, colligit A. (Attamen qualem usum habuisset talis transscriptio?) Neque inde obscure intelligi putat, Interpretes Alexandrinos, in sua versione fontes ex eadem caussa consulere non potuisse, si vel iis ex bibliotheca regia potiti fuissent, sed in solo codice hebraeograeco acquiescere debuisse. Praeter LXX. Interpretes, Aquilam quoque, Symmachum, et Theodotionem, in transferendo codice hebraeo-graecum fundamenti loco posuisse, exemplis docet, quae magnam habent speciem, et incautum reique imperitum facile fallere poterunt. Initium exemplorum commemorandorum facit ab Aquila. Hos. 13, 14. אהי ero: Aqu. που, ubi. Nam אהי et איה graece eodem modo scribuntur, ἰει aut ἰε. Ibid c. 3, 1. אשישי fundamenta: Aqu παλαια, antiqua. Cogitauit ישישי, a codice suo deceptus. Utrumque enim scribitur, ισισι aut ἰσισι. Eccles. 2, 25. יחוש sentiet: Aqu. φείσεται, parcet.

parcet. Ergo יחוס in mente habuit. Nec mirum: nam inter ש et ס in codice graeco nullum detegi poteſt diſcrimen. Eſai. 49, 5. לא non: Aqu. לו ei. Nam utrumque, graece ſi ſcribatur λω, diſcerni non poteſt. Pſ 25, 13. יורנו, docebit eum: Aqu. φωτίσει, ἀυτον illuminabit illum, cf. v. 8. In mente habuit יאיר. Aegre enim utraque verba in ſcriptura graeca ἰχρενου, aut ἰωρενου; in ebraea autem genuina facillime diſcernuntur. Jam deinceps. Exempla ex Theodotione deſumta ſunt: Eſai. 16, 8. שדמות, agri: Theod. ἀγροι θανατου, agri mortis. Cogitauit שדי מות, ob ſcripturae continuae lubricitatem σεδεμωθ, aut σαδεμωθ, ad hunc lapſum allectus, quod fieri omnino non potuit, ſi authenticum textum adhibuiſſet. Gen. 2, 22. אשה, vira: Theod. λημμα, aſſumtio. Quoniam in codice eius hebraeo-graeco ισσα ſcriptum erat, quod cum ישא, aſſumet, congruebat; mirum non eſt eum ſic et non aliter transtuliſſe. Ibid. c. 4, 4. 5. ישע et שעה, reſpexit: Theod. ἐνεπύρισεν, accendit. Fefellit eum ſcriptura graeca ισα et σαα, ut chaldaicum אזא, זאא, aut יצה, accendere, inflammare, in partes ſuas vocaret. Pſ. 27, 11. הורני, doce me: Theod. φώτισον με, illumina me. Cogitauit radicem אור, האיר, quod aliter cadere non poterat, quia codicem genuinum non inſpexit. Iniurios igitur eos in Theodotionem eſſe putat, qui cum Montefalconio ei inſcitiam linguae ebraicae vel eo nomine exprobrant, quod dictiones quasdam hebraeas intellectu facillimas transferre neglexerit, ſatius ducens, eas, quoniam ſcriptura et pronuntiatione deformatas aſſequi diuinando non poterat, graecis literis exprimere, ut Leuit. 7, 13. פגול foeditas, φεγγουλ ſ. φεγγωλ: Eſai. 64, 6. עדים teſtes, ιδδιμ, et alia. Neque reticet conſuetudinem auctoris codicis hebraeo graeci, Schurek et Cholem promiſcue ut I exprimendi, quo interpretes ſaepe ſunt decepti; cuius exempla profert multa. Sed tranſeamus iam ad exempla e Symmacho conquiſita. Gen. 22, 1. pro hebraeo נסה tentauit, ob ſoni νισσα ambiguitatem ſubſtituit נשא, ἐδόξασε. Ibid.

Ibid. v. 2. Mons מוריה (Moria) ipsi est mons τῆς ὀπτασίας, visionis. Esai. 28, 29, תושיה realitatem: Symm. σωτηρίαν, salutem. Cogitauit verbum ישע. Nam ה et ע in scriptura graeca communiter ut A scribuntur. Ibid. c. 5, 1. בנ filius: Symm. *inter*. Cogitauit בין. Quod vero tres isti interpretes hebraicis magis respondeant, quam Alexandrini, caussam repetit inde, quia vel ex consuetudine cum doctis Palaestinae Judaeis meliora edocti, vel genuino codice post adornatas translationes potiti, loca quaedam curis secundis hebraeae veritati conuenienter mutasse, aut utrumque codicem, et ebraeum et graecis literis scriptum, adhibuisse ei videntur. Sed meram hanc coniecturam esse, fatetur ipse.— Per hanc occasionem defendit Josephum et Philonem, quibus Capellus et Scaliger, aliique, inscitiam hebraeae linguae hoc nomine exprobrant, quod ille הבל luctum, שמשון fortem, et זבולון oppigneratum; et hic Genes. 41, 45. צפנת פענח per κρυπτων ευρετης, fuerant interpretati. Josephus enim ex codice hebraeo-graeco אבל luctum, שאמצה qui robustus, et שהבולה quod oppigneratum, ἀβελ, σαμζων aut σεμνων, et σαβουλων; Philo autem σαφενας βηνα aut βάνε, quod ad בה et צפן facillime referri poterat, legerunt. Ii vero quamquam ita facile defendi, et nodi, Vossio intricati visi, sine molestia solui possunt: tamen mirum est, Josephum, Judaeum tam doctum, in Palaestina natum et educatum, eumque sacerdotem, non habuisse codicem hebraeum.

Hinc pergit A. ad exempla Vers. Alexandr. commemoranda permulta, e quibus paucula tantum adiiciemus. Gen. 3, 15. ישופך conteret aut vulnerabit te: LXX. σου τηρησει, obseruabit te. Scriptum erat ισουφαχ. Hinc aeque facile יצופך ac ישופך cogitare poterant. Ps. 40, 7. אזנים aures: LXX. σωμα, quamquam in h. l. Ven. Semlero assentiri velit. Ps. 28, 8. למו, λαμω ipsis: LXX. του λαου αυτου populo suo. Cogitarunt לעמו λαμω. Esai. 9, 5. אבי pater: LXX. ἀξω adducam. Cogitarunt אבוא a

 rad.

rad. ברא. Esai. 5, 16. גרים peregrinantes : LXX. *ἄρνες* agni, cogitarunt כרים. Pluribus parcamus. Ex iis omnibus ostendit A. Interpretes eos nullo modo codice genuino hebraeo, sed hebraeo graeco usos fuisse. Omnia huc usque proposita in unum colligit, atque inde axiomata elicit haec:

I. Talmudicorum Doctorum relationes de lege, siue vniuersa S. S. literis graecis ad exemplar hebraeum transscripta, itemque de mutatis in prototypo hebraeo-graeco XIII. plus minus locis, supra adductas, firmo niti fundamento.

II. Codicem זעטוטי (Zetuti) in templo repertum, sed ut spurium damnatum, fuisse eiusmodi exemplar hebraeo graecum, ideo forte ibi asseruatum, ut Judaei Hellenistae diebus festis eo in publicis praelectionibus uterentur.

III. Translationem sic dictam LXX. viralem, adde reliquorum interpretum graecorum versiones, e tali exemplari ebraeo-graeco fuisse factas. Num decurrente aeuo ab Origene, aliisque Patribus, in quibusdam locis pro modulo ingenii e codice ebr. genuino correcti fuerint, in medio quidem nunc relinquit, licet vero illi videatur simillimum.

IV. Legem ad vsus Judaeorum, apud exteras nationes commorantium, itemque proselytarum, genuinis cuiuslibet nationis characteribus scriptam fuisse.

V. Codicum, genuinis characteribus hebraicis scriptorum, raritatem summam, eorumque copiam nulli extra templum Hierosol. fuisse concessam, atque hinc omnino sibi constare Judaeorum de Scriptura sacra et profana relationes.

Porro his addit quaedam, illustrandi causa. Si cogitentur Judaei superstitioni adeo dediti, ut v. c. nomen diuinum Jehovah pronuntiare vetarent, vix credibile esse Synedrii magni assessores legem literis quas sanctas putabant, scriptam, ad Ptolomaeum regem, eumque gentilem, misisse; sed potius aliud exemplar literis profanis, v. c. chaldaicis, scriptum, et ad pronuntiationem ebraeo-aramaeam, quoad fieri

fieri potuerit, accommodatam, transſcribendum curaſſe. Rationes, quae haec coniicere ſuadeant, aſſerit has: 1) quod Philo de lege Judaica e chaldaica in graecam linguam transfundenda, (εἰς ἑλλάδα γλῶσσαν τὴν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι,) loquatur. Eos, qui h. l de *translatione* chaldaica ſermonem eſſe putant, fabulam narrare dicit; ipſa Philonis verba ſatis ſuperque oſtendere, et ulteriori ſe leuare diſcuſſione. Atque nos quoque ulteriori talium diſcuſſione leuant, quae jam ſupra de huius loci interpretatione monuimus, maxime vero quoniam ex inſtituto *Dathius* Vir S. R. in Praefatione ad *Verſionem Prophetarum minorum*, ut omnem hanc hypotheſin Tychſenianam, ita etiam hanc explicandi rationem, quam diligentiſſime diſcuſſit, atque refutauit. Immo etiam defenſor hypotheſis Tychſenianae, *Graſſmannus*, Suecus, in Diſſertatione, in qua nuper, *Hypomnemata hiſtorico-critica ad illuſtrandam hypotheſin de codicibus ebraeo-graecis Interpretum graecorum V. T.* (de qua alio tempore uberius exponemus,) Halae defendit, agnoſcit, verba ea, in quibus transſcriptionem quaerit Tychſenius, non modo innumeris locis apud profanos Scriptores, *translationem, interpretationem* ſignificare, ſed et in illis ipſis locis Ariſteae, Philonis, et Joſephi, contextum tam perſpicue requirere illam verborum vim, ut nullus dubitandi locus ſuperſit.

2) Orthographia nominum plurimorum, tam propriorum, quam appellatiuorum, in graeca verſione chaldaicam magis referre videntur, quam hebraeam pronuntiationem.

3) Ex iſta probabili coniectura, nonnullorum Talmudicorum de permutata ſcriptura hebraea antiqua narrationes forte ſubnatae ſunt. Quamquam ipſe A. ſibi hanc dubitationem mouet, Judaeos characterum hebr. mutationem Esdrae adſcribere; tamen et ipſe reſpondet, Judaeos ex cauſis politicis conſueuiſſe Moſi et Esdrae multa tribuere, quae plurimis ſeculis poſt demum inuenta et inſtituta fuerunt. Etiamſi ponatur, Esdram in eorum gratiam, qui in-

tra ſpatium LXX. annorum in Aſſyria ſ. Chaldaeâ nati, et characteribus chaldaicis adſueti erant, legem literis chaldaicis deſcribendam curaſſe; tamen inde non colligi poſſe, eum ſcripturam antiquam loco ſuo mouiſſe, atque in eius locum barbaram ſ. ethnicam ad uſus ſacros ſubſtituiſſe. Atque etiam hoc loco maximopere urget ſanctae et profanae ſcripturae diſcrimen; quod tamen merum Judaeorum Talmudicorum commentum, in inuidiam contemtumque religionis Chriſtianae, librorumque N. T. effictum eſſe, dudum docuit Schultenſius, in Praefatione ad recentiſſimam grammaticae Arabicae Erpenii editionem, et nuper iterum monuit S. Ven. Dathius l. l.

A longa de origine Verſionis Alexandrinae interiecta enarratione, redit ad quaeſtionem ſupra p. 48. an codices ad graecam verſionem refícti reperiantur, propoſitam. Quod quidem ita intellectum vult, ut ſimul ſub graeca Verſione exemplar hebraeo-graecum, e quo facta ſit, comprehendatur. Tales codices reperiri affirmat A. eoque refert omnia illa Mſta hebraica, quae graecam LXX. viralem translationem, non qua minutias, ſed integras dictiones, periodos, gloſſasque oppido falſas, exprimunt, uno verbo graeciſſantia; maxime autem Pentateucho Ebraeo-Samaritano primum locum inter tales codices aſſignat, propterea quod ille a) quasdam ex ſupra laudatis mutationes a Judaeis in protographo ebraeo-graeco de induſtria factas habet; b) quod ex exemplari hebraeo, quadratis literis ſcripto, eoque ſic dicto maſorethico, transſcriptus, vel potius correctus ſit, quod Hottingerus, Morinus, et Autor ipſe in Diſſertatione, docuerunt; c) quod verſio graeca neque ex codice Samaritano facta, neque recenſita ſit. Pentateucho Samaritano potius ex Verſione graeca multas mutationes illatas eſſe, multis exemplis demonſtrat. Porro etiam huc refert omnes priſcas translationes nobis cognitas, quas vel ad LXX. viralem, vel ad Aquilae etc. verſiones, quarum auctoritas olim, interdum ipſis fontibus aequalis, tam apud

Chri-

Christianos, quam Judaeos, erat, recognitas esse dicit. Hinc omnino factum esse existimat, quod loca V. T. in N. T. laudata, primitus ex textu authentico facta, postea ab effraenatis Versionis LXX. viralis cultoribus isti translationi conformia sint reddita. Neque inde mirum esse, si quoque Judaei Hellenistae aut potius Exiudaei, aliique docti Christiani orientales, diuersitates textus hebraei obseruatas versionum graecarum uni alteriue adaptauerint. Quapropter tales codices hebraeos ad versiones antiquas castigatos aeque, ac ipsas versiones, quae omnes simul iunctae tantum valoris habeant, quantum una LXX. viralis, ad textus ebraei lectionem receptam restituendam, usum ullum habere negat. Deinde §. 13. demonstrare conatur, Christianos tam occidentales, quam orientales, olim habuisse codices quoque hebraeos, graecis, latinis etc. literis exaratos subiuncta cuilibet dictioni hebraeae versione, qui nominati sint *codices monachorum profani*. Ex tali codice fallaci, ut Vulgata variis in locis ab Exiudaeo interdum fuerit reuisa, fieri potuisse, coniicit A. atque inde dissensionem, quae inter textum hebraicum, LXX. viralem, et Vulgatam intercedat, profectam esse. Huic conjecturae exemplis fidem facere studet.

Tandem disquirit §. 14. num Hieronymi aetate extiterint codices ebraeo-latini, a Patribus latinis usurpati. Etiamsi non certo id definire audet; videntur tamen ei Hieronymus, aliique Patres, codicem hebraeo latinum consuluisse, e quo veram pronuntiationem vocum difficillimarum, atque explicationes hauserint. Huic libri Sectioni speciminibus textus hebraei, literis et graecis et latinis expressi, exhibendis, finem imponit.

Iam ad II. totius libri Sectionem peruenimus, in qua codices hebr. Bibl. in certas classes distribuit. Antequam eos in codices a Judaeis et non Judaeis scriptos in uniuersum diuidit, specialiorem tractat eorum diuisionem. Et *primi* quidem generis sunt codices *conuoluti* l. Synagogici, s. volumina legis, cum Pentateuchum, librum Esther, et Haphta-

taroth, rotatili membranae unice inscribere solent, et quidem magna nugarumque plena cura atque superstitione. Ingens talium codicum numerus inter Judaeos, minor inter Christianos reperitur. Inter hos codices Synagogicos omnes omnino maximam similitudinem intercedere, quamquam vulgo credunt; tamen sunt, qui non a Judaeis descripti, valde discrepent. Ex quorum numero esse putat Codicem conuolutum Helmstadiensem, cuius discrepantias mera sphalmata esse arbitratur. *Alterius* generis sunt *codices variae formae*, quales codices V. T. hebraicos fere omnes esse ait, quos in XX. classes distribuit. Haec XX. genera deinceps recenset, et animaduersionibus non indoctis illustrat: nos ita enumerabimus, ut, quale cuique eorum pretium statuerit, simul indicemus.

Primo igitur loco ponit Codices, Pentateuchum, quinque Megilloth, et Haphtaroth comprehendentes. Iis codicibus vtuntur praecipue Judaei in Synagogis ad praelecta relegenda; quapropter ii cum voluminibus Synagogicis, quoad textum, conuenire debent. Quodsi vero eiusmodi codex eleganter scriptus, multas in qualibet pagina exhibeat varietates, dubitari nequit, quin vel a Non Judaeo descriptus, vel a Judaico librario in gratiam Christiani exaratus, vel ob naeuos multos Christiano clam a possessore Judaico venditus sit. Hinc duobus codicibus Bibliothecae Senatoriae Regiomontanae et Helmstadiensis huius generis, quoniam mendis multis crassisque scatent, et varias lectiones cum versionibus conuenientes suppeditant, non magnum pretium esse statuendum. Eorum vero haud magnus est numerus.

Secundo codices, partes sacrae scripturae, vel unam, vel plures comprehendentes qui tantum modo in usum puerorum Judaicorum instituendorum atque eorum, qui in scholis tam orientalium quam occidentalium Christianorum, hebraeae linguae operam dabant, descripti sunt. III. codices puerorum institutioni inseruientes, qui pueris, quoniam contaminare eos negligenterque habere solebant, quasi melioribus indigni essent, traditi sunt. IV. codices a pueris

exer-

exercitii gratia scriptos, solute, negligenter, adeoque mendose. Huc etiam refert codices a studiosis Christianorum Seculis VIII—XV, exaratos. Hi tres eodem loco habendi ei videntur, neque plane adhibendi ad emendandam receptam te tus lectionem. V. codices uniuersam sacram Scripturam continentes; quorum cum semper fuerit apud Judaeos exiguus numerus mirandum profecto est, eorum fere centum esse in manibus Christianorum. Propterea etiam tantum eorum numerum in suspicionem A. vocat, plurimosque eorum spurios, s. a Non-Judaeis scriptos, paucos vero bonae notae s. genuinos, a Judaeis legitimis exaratos, qui conferri mereantur, censet. VI. Codices literis graecis, latinis, samaritanis, arabicis rel. scriptos, de quibus, quae iam supra uberius exposuerat, h. l. sex aliis testimoniis, de diuersa textum hebraicum pronuntiandi ratione, confirmat; unde docet, non modo codices hebraeos exoticis variarum nationum characteribus scriptos et ad cuiusuis nationis pronuntiationem conformatos extitisse, sed etiam ante Assessorum Synedrii Hierosol. concessionem publicatam, nullum exemplar exoticis characteribus scriptum repertum fuisse, atque hinc eiusmodi codices indubitatam hebraeam agnoscere originem. VII. Codices qui versiones graecas, latinas, rel. adiunctas habent, easque textui ebraico additas, genuinis vero characteribus suis scriptas, quas omnino a Christianis exaratas fuisse putat. VIII. codices paraphrasibus chald. syr. samar. arab. pers. itemque Rabbinorum commentariis instructos, quos librariis christianis maxima ex parte tribuit. IX. codices a varia manu, i. e. a variis descriptoribus, varioque tempore, et hebraicis et samaritanis literis scriptos, quorum multos Non-Judaeis assignat. X. codices cum, vel sine aera et librarii nomine, vel expresso, vel exsculpto. Fraudem vero, aeram antiquiorem, et celebris librarii nomen adscribendi, non solum Judaei, sed etiam Non-Judaei admiserunt. XI. Codices correctos et non correctos. Quoniam corrigi potuerunt et a Judaeis, et a Non-Judaeis, aduertendum

dum est, an istiusmodi castigationes unius eiusdemque sint librarii et generis, et ad Masoram aut versiones factae. Non correcti, quia vel a Non-Judaeo, vel in Christianorum gratiam descripti, vel a librario Judaico negligentius, ob temporis angustiam, recogniti, sunt, ad textum constituendum non sunt idonei. XII. Codices punctatos et non punctatos. Reiecta Capelli sententia, de recentiore punctorum vocalium inuentione, Hebraeos una cum consonantibus inuenisse puncta vocalia, (certisque signis, cuiuscunque generis, indicasse,) e consonantium numero sumta, atque mediis illis inseruisse, donec longiori tempore post, inuenta sint loco vocalium intermediorum alia signa consonantibus subiecta, multis argumentis ostendit. XIII. Codices medraschicos s. cabbalisticos. Enumeratis argutiis, quibus plerumque ad sensum allegoricum eliciendum prisci Hebraeorum doctores usi sunt, magnam partem punctorum extraordinariorum, literarum maiuscularum, minuscularum, suspensarum, inuersarum, Keri et Kethiph etc. quae in Bibliis nostris cernuntur, e scholа horum mysticorum promanasse demonstrat; porro accidere potuisse, vt ex codicibus doctorum mysticorum multae argutiae, in margine notatae, librariorum culpa in textum genuinum irreperent, et biblica ciuitate donarentur; id quod ut exemplis doceret, eiusmodi allegorica glossa doctoris medraschici, locum vexatissimum 1 Sam. 6, 19. חמשים אלף איש corruptum fuisse pronuntiat, de quo Kennicottus, Hassencampius, Bohniusque, multum disputarunt. XIV. Codices sine aut cum Masora, siue parua, siue magna, exaratos. XV. Codices ad Masorae antiquae leges compositos, quos perperam appellari masorethicos ait, cum antiquiores iis melioresque non reperiantur. Quamquam Masoram corruptam esse largitur; restitui tamen posse veteri splendori putat, dummodo codices antiqui, Masoram in separatis foliis continentes, qui in scriniis passim lateant, in subsidium vocentur; atque denique ad illam genuinam omnia, quotquot extent, V. T. Mssta hebraica, examinanda

esse,

esse decernit, donec meliora subsidia innotescant. XVI. codices ad Masoram recentiorem exactos. Horum codicum historia inde a Sec. VII. usque ad XIV. exposita, innumerarum lectionis varietatum, a Kennicotto aliisque in quibusdam codicibus repertarum, initia a Seculo XI. usque ad XIV. repetit, qua nempe aetate Christianos doctos, hebraicis literis operam dantes, et Exiudaeos, ad grammaticae suae regulas, versionumque fidem, castigare lectionem, conatos esse, non dubitat. Judaeos vero lectionem textus antiquam, si vel vitiosam reputauerint, imperturbatam conseruasse, declarat. Etiamsi autem textus impressi integritatem antea defenderat, tamen sobriae criticae usum non plane repudiat; sed ab recepta lectione, ubi manifeste erronea deprehendatur, recedere licere, eamque ex codicibus cum Masora genuina conspirantibus, *unice vero*, emendandam esse judicat. XVII. codices antiquos et recentiores, ab Orientis, Hispaniae, Italiae, Galliae, et Germaniae librariis scriptos, inter quos codices ab Hispanis profectos correctissimos elegantissimosque cum Judaeis arbitratur. XVIII. Codices graecissantes et latinizantes, de quibus supra.

XIX. Codices e MSS. hebraeo-graecis, genuinis characteribus transscriptos, aut correctos. Ob raritatem summam codicum hebraicis literis exaratorum, qui, extra templum, aut aliquot seculis post eius destructionem extra Synagogas et academias illustres, in usu vix fuisse videntur, facile accidere potuisse ait A. ut unus atque alter, s. Judaeus s. Christianus, artem hebraicas literas scribendi callens, eiusmodi codicis hebraeo-graeci characteres cum hebraicis permutare tentaturus, errores varios in literis sono similibus, vocalibus, in dictionum diuisione et coniunctione, committeret. Atque ex tali exemplari alia exscribi poterant, quae ipsis quibusdam priscis Judaeorum Criticis ita imponerent, ut quasdam eorum lectiones in textum codicum suorum reciperent. His exempla adiicit, quibus non immorabimur,

Quis vero est quin perspiciat, hanc hypothesin emendandi temeritati, coniecturarumque audaciae viam munire?

Ultimo tandem, (XX.) loco ponit codices a Judaeis et Non-Judaeis scriptos. Omnes V. T. codices hebraicos in classem hanc generalem distribuit, siue aliis verbis, in *codices, masorethicos* l. ad Masorae normam compositos, et *non* masorethicos l. a Non-Judaeis scriptos. Codices masorethici, s. ii, qui cum Masora vel antiqua, vel media, vel recentiori concordant, *curate* descripti, omnibus multum praestant. Non masorethici, quamquam confidenter tribui possint librariis Non-Judaeis, iis tamen eos tantum assignat, 1) qui Masoram sub figuris animalium in margine referunt. Quodsi quis obiiciat, Masoram a sequentis temporis monacho librario Exiudaeo adpingi potuisse, sine ulla textus iniuria; huic non repugnat quidem, sed si a nostro textu impresso longe recedat, et contra illum cum versionum aliqua congruat, ab illegitimo librario scriptum eum fuisse plane nullus dubitat.

Huc refert etiam 2) codices hebraeos literis exoticis descriptos; 3) codices, qui versiones graecas, latinas etc. adiunctas habent; 4) omnes codices graecissantes et latinizantes. Sub finem Sectionis huius disquirit, num ex codicum nostrorum collatione promiscua fructus quidam sperari possit? Si conferantur Mssta ad Masorae genuinae amussim composita, in uno alterone loco anomalo, vocales, accentus, et literas emendari posse credit. Alios autem codices conferre, esse inutilem laborem pronuntiat. Hinc apparet, quam parum utilitatis allaturam esse speret operam Kennicottianam. Hic mire, sed acerbius, prouocat ad idem iudicium ill. Michaelis; ipse ille, inquiens, suo exemplo com-„probare videtur, iactatum ex ista instituta codicum collatio-„ne fructum minime exspectari posse, quoniam alias nouam „suam bibliorum tentatam translationem germanicam, post „varietatum istarum messem demum protracturus fuisset, ne, „nouam iterum cudendo, *emtores argento emungere* cogeretur.“

Sed

Sed pertaesi fere laboris, festinamus cum maiori voluptate ad III. libri Sectionem, in qua breuiores esse possumus, quo longiores fuimus in superioribus enarrandis. Agit illa de *antiquitatis* et *bonitatis Mss. hebr. characteribus*. Hoc potissimum egit, A. ut criteria, quae Rich. Simon, Jablonskius, Wolfius, Kennicottus, Hubigantius, et nuper Lilienthalius, de antiquitate et bonitate codd. ebr. exhibuerunt commendaruntque, deinceps examinaret, et quam incerta, parum sufficientia, quaedam adeo falsa sint, doceret. Sed omittimus ea h. l. cum aliunde satis constent. Quae uberius exposuit, in unum contulit ita, ut in partes Ven. Lilienthalii descenderet, in Commentario crit. p. 89. scribentis: „Sed ne priores quidem characteres sufficere videntur: „quamuis enim ex illis quodammodo colligi possit, nunc „vel illum codicem inter antiquiores esse referendum; per „illos tamen nondum determinabitur, qualis circiter aetas „ei sit assignanda." Quaenam autem criteria Tychsenius illis substituit commendatque? Nihil, nisi Masoram unam normam esse, ad quam diiudicari possit antiquitas, et, quae inde pendet, bonitas codicis, diserte pronuntiat. Sed haec sufficiant. Quamuis igitur interdum leuitate atque inconstantia, sententiarumque ambiguitate laboret Autor Cl. et magis ingenio indulgere videatur, quam argumentis historicis firmis inniti: ipse tamen libellus multum utilitatis commendationisque habet, praesertim ex iudiciorum exquisitorum Sectioni secundae et tertiae adspersorum elegantia, atque etiam nouitate; qualia a viro, qui tot annos inter Judaeos vixit, et usu diuturno iudicium acuere atque exercere potuit, exspectari poterant. Satis emolumenti inde redundaturum esse speramus, si hactenus tantum profuerit, ut Criticos ebraicis codicibus conferendis operam impendentes cautiores reddat atque diligentiores. Addidit insuper tabulam aeneam, quae Alphabeta varia refert, cuius explicationem uberiorem adiecit.

PENSEES DE L'EMPEREUR MARC AURELE Antonin, ou Leçons de Vertu, que ce Prince Philosophe se faisoit à lui même: nouvelle traduction du Grec, distribuée en chapitres, suivant les matiéres, avec des notes et des variantes, Par Msr. DE JOLY. Paris, de l'Imprim. de Cellot, 1773. in 12.

Pugillaria Imperatoris M. A. Antonini, graece scripta, disse- cta membratim, et quantum fieri potuit restituta, pro ratione argumentorum: sequitur interpretatio Gatakeri Londinatis, similiter ordinata: curante nobili Joanne Petro de Joly, M. Aurelii gallico interprete et cultore.

Parisiis MDCCLXXIV. in 12.

Marci Antonini Imperatoris et Philosophi commonitionum, e Stoica morum doctrina petitarum, libros, ultro libenterque meritis laudibus prosequuntur omnes, qui eorum, legendo versandoque eosdem, cognitionem sibi parauerunt. Concedunt, haec scripta in suo genere esse eximia, sententiarum de rebus diuinis et humanis pulcherrimarum plenissima, et sapientiae cultoribus magna cum delectatione et utilitate perlegenda. Sed non admodum multos esse scimus eorum, a quibus multum opis et auxilii ad ornandos constituendosque hos libros sit allatum, hoc est, quibus locorum deprauatorum correctionem, transpositorum iustum ordinem, omissorum denique supplementum, debeamus. Quod, siue a consilio tractantium. siue ab opinione difficultatis, siue ab inopia adiumentorum profectum, certum est

to pertinere, ut nobis neque de ordinis constitutione firma, neque de lectionum veritate adhuc satis cognitum et exploratum esse possit. Nam post Xylandri Basileensem secundam editionem, e Codice Palatino ductam, Merici Casauboni Londinensem et Gatakeri operam, in Commentario instruendo, praeter laudatae Basileensis fundamentum, etiam Lugdunensis editionis, parum emendatae, et Anglicae versionis accessione, Salmasii Argentinensem editionem se adhibuisse professi, Commentariis, Bootii denique, Medici eruditissimi, notarum opibus auctam, neminem scimus huic libro manus admouisse alio consilio, quam aut vernaculae versionis conficiendae, aut impressi textus recudendi caussa. Nuper, cum e Gallia, in qua nunc fere seuerior doctrina antiqua friget, ad nos esset delata editio Graecorum Aurelii et versio Auctoris non admodum facilis, applausimus industriae; cum praesertim in fronte et prioribus pagellis libri ea legeremus, quae animum ad magnam de opera editoris spem erigerent. Sed eam spem inanem fuisse postea vidimus. Opibus quidem ad aliquid laude dignum efficiendum non caruisse intelligimus, nec ingenio destitutum querimur; sed constantiam in perferendo suscepti laboris onere, diligentiam et fidem in apparatus critici, usu desideramus. Ac quoniam de ipso opere tanquam bipertito, ut ordo teneatur, bifariam dicendum est; prius de Graeca editione Aurelii, nouitatis quandam commendationem habentis, de versione Gallica quae superior aetate est, deinceps memorandum videtur.

Etenim sub auspiciis Serenissimi Delphini, nunc Franciae Regis, nactum se scribit Codicem Vaticanum integra Antonini scripta complexum, numero 1590, signatum, cum quinque ex eadem bibliotheca aliis, particulas tantum eorum continentibus. Alios autem tres codices, his quinque similes, in bibliotheca Medicea Florentina, ab eius praefecto diligenter descriptos, adhibuisse memorat: quibus accessisse affirmat e bibliotheca regia Parisina Codicem, nec ipsum inte-

grum, et indicatum ad calcem Londinensis editionis Hoeschelianum Codicem, per primas et extremas cuiusque sententiae voces, ut adeo decem particulares, cum uno integro Codice, sub oculis habuisse glorietur. Sed quoniam in hac narratione nihil de aetate, aut ullo aetatem prodente signo indicioue monemur, nihil de forma cuiusquam traditum, nihil defectu, vel quibus in verbis incipiat quisque codex, vel desinat, notatum accipimus, parum accurate ista referri omnes fateantur necesse est. Porro, cum omnes hos Codices a recepto librorum ordine discrepare confirmet, quo tandem digerendi modo singuli inter se distent, aut conueniant, ne verbo quidem indicatum esse meminimus; nisi quod diuisione in libros et capita carere obseruet, quod magis ut suam caussam defendat, quam ut lectorum notitiae consulat, urgere videtur. Nempe, sublato recepto ordine, quo per duodecim libros, quorum singuli certum sectionum numerum comprehendunt, scripta Antonini digeruntur, nouum fecit, argumentorum rationi adstrictum. Nec vulgaris inscriptio, de qua multorum variae semper fuerunt sententiae, quod a Codicibus manuscriptis absit, et dubia auctoritate nitatur, nullo ei modo probatur. De utroque, quid sentiat, ut breuiter ponamus, hoc est. Quod alius Msstus codex, alia subinde plura e M. Antonini libris contineat, significare, tabellas, quibus Imperator suas cogitationes commiserit, post mortem Imperatoris diuisas ita et distractas per amicos, ut unus quisque partem caperet, fuisse. Imperatorem autem tabellis cereis duodecim usum, et quae vulgo ferantur libri duodecim, non nisi tabellas fuisse totidem, non iam simile vero, sed verissimum videri. Jam, cum eiusmodi tabellae cereae pugillaria dicantur, nomen *Pugillariorum* esse his libris, prae ceteris indicibus omnibus, quos commenticios habere oporteat, praefigendum At enimuero multa sunt, quae hanc opinionem vanam, saltem incertam esse demonstrent. Primum enim nititur sola Capitolini, qui de vita huius Imperatoris tradidit, narratione; in qua tamen nihil

hil aliud traditum legitur, quam summum omnium in amando venerandoque hoc principe consensum fuisse: sacrilegum iudicatum, qui eius imaginem domi non habuisset; templum mortuo et sacerdotes esse constitutos. Quis vero inde cogat, scripta eius amicos inter se diripuisse? quibus tandem fidiculis hoc inde exprimi possit? Imo si acrem defuncti amorem satis luculenter declarare voluerunt, cauisse eos potius ne lacerarentur, scripta eius, sed omni cura salua et integra manerent, putandum est. In ordine vero constituendo cur magnopere laboretur, non intelligimus. Auctor enim communicasse putatur nobiscum meditationes varias, succisiuis horis, quas perinde ut ceteras recte collocaturus erat, separatisque temporibus, ut res et occasio tulit, in aduersaria extemporali paene opera coniectas. Occurrentium nimirum rerum contemplationi philosophicae deditissimus Imperator, siue domi, siue militiae ageret, quae meditanti succurrebant, scribendo persequebatur, ut ea in promtu haberet. Unde intra illud tempus, quo Romanis rebus praefuit, varia ipsi nata sunt, quae ad animum in contemtu breuis aeui corroborandum, dubiosque et ancipites vitae casus praesenti et virili animo perferendos, pertinebant. Atque haec post fata demum ab aliis luci et immortalitati vindicata, et ad nostra usque tempora propagata existimantur. Quare parum abest, quin ordinem cogitandi, ipso auctore inuito, refingere et disponere videamur. Consilio auctoris, et opportunitati scribendi, ordinem digerendorum concedere debuisse, facile intelligimus. Cur ergo loculorum descriptioni assignemus, quae libero cogitationum cursu auctor concepit? Cur frangamus ingenii impetum, et quid prius, quid postea scripsisse debuerit, putida diligentia aestimemus? Cur abrumpatur orationis filum, libera cogitationis serie ductum, ut cogatur in terminos arbitrariae, et illius quae nunc triginta quinque capitibus absoluitur, a quouis alio facile commutandae diuisionis? Nam Salmasium et Fabricium quidem vidisse et notasse istas, quas nemo neget,

trans-

transpoſitiones minori cum difficultate, quam conſtituere aliter omnia et ordinare auſos fuiſſe arbitramur. In hac re, ſine ope auctoritateque probatae bonitatis manuſcriptorum codicum, nihil tentandum videtur; quae ubi deſit, irritum eſſe conatum putamus, et quantumuis refingendo diſponendoque, ut umquam verum ordinem obtineamus, valde veremur. Quae curioſitas etiam eo valet, ut hoc virtutis Stoicae pallium dum ſarcire ſe putant, qui in eo genere laborant, multo ut laceratum magis, quam antea, et vilius habeatur, efficiant. Sed ne quid temere et cupide dixiſſe videamur, illud argumento eſt, quod nunc non tantum paſſim capitum vel ſectionum diuiſiones antiquas eſſe diruptas, ſed etiam integras verborum complexiones a ſe diſtractas eſſe, vidimus. Etenim antiquae diuiſionis V, 36. verba: *ἐγενόμην ποτὲ ὁπηδήποτε καταληφθεὶς εὔμοιρος ἄνθρωπος,* ita distrahuntur, ut *ἐγενόμην ποτὲ* finis ſit c. 22, 13. mira interpretatione ſubiecta: *fui aliquando ſc. μωρὸς, clamitans in roſtris*; ſequentia vero initium faciant c. 31, 18. non habita ratione elegantis Bootii emendationis, Wollio quoque probatae: *γένοιο ἂν ποτὲ ὁπηδήποτε καταληφθεὶς εὔμοιρος ἄνθρωπος.* Inſcriptionem autem libri qui repudiant vulgarem, ſiue a Xylandri, dubia, ut appellant, auctoritate profectam, ſiue a Diogenis Laertii in vita Solonis teſtimonio, ſiue Suidae, *qui inſtitutionem propriae vitae* vocat, citatione receptam, non cogitant, adhuc quoque in denominandis Veterum libris, verbi cauſſa Platonicis dialogis, aliisque, antiquorum Grammaticorum laudationes, a Viris doctis in ſuis adnotationibus paſſim colligi et comparari, nec, quod eae a ſcriptorum et impreſſorum librorum indicibus forte diſcrepent, ideo ſperni et poſthaberi. Accedit, quod, cum per totum opus de rebus ſuis ad ſe ipſum ſermonem inſtituat auctor, ne libro titulus deſit, vulgaris commode locum tueatur. Sed quo iure Editor, ſine titulo librum circumferri et commenticium *Pugillariorum* indicem, omnis antiquitatis religioni praeferri iuſſerit, ipſe viderit. Jam illam Manuſcriptorum codi-

codicum, de qua supra diximus, commemorationem, sicut mancam et imperfectam esse vidimus, ita quoque erroribus implicatam videri, demonstrari posse putamus. Etenim cum Vaticani Codicis praestantiam admiratur et commendat, Palatini vero, quo Xylander usus erat, interitum queritur, ne Itali quidem, cuius Epistola utitur, admonitione intellexit, Vaticanum Codicem et Palatinum unum eundemque esse. Diuersitatis autem, quae inter scripti codicis et impressi textus lectionem intercedit, hanc caussam esse putamus, quod qui primus ex hoc codice hos libros edidit, Xylander, non ipsum originarium codicem, sed ductum inde apographum adhibuit.

Ceterum, ista Aurelii interpretandi subsidia, quibus etiam manuscriptas Menagii notas accessisse legimus, sub oculis fugitiuis fuisse, non solum ex tenuitate raritateque enotandae lectionum varietatis, quae subitam et tantum per partes factam inspectionem manifesto declarat, intelligitur; sed etiam ipsius editoris diserta confessione confirmatur, scribentis, non omnem lectionis varietatem propter spatiorum angustias referri potuisse, et ut ab interitu seruetur, ad bibliothecae Parisinae loculos et scrinia peruenturam. Jam, haec ipsa quae enotata sunt, propter vitiorum typographicorum multitudinem, quibus totum opus confertum et obsitum est, non satis expedite ubique legi possunt. Quod incommodum, siue ab imperitia et contumacia operarum, siue ab festinantia correctoris profectum, non parum etiam ordedecoris sibi adiunctum habet. Nimirum *Oliuius* iste, ordinis Benedictini, Vir doctus, fortasse minus diligentem in hoc labore se praebere coactus est, quod in editione Operum Theodori Studitae, quorum in bibliotheca Acad. Lipf. publica codex seruatur manuscriptus eximius, adornanda, omnis eius industria et cura consumeretur. At huius editionis textum a superiore notabili nonnunquam discrimine seiungi, locorum quorundam commemoratione patebit, in quibus antiquum, ut facilius cum suo quisque exemplari conferat, ordinem sequemur.

I. 16. pro ὁμογενὴς θρεπτάκλος ſolam exhibet vocem θρεπτάκλος, nihil monito lectore, quo fundamento nitatur. Sane alterum alterius interpretamentum eſſe non obſcure intelligitur; tamen, ſi alterum eiiciendum ſit, potius vocem ὁμογενὴς retinendam putamus. Ibidem vero mox, οὐδὲ μὴν εὐπαράγωγον ὑπ' αὐτῶν, Mſ. Vaticani auctoritate tuetur.

IV. 20. poſt πορφύρα additur vocabulum λύρα e Mſ. Vaticano. V. 8. inter αὐτῆς et ἄστιον inſeruit τὸ ἴδια εἰς ἕκαστον ἧκον, quo ſcribendi vitio non tantum in textu exprimitur, ſed etiam in notis gallicae verſioni ſubiectis repetitur. VI. 13. ex utroque Mſ. regio et Vaticano aliquot mutationes inductae. VI. 25. poſt ἐνί τε inſeruit καὶ γεννητῷ. VI. 40. mutata quaedam e Mſſ. regio et Vaticano, legendo: ἔχειν (pro ἔχει) σοι πάντα κατὰ νοῦν. VII. 21. edidit ἐστὶ loco ἔσται. VII. 62. ἐπιμαρτυρήσεσθαι δεήσῃ ἐκβλέπων e Mſ. Vatic. VIII. 10. poſt verba τὴν πρεσβυτάτην τῶν Θεῶν, e Mſſ. Hoeſcheliano, regio, et Vaticano inſerit: καὶ ὁ ψευδόμενος τε ἀσεβεῖ. VIII. 57. ῥαγδαῖον, quod ſane magis graecum videtur, e Mſ. regio dedit pro: ῥαγδαίαν τὴν ἐπέρεισιν. XI. 34. eiusdem et Vaticani Mſ. auctoritate edidit δεῖν ἔλεγεν ὁ Ἐπίκτητος, et mox: ἀλλὰ δύσφημα ἐστὶ ταῦτα. Idem quamquam etiam in aliis locis factum eſt; tamen multum ea conſtituendi textus Aureliani forma recedit ab ratione, quam accurati et diligentes Critici in tali conſilio ſequuntur: tum eam ob cauſſam, quod non ea, quam res poſtulet, ingenuitate egit, ſed quae materiem huic negotio aptam ſuppeditarent, eorum alia omiſit, alia diſſimulauit, alia vitioſe laudauit; tum propterea, quod, cur aliquid in hoc genere vel amplectendum, vel repudiandum ſit, iuſti valoris argumento fere nusquam docere ſcimus. In ſuſpectae vero et dubiae ſanitatis verbis, coniectandi felicitate ſanandis, nuſquam ſuo iudicio fretus, ſuperiorum editorum ſententiis acquieſcit, Gatakeri inprimis, cuius e commentariis notulas, ſuae editioni paſſim adſperſas, ſublegit, et prout hunc praeeuntem habet, ait, negat, dubitat, affirmat. Sic cum Gatakero de loco III, 4. συνεμφέρεται δὲ καὶ συνεμφέρει ſentit, et verbum συνεμφέρεσθαι,

quod

quod eo Lexica careant, suspectum habet; quam tamen dubitandi caussam leuem esse docuit, et hinc Lexicorum defectum suppleri scite iussit *I. H. Maius* Obs. Sacr. IV. p. 250. Et quoniam Arriani ad Epictetum Commentariis, maxime ad versionem Gallicam similium locorum comparatione instruendam utitur, *Uptoni* quoque, illius interpretis, ad illustranda Antonini verba, sententiam collegit. Etenim, ut de Gallica versione, eo fere consilio confecta, ut ea ciues Parisini, et omnino Galliarum incolae, ceteri denique Gallici moris sermonisque admiratores, iuuarentur, dicamus, sciendum est, iam dudum Gallos ad Aurelii librorum versionem vernaculam parandam accessisse; *Dupratii* versione anno MDLXX. Lugduni edita. Anglicam autem, a *Merico Casaubono* confectam, et anno MDCXXXIV. Londini editam, paullo post anno MDCLIV. iterum gallica sequuta est, ab Sueco quodam adolescente *Benedicto Caspar Crusio* facta. Quam excepit Italica versio, anno MDCLXXV. Romae edita, auctore Cardinale *Barberino*, qui aetatis annum agens septuagesimum et octauum suae eam menti dedicauit, quam pudere, siue, ut ipse scribit, magis sua purpura rubere volebat, quod ad istam hominis, a vera dei cognitione alieni, virtutem nondum peruenisset. Ineunte hoc seculo *Collierus* et *Thomsonus* versiones Anglicas prodiderunt, quibus tamen praestat Anonymi cuiusdam, Glasguae aliquoties typis exscripta. Germanica exstat ab *Hofmanno* curata. Quam vero versionem gallicam *Dacierius*, superioris Seculi fine, Parisiis exire iusserat, eam hic ipse *Jolius*, suppresso nomine, variato tamen quodammodo capitum ordine, anno MDCCXLII. iterum exprimendam curauit, quae integra Dresdae anno MDCCLV. repetita est. Nunc autem librarii Parisini nomine nouam prodidit, quam se ex Graeca, et quidem e Manuscriptis Vaticanae bibliothecae, constituta et emendata Aurelii oratione, duxisse confirmat. In hac igitur lectiones, quas eorundem manuscriptorum auctoritate in texta recepit, exprimendas putauit, ita quidem, ut alias lectori ipsi iudicandi facultatem concederet, posita lectionis varietate; alias

autem suo solius acumini confidere vellet, in aliqua lectione vel pro nullius momenti aberratione, vel verbo sententiam non mutante, vel ne commemorandae quidem leuitatis voce habenda. Mirificum profecto genus commentandi, quod passim instituitur in hanc sententiam: „*in Mss. regio duo hic sunt variae lectiones: altera est aberratio; altera non mutat sententiam. — In Mss. regio in hac sectione resecta sunt tria vocabula: ea differentia est parui momenti*:" vid. p. 81. et 104. Ac, qui membratim dissiciendis, quae hoc opere continerentur, semel laudem captasset, nec illud ab instituto alienum existimauit, ut, quam varietatem lectionis enotare placuisset, eam non alteri ex ambobus Tomo integram insereret, sed magno cum lectorum incommodo ex utroque colligi iuberet. Praeter adnotatiunculas autem, ad verborum intelligentiam pertinentes, quas partim similes, atque adeo easdem cum iis quas Graecis subiecit, partim diuersas ac nouas, versioni suae adspersit, etiam aliud notarum genus inseruit per octo sectiones distributarum, quarum prima agitur de summo numine, deinceps de diis factis, prouidentia, ratione, lege naturali, morte sponte illata, dolore, philosophia, et immortalitate animi. In quibus sibi propositum habuit, exactam dare notitiam caussarum et principiorum; ad quae sententiae reliquae et placita Antonini referantur: occurrere quaestionibus, quibus implicari et decipi lectorum, non satis ad veterum philosophorum sententias intelligendas et iudicandas adsuefactorum, mentes possint: verba et formas quasdam dicendi, non vulgi, sed philosophorum, parum explanatas et apertas, qualis illa: *naturae conuenienter viuere*, illustrare: sententias denique a Marco Aurelio prolatas, et vim iis subiectam, tum Epicteti et Commentariorum Arriani et Simplicii comparatione, tum liberiore circumscriptione, quam Graeco vocabulo paraphrasin consuetudo vocat, declarare. Cui quidem labori, et utilitatis, et ingenii doctrinaeque in eo adhibitae caussa, fauemus.

OB

OBSERVATIONES SELECTAE AD ORIGINES Hebraeas, auctore NICOL. GUIL. SCHROEDER, Linguar. Orient. et Ant. Hebr. Prof.

Groeningae apud Jacobum Bolt, MDCCLXII. 4. pagg. 189.

Tardius quidem Obseruationum hunc libellum indicamus, cum in nostris terris vix ac ne vix quidem reperiatur, sed tarditatem egregia libri utilitas satis compensatura est. Nobis quidem cupide et studiose eum perlegentibus ita placuit, ut probaretur vehementer, essetque dignus qui linguae Hebraicae cultoribus etiam atque etiam commendaretur, et ob exquisitiorem Cl. Auctoris Linguarum orientalium scientiam, et ut tirones re et exemplo cognoscant, quam utile sit atque necessarium Hebraicam linguam ita tractare, ut ex reliquarum orientis dialectorum societate firmiora partim adiumenta, partim maior certitudo, petatur. Tirones hoc sunt monendi, liberi illi adhuc ab praeconceptis opinionibus, neque obnoxii stultis praeceptorum auctoritatibus. His enim, qui, quod volunt, sapere putantur, et acutius ceteris videre, frustra canes. Malunt enim metaphysicis subtilitatibus linguam Hebraicam explicare, non sentientes, quam enixe se torqueant, quam ex dialectis ceteris faciliora, meliora, et certiora doceri. Arabicam inprimis ita vidimus contemtui haberi, ut etiam nasutuli iuuenes, imbuti blando praeceptorum veneno, impudenter sane atque imperite pronunciare non erubescerent, reddi incertam omnem interpretationem ab iis, qui adhibeant dialectos reliquas. Quas ut tanto magis in inuidiam adducant, asserunt, tum demum Hebraicam linguam excellens accepturam adiumentum, ubi libri, deperditi illi, quorum in Vetere Testamento sit mentio, latentes forte in cryptis, essent aliquando reperti. At haec per somnum oblata coniectura tam est absurda, ut rideri, non confutari debeat. Inanis enim est labor, eos docere velle, qui sibi cupiunt relinqui. Potest quidem in adhibenda

da Arabica dialecto peccari, et vero etiam peccatum est, etiam a magno Schultensio, qui, cum nimio forte linguae Arabicae amore, et nonnumquam reliquorum interpretandi linguam Hebraicam subsidiorum plus iusto negligens, tum notiones vocum primarias nimis premens, et has etiam in iis, cum secundo aut tertio gradu primariae isti cognatae erant, etiam in versione, emphaseos gratia, reddere tentans, non raro a vera via deflectit. Parcior in hoc genere fuit Cl. Schroeder, et frequentior in adhibendis versionibus antiquis. Et sane hae, ut solae ad cognoscendam Hebraicae linguae indolem non sufficiunt, licet nonnulli ita sentire videantur, ita adiunctis dialectis orientis reliquis permultum adiuuant. Saepe etiam intelleximus, notiones, quas vocibus ex Arabica dialecto viri docti vindicarunt, bene cognitas fuisse antiquis Interpretibus. Quod quum ignoraretur, in multis locis aut inscitiae boni Interpretes sunt accusati, aut de varietate lectionis est cogitatum; licet non negemus, multa esse loca, in quibus neque variae lectionis sit suspicio, et Interpretem male vertisse appareat. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Iam, qualem se Auctor praestiterit, videbimus. Capite I. inquiritur in originem verbi רדד. Est haec vox ex illis, quae raro occurrunt, et varie reddita ab antiquioribus Interpretibus, et a recentioribus in diuersas significationes mire detorta. Quis spondebit, genuinam se vocis significationem vidisse, cum fundamentum, in quo nitatur, habeat nullum, aut tale, quod leui opera destruatur? Illud enim, quo plerique quasi desperantes confugere coguntur, contextui aptam esse significationem, unum, et ceteris rationibus destitutum, plane nihili est. Quodsi enim una vox, ut τὸ רדד, ter quaterue legitur, neque eandem significationem ubique contextui esse consentaneam est in aperto, quid tum faciemus? aut si bonitate ingenii alius probat aliam significationem contextui aeque aptam, quae tum ex duabus aeque aptis est eligenda? Sed malunt dialectorum contemtores secum torqueri alios, quam dialectorum ope tuta et facilia sequi. Exemplo sunt, quae Auctor collegit τῷ רדד ab Interpretibus tributae

signi-

significationis causa. Occurrit vox quatuor locis, Gen. XXVII, 40, Jer. II, 31, Hos. XII, 1, Psalm. LV, 3. *Kimchius* duas constituit significationes, *lugendi* vel *plangendi* in loco Psalmi, in reliquis *dominandi*. Prior conuenit contextui, at, ut iam diximus, sola haec ratio non valet: posterior tracta est ex cognata, ut falso multi putant, voce רדה, infelici successu. Nam inprimis in exponendo loco Hoseae, quem vertunt, *Juda adhuc dominatur cum Deo*, miras nugas somniauerunt Interpretes, ut illa mittamus, quae illustris *Michaelis*, in libro *de viis*, *quibus lingua Hebraica disci solet*, idoneis explosit argumentis eorum tentamina, qui similes voces similem cognatamque significationem habere posse censuerunt. Hac enim ratione omnis interpretatio redditur incerta, et luxuriantium libidini obnoxia. Aliam significationem facit *de Dieu*, eamque ex Arabismo, *volendi* seu cupiendi, sed et eamdem singulis locis parum adcommodatam. Accessit *Cocceii* ingenium subtilissimum, comparataque illa apud Arabes *volendi* significatione, cum illis quae sunt in Sacro Codice, putat, omnes a primaria *dominandi* notione esse deriuandas, atque ideo proprie dicere *imperium quoddam animi ad voluntatem suam*, quod per *obstinare animo*, *obfirmare se*, *obfirmate perseuerare*, commode exprimatur. Fatendum est, et fatetur Cl. Schroeder, ex his notionibus loca Biblica satis bene posse explicari. At, ut recte notat idem, hae notiones debili fundamento nituntur, nempe comparatione τῶ רוד et רדה, et praeterea Cocceiana ratio est contra antiquam simplicitatem, quae vocibus necessario tribuit notiones quam simplicissimas, et maxime speciales, non ex pluribus coniunctas. *Gussetius*, sequutus *Buxtorfium*, solam *plangendi s. lugendi* notionem veram putat, eamque omnibus locis adcommodat, fatetur tamen, in solo Psalmi loco esse explicationis suae argumentum, quod bene conueniat contextui. At aeque bene conuenit Cocceiana, quae igitur vera? Dissensionibus his, et violentis explicationibus eruditorum, felici successu tulit auxilium Cl. Schroederus, vagamque τῶ רוד

notionem certam et fixam constituit. Confert Arabicum راد quod usurpatur de *motu reciprocato*, quo quid *huc illuc agitatur et versatur*. Inter alias significationes, quae ex illa fluxerunt, etiam haec est, *ultro citroque commeare*, diciturque, ut docet Auctor, de *camelis*, *equis*, aliisque *pecoribus* et *feris*. Ex hoc usu explicat loca, ubi in Sacro Codice occurrit. Haec notio omnibus locis est adcommodatissima, non uni tantum, neque lectorem nugis subtilitatibusue dimittit inuolutum. Inprimis operae pretium videtur commemorare explicationem loci vexatissimi Hos. XII, 1. ויהודה עוד רד עם אל ועם קדשים נאמן: priora verba interpretes vulgo in bonam partem accipiunt, et vertunt, *Juda adhuc dominatur cum Deo*, ut sensus sit, *Juda, quod Deum sincere colat, eumque habet fauentem, tuetur adhuc Imperium suum*. Ut nihil dicamus de incerta vocis רד significatione, quibus quaeso fidiculis ex hac voce sensus iste potest extorqueri, repugnans etiam veritati. Nam ipse Hoseas cap. V, 5. 10. utrique reipublicae, et Judaicae et Israëliticae, exprobrat impietatem. Unde et apparet, ultima verba, ut Auctor optime obseruat, non posse accipi de sanctis siue Patriarchis, siue Prophetis. Reprehenduntur his verbis Judaei: *Juda huc illuc vagatur, est incerta, non sincere agit cum* קדשים נאמן *Sancto illo fideli, constanti, vero*. Et ita est elegantissima oppositio *constantiae* et *stabilitatis* Dei ad Judaeorum *inconstantiam* et *vacillationem*. Nulli vero Hebraicae linguae paullum perito mirum aut insolens debet videri, quod Auctor קדשים in plurali retulerit ad Deum, cum saepius Deus dicatur אלהים קדשים, et simpliciter קדשים, ut a locis ab Auctore adductis apparet.

Caput II in eo versatur, ut origo verbi עור ex Arabica lingua eruatur, enarrenturque variae inde per varios tropos ductae significationes, quarum etiam in Sacro Codice non obscure signata demonstrantur vestigia. Lexicographi עור explicant per *vigilare*, *euigilare*, *expergisci*, *surgere*, *excitari*, *progredi*. Verae sunt hae significationes, ut et agnoscit Auctor; sunt tamen loca, quibus nulla omnium com-

me-

modo aptari potest, ignorata primaria significatione. Hanc Arabes seruasse docet in غاو et غبر *feruere* s. *aestuare*. Ex hac notione reliquae ductae, ex variis translationibus satis facile ab Auctore deducuntur, in quibus nos ei consentimus quidem, hoc tamen negantes, ut Analogiae linguarum contrarium, in notione a *priori* siue *primaria* deducta, per qualemcumque vel translationem vel adfectionem, etiam rationem esse habendam istius primariae notionis. Addamus nonnulla loca, quae Auctor ex primaria illa *ferueſcendi* notione feliciter videtur explicasse. *Feruere* valet interdum *graui indignatione et ira commoueri et exardescere*. Hunc usum τϐ עור siue עיר probat ex lingua Arabica, et ex eo interpretatur Psalm. LXXVIII, 38. הרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו *saepe sedabat nasum suum* (hunc loquendi modum copiose probauit Schultensius Origg. I. 2. 10.) *et non sinebat efferuescere omnem ardorem suum*. Sane multo grauius haec sonant, quam, ut vulgo redduntur: *auertebat iram suam, et non excitabat omnem ardorem suum* firmat explicationem suam Auctor et ex versione τῶν ό, ὀυχὶ ἐκκαύσει πᾶσαν τὴν ὀργὴν αὐτϐ. Ex eadem notione explicat locum ab interpretibus male habitum. Hos. XI, 9 *Non exsequar* חרון אפי *excandescentiam nasi mei* — ולא אבוא בעיר *et non veniam cum feruore s. ira*, vulgo vertunt: *non intrabo in ciuitatem*, quod plane est alienum. Neque inepta est obseruatio Auctoris, עיר, ideo significare urbem, quia multitudo hominum in unum collecta locum quasi aestuet atque ferueat. Alia metaphora *efferuescere* notat, *Zelo et impetu feruido contra hostem ferri*: sic apud Arabes, ut docet Auctor, et in sacris litteris Jes. XLII, 13. יעיר קנאה *faciet efferuescere Zelum*, siue *efferuescet zelo* (Jehoua ut heros). Ex eadem metaphora explicat vocem Dan. XI, 2. Jes. XLI, 2. et aliis. *Efferuescere* dicitur etiam de *armis contra hostem vibratis*, sic עורר את חניתו 2 Sam. XXIII, 18. 1. Chron. XI, 11. 20. *fecit efferuescere hastam suam*, siue potius, *vibrauit hastam*. Hab. III, 9. *de arcu*. Alia translatione, sed rarissime, in sacris litteris *feruor* indicat aestum *doloris*, *pauoris*, et ita optime videtur Auctor hactenus nemini satis intel-

lectum locum Jer. XV, 8. *immisi super eam subito* עיר ובהלות ubi plerique interpretes significationem *urbis* accipiunt, sed in ea ad sensum qualemcumque trahenda vehementer desudant, et fere ineptiunt. Ultima vox est vehementissima, cum qua apte coniunctum est עיר aeque vehemens. Capite III. inuestigatur significatio vocis pariter quatuor tantum locis repertae צאח eodem modo, ut in praecedentibus afferuntur significationes ab Interpretibus et antiquis et recentioribus voci tributae, et ad examen vocatae reiiciuntur. Capit. IV. ignota verbi עפל significatio profertur, et ex dialecto Arabica adstruitur. Cum vox sit ex rarioribus, eadem est interpretum tam antiquiorum, quam recentiorum in explicanda significatione inconstantia, compluribus contextum tantum spectantibus, nec de rationibus grammaticis quidquam solliciti. Auctor veram notionem ex lingua Arabica detegit, eamque ex nominibus propriis inde deductis firmat. Capite V. inquirit in notionem primariam verbi זנח, non illius quidem in Sacro Codice infrequentis, sed tamen fere semper in translata aliqua significatione obuii. Primariam et antiquissimam significationem constituit Auctor *sidendi, subsidendi*, in fluminibus et stagnis exsiccatis et *rancorem* contrahentibus. Haec notio seruata est in uno loco *Jesaiae* XIX, 6. והאזניחו נהרות. Interpretum alii aliter vertunt, qualemcumque sensum dedisse contenti, qui maxime contextui aptus habebatur. Auctor totum locum ita vertit: *Putrescent* (נשתו) *aquae ex mari* (h. e. ex Nilo, qui ob magnitudinem etiam alibi *mare* vocatur) *et fluuius* (idem Nilus) *exsiccabitur et exarescet. Et ecce sidendo rancescent fluuii*, (riui et fossae Nili) *tenuabuntur et exsiccabuntur, riui Aegypti.* Ex primaria hac notione deducit translatam, *de interitu opum et honorum*, Hos. VIII. 3. Thren. III, 17. Psalm. LXXXVIII, 15. Alia translatione dicitur de eo, quod *corruptum et abominandum est*, hanc notionem tribuit. Hos. VIII, 5. 2. Chron. XXIX, 19. 2. Chron. XI, 14. 1. Chron. XXVIII. 9. Tertia translatione dicitur de *ira*, indignatione, *odio*, ut Psalm. XLIV, 10. 24. LXXIV, 1. LXXVIII, 8. LXXXIX, 39. Thren. III, 31. Capite

A VI.

VI. tractat verbum שקט, cuius primaria *sidendi* notio iam a Schultensio paucis fuit indicata. Aliquot locis sacri Codicis hanc significationem seruatam esse ostendit, et multas metaphoricas inde enatas demonstrat. Ultimum Caput, copiosissimum illud, versatur in eo, ut ostendatur, verborum cognatorum כצץ, כוץ כרץ, צרץ, ציץ, יצא, צרא, ציא, צאצא, כצה, et כצא, unam communem fuisse originem, nempe *micandi* notionem. Ex hac varias secundarias deducit Auctor, usitatas in dialecto Hebraica et Arabica, et multa loca Sacri Codicis, ab Interpretibus male habita, certiori ratione explicat. Pauca tantum ex libro egregio excerpsimus, quibus litteraturae Hebraicae amatores allicerentur ad diligentem lectionem, et simul perspicerent, qua via sit progrediendum ei, qui Veteris Testamenti idoneus aliquando interpres vult haberi. Apparebit etiam ex libri lectione, quam varia, praeter scientiam linguae Hebraicae, eruditione oporteat instructum esse bonum Interpretem, et inprimis, quanto sit adiumento ingenium litteris humanioribus quam maxime subactum. Talem enim Cl. Auctorem per totum librum deprehendimus, qui multum operae laborisque in excolendis humanitatis studiis posuerit ante, quam ad Sacrum Codicem accederet. Quodsi Cl. Schroedero placuerit, plura ex hoc genere in commune proferre, magnam profecto ab omnibus, qui litteraturam orientalem quam maxime auctam cupiunt atque dilatatam, gratiam promerebitur. Nos quidem, ut id faciat, summopere eum hortamur atque monemus.

SPECIMEN ANIMADVERSIONUM QUIBUS LOCI nonnulli Danielis et Interpretum eius veterum praesertim Graecorum illustrantur emendantur. Auctore IO. GOTTFR. SCHARFENBERG, A. M.

Lipsiae, apud Frid. Gotth. Jacobaeerum MDCCLXXIV. pagg. 132. in Octauo.

Difficillimum profecto est, interpretandas Scripturas Sacras, Veteris imprimis Testamenti, sibi sumere, immo lon-

longe difficilius, quam quemque paene alium Scriptorem Graecum Latinumue. Ipſa enim lingua, qua veteris Teſtamenti libri conſcripti ſunt, abhorrens nonnumquam longe a linguis occidentalibus, multa interpreti obiicit impedimenta, quae etiam verborum paucitate, qua nunc laborat, (tam paucis quippe Vet. Teſtamenti relictis libris,) permultum adaugentur. Accedit, quod in tam remota rerum antiquitate multa ſint obſcura, incerta, et ambigua, quae noſſe interpretis maxime intereſt, et ad verum totius ῥήσεως ſenſum inueniendum, et vero etiam ad ſingularum ſaepe vocum genuinam ſignificationem indagandam, firmandam, illuſtrandam. Quid? quod uniuerſi Orientis populi in ſcribendo et dicendo perquam ſint viuidi, notionesque efferant verbis et tropis magnificis, interdum, ad noſtram iudicandi rationem, longe audaciſſimis. Haec pauca de multis aliis commemoraſſe ſat ſit. Sunt pauca, ſed ad ſuperandum non cuiuis facilia, et pauciſſimis ſuperata. Vere enim videtur poſſe affirmari, ſaepius ſcriptorem unum aliquem ex profanis plures nactum eſſe probabiles Interpretes, quam totam Scripturam Sacram Veteris Teſtamenti, quorum etiam numerum conficere non adeo difficile ſit. Superioribus enim temporibus diſcipulus pendebat ab ore doctoris, qui ex auctoritate lexici vulgaris, quae ipſi videbantur effundebat. Quod quamquam et noſtris temporibus a ſtultis nonnullis factitari conſueuerit, ſunt tamen et qui inuitis etiam et clamantibus multis, longius progredi auſi ſint et audeant, et qui horum diſciplina duci ſe ad meliora gaudeant atque patiantur. Inter hos, quin referendus ſit doctiſſimus *Scharfenbergius* A.M. vel ipſe hic libellus, licet mole exiguus, argumento eſt. Tanto libentius eum indicamus, quanto maiori cum voluptate cognouimus, Latinitatis etiam bonae, contra morem ſaeculi, habitam eſſe rationem. Accipit et inde non leuem commendationem, quod Auctor, quod hominem ingenuum vel maxime decet, aperte fateatur, paene omnia ſe ſua debere antiquitati, cum hanc iam videamus graſſari conſuetudinem, eos, qui magnum, et inprimis in Litteratura Hebraica, eruditionis illuſtre nomen ſibi parare volunt, eo impudentiae procede-

de-

dere, ut, quae doctor aliquis intra parietes tradidit, haec pro suis, etiam cum laborum, quos sustinuerint, taediique taediosa iactatione venditare non erubescant. Illud autem consilium sequutus est Auctor. Nouis et ingeniosis coniecturis tentare Danielis librum non est aggressus, bonas tantum interpretationes, siue in recentiorum Commentariis illas traditas, veterum auctoritate studuit confirmare, et veteres, sed ignoratas, in lucem protrahere. Adhibuit itaque ad locorum obscurorum illustrationem versiones antiquas Graecas, Latinam, Hieronymi Commentarios, et Syriacam. Arabicam neglexit, et id recte quidem. Consentit enim, ut et ipse auctor, collatione instituta, deprehendit, ita cum Graecis, ut ex iis, quin tota facta sit, dubium non relinquatur. Recte etiam factum videtur, quod quae Josephus Antiq. X, 10. 11. de Daniele narrat, non sint neglecta. Recentiorum, et eorum quidem diligentissimorum doctissimorumque, Grotii, Drusii, de Dieu, Schultensii, opera ita usus est, ut eos sequeretur si quid haberent boni, sin perperam censuisse eos esset manifestum, discederet, erroremque modeste corrigeret. Eamdem viam sequutus est in examinandis Harenbergii interpretationibus. In quibusdam locis verba Hebraica et Chaldaica, quae de mendo suspecta erant, emendare tentauit, sed cum ea verecundia, quam Criticae artis periti, iique modesti, probant. Graeca maxime sunt, in quibus sollertiam et ἀγχινοίαν exercere conatus est, sed ita, ut ducere se passus sit vestigiis verborum Hebraicorum, Chaldaicorum, Graecorumque Interpretum. Jam exempla quaedam subiiciamus, ex quibus appareat, qua ratione auctor materiam, quam tractandum suscepit, elaborauerit. Cap. V. Vs. 9. לחסד οἱ ό verterunt, τιμήν. Verum est, quod monet auctor, interpretes expressisse sensum, non significationem vocis κατ' ἀκρίβειαν, neque ex hoc loco petere posse argumentum, qui τὸ חסד volunt significare *summum et eximium in quaque re*. Quanquam haec significatio per se corruit, efficta nempe ab iis, qui vocibus Hebraeis generales quasdam notiones substituere volunt, quod in lingua Hebraica plane non est tolerandum. Vs. 13. מראה הילדים Theod.

αἱ ἰδέαι τῶν παιδαρίων, Vulg. *vultus puerorum.* Coniicit auctor, num legerint מַרְאֵי, nobis videntur expreſſiſſe ſenſum, et praeterea debebat exemplum eſſe allatum, ubi occurrat pluralis ſubſtantiui in ה exeuntis. Nobis quidem locus non occurrit. Ad Cap. II, vſ. 18. illuſtrationem adfert ex Joſepho, bene quidem, et loco, ſed tamen perperam Joſephum ſollicitat: *δι᾽ ὅλης ἱκετεύει τὸν Θεὸν τῆς νυκτὸς, γνωρίσαι καὶ τὰς μάγας καὶ τὰς χαλδαίας, οἷς δεῖ καὶ αὐτὰς συναπολέσθαι, ῥύσασθαι τῆς τῦ βασιλέως ὀργῆς, ἐμφανίσαντα τὴν ὄψιν αὐτῷ κ. τ. λ.* Non ſanum putat *γνωρίσαι*; primo, quia non habet accuſatiuum rei: deinde, quia idem bis dicatur, et ſic oriatur *ταυτολογία*, propterea praefert lectionem quorumdam Mſſ. in edit. Hauercamp. *σῶσαι* vel *ἐλεῆσαι.* Quodſi ſubſcribimus auctori, et accipimus *σῶσαι*, rurſus erit *ταυτολογία*, nam ſtatim ſequitur *ῥύσασθαι.* Et *γνωρίσαι* poteſt abſolute eſſe dictum, ſenſu bono: *petiit ex Deo, ut reuelaret, et magos cum Chaldaeis — eriperet ab ira regis, manifeſtato ſibi ſomno etc.* Ad. vſ. 39. ובתך תקום מלכו אחרי ארעא מנך defendit recte vulgarem interpretationem: *poſt te orietur regnum aliud potentia tuo inferius*, οἱ ὁ verterunt, *βασιλεία ἐλάττων σῦ.* Theodot. *βασιλεία ἑτέρα ἥττων σῦ.* Vulg. *regnum aliud minus te* Syr. ܐܚܪܬܐ ܡܠܟܘܬܐ ܡܢܟ ܘܡܨܥܪܐ Particula enim מן addita Adiectiuo facit comparationem, et quia interpretes ſtant pro ארעא, videtur ſane praeferendum lectioni, quae in margine eſt, ארע. Aliam interpretationem dedit *Cl. Harenbergius.* Intelligit non de quatuor imperiis, ſed ad filios et nepotes Nabuchodonoſori refert, ut lapis ille magnus ſit Cyrus, imperium Babylonis euerſurus. Per quatuor autem varia metalla intelligit quatuor diuerſas conditiones imperii Babylonici, et h. l. vertit: *orietur imperium aliud terrae ex te* h. e. ſuccedet tibi in imperio Babylonico filius. Sed bene monet auctor, non ſatis firmum eſſe argumentum Harenbergianum, ductum ex eo, quod ארע et ארעה apud Danielem ſemper ſignificet *terram*, ut Hebraicum ארץ alterum, quod urguet auctor, eſt, quod in interpretatione Harenbergiana membro nulla ſit paritas, debet enim de filio illo patris in imperio ſuc-

ceſ-

cessore dici, quale imperium sit habiturus, et haec inconcinnitas maxime subruit sententiam Harenbergii: quae praeterea addit auctor de accentuatione, ea sola nihili sunt existimanda. Cap. III, vs. 16. אשתמם כשעה חדא bene vertit: *tantopere commotus est animo, ut aliquandiu loqui non posset*, nititurque auctoritate Theodot qui habet, ἀπηνεώθη. Ἀπενεῶσθαι deducit ab ἐνεός, quo usus Symmachus Hos. IX, 7. ad interpretandum מְשֻׁגָּע quod οἱ ὁ verterunt παρεξεστηκώς. Eamdem notionem bene tenuisse Syrum interpretem, patet ex loco, quem auctor adfert, Act. IX, 7. ubi ἐνεοὺς vertit ܡܫܬܐܠܝܢ vs. 23. bene illustrat haec verba מלכותך לך קימא quae Theodot. vertit ἡ βασιλεία σου σοὶ μένει, ex his Josephi, αὖθις τὴν ἀρχὴν ἀπολήψεται. Vs. 24. צדקה οἱ ὁ vertunt ἐλεημοσύναις, eodem modo Theodot. Vulgat. Notat bene quidem צדקה in lingua Chaldaica et Syriaca significare *benignitatem, liberalitatem, beneficia, stipem*. Immo et ita in Hebraica lingua, ibi etiam longius patet notio τοῦ צדקה quia *iustitia*, fons est et origo omnium virtutum, saepenumero de singulis virtutibus dicitur, praecipue quae animi mollis, misericordis, benigni, et indulgentis esse existimantur. Hoc vel unus liber Psalmorum abunde firmare possit. Cap. VI, 7. est vox הרגשו, quae recurrit etiam vs. 12. et 16. priori loco notat auctor, interpretes fere consentire in eo, ut tribuant voci simpliciter notionem *adeundi s. conveniendi aliquem*, οἱ ὁ προσῆλθοσαν, et Josephus, ἐλθόντες. Theodot. παρέστησαν τῷ βασιλεῖ Syr. ܡܟܘܡ sine notione *strepitus*, v. 12. οἱ ὁ ἐτήρησαν. Theodot. παρετήρησαν. Vulg *curiosius inquirentes*: et hunc usum habere in lingua Syriaca probat aliquot V. T. locis. Syr. ܢܓܫܘ vs. 12. די לא תשנא צבו בדניאל, docuerunt iam de Dieu, et Schultensius, Syrorum ܨܒܘ non semper significare *voluntatem*, sed respondere Hebraeorum דבר, *res, negotium*, et h. l. vertendum *ne quid mutaretur circa Danielem*. Firmat hanc notionem auctor ex Theodot. ὅπως μὴ ἀλλοιωθῇ πρᾶγμα ἐν τῷ Δανιήλ, et Vulg. *ne quid fieret contra Danielem*; non reiicit tamen Grotii interpretationem,

nem, *quod decretum erat de Daniele*, vſ. 25. dicit אכלו קרצוהי bene reddidiſſe τοὺς ὁ, οἱ καταμαρτυρήσαντες τοῦ Δανιήλ, eamdem locutionem c. III, 8. διέβαλον. utroque loco διαβάλλειν. Vulg. *accuſare* bene haec notat, et ita iam dudum locum expoſuit Ill. Michaelis in libello egregio, vernacula lingua ſcripto, Beurtheilung der Mittel, die man anwendet, die hebräiſche Sprache zu erlernen. Cap. VII, 8. אתעקרו οἱ ὁ vertunt ἐξηράνθησαν. Theodot. ἐξερριζώθη aut hoc putat reddendum τοῖς ὁ, aut coniicit ἐξήρθησαν. Non inepte. Non de nihilo videtur coniectura, quam ad cap. VIII, 8. proponit ad haec verba תעלינה חזות ארבע תחתיה: verum eſt quod dicit, in tuenda hac lectione ante חזות ſupplendum eſſe קרנות idque nonnihil duri videtur habere; de altero, quod dicit, minus eſſemus ſolliciti, ſi de primo conſtaret. Si eſſet קרן חזות nos et ipſi cum auctore diceremus, non meminiſſe nos legere umquam in hac forma loquendi Hebraica duo ſubſtantiua in ſtatu conſtructo ita iuncta, ut alterum exponendum ſit per Adiectiuum. Profecto miramur, qui haec dicere potuerit vir hebraice non indoctus. E multis exemplis, quia nobis res eſt viſa notiſſima, uno defungamur. Quaerimus ex auctore, quomodo, quod eſt in Pſalmo II. velit vertere הַר קָדְשִׁי eſt plane idem τὸ הר eſt in ſtatu Conſtructo, ut קֶרֶן et τὸ קדש reſpondet τῷ חזות. Quodſi aliter, ut linguae Hebraeae peritus, poteſt vertere, quam *mons ſanctus*, cauſſa nos cadere fatebimur. Maius hoc videtur, quod verſiones antiquae חזות non habent, Vulgata, οἱ ὁ. Theodot. et inprimis quod hiſtoria repugnare videtur. Vere enim ex regno Alexandri M. quae orta ſunt quatuor, non accedunt ad maieſtatem Alexandrini, ut adeo, ratione ſaltem huius non commode dici poſſe videantur ſpectabilia, et quia οἱ ὁ habent ἕτερα κέρατα, itemque Theodot. coniicit, hos legiſſe אֲחֵרוֹת, et ex hoc factum eſſe חזות mutato ר in ז et א vel neglecto vel ad ה praecedentis vocis tracto. Poteſt ita quidem factum eſſe, ſed quis veritatem praeſtare poteſt? Duo Interpretes ſaltem non tanti videntur, quorum auctoritate ſola lectionem vulgarem cenſeamus mutandam.

NOVA ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiae
Calendis Maii Anno MDCCLXXIII

L. EULERI NOVAE DEMONSTRATIONES circa resolutionem numerorum in quadrata.

§ 1. Quum saepe et multum in hoc argumento occupatus fuissem, neque tamen ea demonstratio, quam olim dederam circa resolutionem omnium numerorum in quatuor vel pauciora quadrata, mihi ipsi penitus satisfecisset: eo maiore ardore euolui demonstrationem, quam Celebr. D. *La Grange* nuper in *Primo Volumine Nouorum Actorum Acad. Scient. Boruss.* huius Theorematis tradidit, quam utique negotium perfecisse sum admiratus, etiamsi eius momenta nimis longe repetita, et vehementer operosa viderentur.

§ 2. Lectoribus autem haud ingratum fore arbitror, si praecipua momenta, quibus haec demonstratio innititur, hic breuiter et concinne proposuero. Postquam Cel. Auctor hoc praemisit Lemma, quod, si duae summae binorum quadratorum $pp + qq$ et $rr + ss$ communem habeant diuisorem ϱ, neque tamen singula quadrata per eum diuidi queant, tunc non solum ipsum hunc diuisorem ϱ, sed etiam ambos quotos $\frac{pp + qq}{\varrho}$ et $\frac{rr + ss}{\varrho}$ fore Summas duorum quadratorum: progreditur ad hoc Theorema demon-

ſtrandum: *quodſi Summa quatuor quadratorum* $P^2 + Q^2 + R^2 + S^2$ *diuiſibilis fuerit per numerum quemcunque* A, *neque tamen ſinguli quadrata per eum ſint diuiſibilia, tum ipſum hunc numerum* A *fore Summam quatuor quadratorum*, cuius demonſtratio ſequentibus continetur ratiociniis.

I. Poſito quoto ex illa diuiſione oriundo $= a$, ut ſit $Aa = P^2 + Q^2 + R^2 + S^2$, ſi forte eueniat ut binae formulae $P^2 + Q^2$ et $R^2 + S^2$ habeant communem diuiſorem ϱ, quem ergo etiam numerus a continebit, ponit $a = b\varrho$, ut fiat $Ab = \frac{P^2 + Q^2}{\varrho} + \frac{R^2 + S^2}{\varrho}$, quae formulae, cum per Lemma praemiſſum ſint Summae duorum quadratorum, habebitur huiusmodi aequatio: $Ab = pp + qq + rr + ss$, ubi formulae $pp + qq$, $rr + ss$ non amplius habebunt factorem communem.

II. Ponit $pp + qq = t$ & $rr + ss = u$, ut ſit $Ab = t + u$, quam aequationem ducit in t, faciendo $Abt = tt + tu$, et quia tu etiam eſt Summa duorum quadratorum puta $xx + yy$, ſumendo ſcil. $x = pr + qs$ et $y = ps - qr$, fiet $Abt = tt + xx + yy$.

III. Nunc per numeros t & b, quippe qui inter ſe ſunt primi, ambos x & y ita exprimi poſſe obſeruat, ut ſit $x = \alpha t + \gamma b$ et $y = \beta t + \delta b$, ubi, cum litterae α, β, γ, δ, infinitis modis accipi queant, ſiue negatiue, ſiue poſitiue, inter earum valores certe tales dabuntur, ut ſit $\alpha < \frac{1}{2}b$ et $\beta < \frac{1}{2}b$.

IV. His iam valoribus pro x et y ſubſtitutis, reſultabit iſta aequatio: $Abt = tt(1 + \alpha^2 + \beta^2) + 2bt(\alpha\gamma + \beta\delta) + bb(\gamma\gamma + \delta\delta)$; quae expreſſio cum diuiſibilis eſſe debeat per b, neque tamen primum membrum hanc diuiſionem admittat in tt, neceſſe eſt ut ibi formula $1 + \alpha\alpha + \beta\beta$ factorem habeat b; eodem modo etiam in ultimo membro factor $\gamma\gamma + \delta\delta$ diuiſibilem per t eſſe neceſſe eſt. Ponatur $1 + \alpha^2 + \beta^2 = ba'$, et quia uterque numerus α et β minor eſt quam $\frac{1}{2}b$, manifeſtum eſt fore, $a' < \frac{1}{2}b + \frac{1}{b}$;

facta

facta ergo diuisione per b erit $At = a'tt + 2t(\alpha\gamma + \beta\delta) + b(\gamma\gamma + \delta\delta)$

V. Multiplicetur haec aequatio per a', ut prodeat $Aa't = a'^2tt + 2a't(\alpha\gamma + \beta\delta) + a'b(\gamma\gamma + \delta\delta)$, et in ultimo membro, loco $a'b$ scribendo $1 + \alpha\alpha + \beta\beta$, fiet $Aa't = a'^2tt + 2a't(\alpha\gamma + \beta\delta) + (\alpha\alpha + \beta\beta)(\gamma\gamma + \delta\delta) + \gamma\gamma + \delta\delta$; quae expressio in sequentia quatuor quadrata resoluetur: $Aa't = (a't + \alpha\gamma + \beta\delta)^2 + (\beta\gamma - \alpha\delta)^2 + \gamma^2 + \delta^2$; ubi, cum summa binorum postremorum quadratorum $\gamma^2 + \delta^2$ diuisibilis sit per numerum t, necesse est ut summa duorum priorum quoque per t sit diuisibilis, ita ut hic duae binorum quadratorum Summae occurrant, communem diuisorem t habentes: quare, si per t diuidatur, ambo illi quoti itidem erunt Summae binorum quadratorum.

VI. Quodsi ergo ponamus $\frac{(a't + \alpha\gamma + \beta\delta)^2 + (\beta\gamma - \alpha\delta)^2}{t} = p'^2 + q'^2$ et $\frac{\gamma^2 + \delta^2}{t} = \gamma'^2 + \delta'^2$ habebimus $Aa' = p'p' + q'q' + r'r' + s's'$; in hac autem formula Aa', si cum prima Aa comparetur, numerus a' multo minor erit quam a, quandoquidem $b < a$ et $a, < \frac{1}{2}b$. Simili modo ergo peruenire licebit ad formulam Aa'', ubi a'' multo minor erit quam a'; sicque tandem peruenire necesse est ad formulam Ad, ita ut iam ipse numerus A reperiatur aequalis Summae quatuor quadratorum.

§ 3. Demonstrato hoc theoremate insuper ostendi oportet, proposito quocunque numero primo, semper exhiberi posse Summam quatuor quadratorum per eum diuisibilem, quorum tamen singula quadrata diuisionem non admittant. Atque hoc etiam Cel. *La Grange* modo maxime ingenioso demonstrat, qui autem tantopere est abstrusus et prolixus, ut eius momenta breuiter et dilucide nequaquem exhiberi possint. Nunc igitur famosum illud Theorema, siue *Bache-*

 ti,

ti. siue, *Fermatii, quod omnis numerus in quadrata quatuor vel pauciora resolui possit*, pro perfecte demonstrato est habendum; quia enim pro numero primo quocunque semper dari potest Summa quatuor quadratorum, per illud diuisibilis, omnes numeri primi Summae erunt quatuor pauciorumue quadratorum; et quia iam dudum demonstratum est, producta ex duobus pluribusue numeris, qui singuli sunt summae quatuor pauciorumue quadratorum, etiam in quatuor quadrata dispertiri posse, solidissime iam est euictum, omnes plane numeros esse Summas quatuor quadratorum pauciorumue.

§ 4. Quamuis omnino nefas esset, quicquam contra soliditatem et rigorem harum demonstrationum excipere: tamen nemo negabit, eas nimis longe esse repetitas, neque ipsa fundamenta et rationes singulorum ratiociniorum e quibus hae demonstrationes sunt compositae, haud leui obscuritate esse inuolutas, ita ut etiam nunc merito clariores et perceptu faciliores demonstrationes desiderare liceat. Quo quidem desiderio, summae laudi, quam istae demonstrationes merentur, nihil detrahi est censendum.

§ 5. Cum igitur, postquam hoc argumentum de nouo perpendissem, in nouas et satis planas eorundem theorematum demonstrationes mihi incidere contigerit, iis, qui hoc studio delectantur, communicatio nouarum harum demonstrationum certe gratissima fore videtur; quocirca eas hoc loco, quantum potero, dilucide breuiterque sum propositurus. Ac primo quidem a Theoremate illo notissimo simulque plenissime demonstrato, quo omnes diuisores cuiusque Summae duorum quadratorum inter se primorum aequales affirmantur ipsi Summae duorum quadratorum, incipiam; cum quod haec noua demonstratio simplicitate se maxime commendat tum vero quod iisdem vestigiis insistendo demonstratio facile ad quatuor quadrata extendi potest.

Lem-

Lemma I.

§ 6. *Productum ex duabus Summis binorum quadratorum itidem est Summa duorum quadratorum.* Nam si illud productum fuerit e. g. $(a\,a + b\,b)\;(\alpha\,\alpha + \beta\,\beta)$, et capiatur $A = a\,\alpha + b\,\beta$ et $B = a\,\beta - b\,\alpha$, utique erit $(a\,a + b\,b)\;(\alpha\,\alpha + \beta\,\beta) = A\,A + B\,B$.

Theorema I.

Si numerus N fuerit diuisor Summae duorum quadratorum $P^2 + Q^2$ inter se primorum, tum ipse ille numerus N erit Summa duorum quadratorum.

Demonstratio.

Quo hanc demonstrationem facilius etiam in numeris exsequi liceat, cui forte libuerit, obseruo, quantumuis magni fuerint P et Q, ex iis semper aliam Summam duorum quadratorum $p\,p + q\,q$ formari posse quorum radices p et q semissem numeri propositi N non superent. Nam si ponatur $P = f\,N \underline{+}\, p$ et $Q = g\,N + q$, notissimum est, meros p et q ita sumi posse, ut semissem $\frac{1}{2}\,N$ non superent; cum igitur iam sit $P^2 + Q^2 = N^2\;(f\,f + g\,g) + 2\;(\underline{+}\,f\,p\;\underline{+}\,g\,q) \underline{+}\,p\,p + q\,q$, haec que expressio per M sit diuisibilis, euidens est etiam hanc binorum quadratorum Summam per N diuisibilem fore. Hoc praemisso, ipsam Demonstrationem sequentibus momentis complectar.

I. Cum ista formula $p\,p + q\,q$ diuisorem habeat N ponendo quotum $= n$ erit $N\,n = p\,p + q\,q$; ubi ergo $n < \frac{1}{2}\,N$, quia $p < \frac{1}{2}\,N$ et $q < \frac{1}{2}\,N$.

II Jam istos numeros p et q per numerum n ita exprimere licebit, ut sit $p = a + \alpha\,n$ et $q = b + \beta\,n$, ubi admissis etiam numeris negatiuis pro a et b, eos infra $\frac{1}{2}\,N$ deprimere licebit, uti iam initio obseruauimus. Tum vero erit $N\,n = a\,a + b\,b + 2\,n\;(a\,\alpha + b\,\beta) + n\,n\;(\alpha\,\alpha + \beta\,\beta)$, et quia in Lemmate praemisso erat $a\,\alpha + b\,\beta = A$, fiet $N\,n = a\,a + b\,b + 2\,n\,A + n\,n\;(\alpha\,\alpha + \beta\,\beta.)$.

III. Huius ergo expressionis primum membrum $a\,a + b\,b$ factorem habeat necesse est n, quia reliqua membra iam per

per se diuisorem n admittunt. Statuamus ergo $aa + bb = nn'$, et quia $a < \frac{1}{2}n$ et $b < \frac{1}{2}n$, adeoque $nn' < \frac{1}{2}nn$, erit utique $n' < \frac{1}{2}n$: Hoc autem valore substituto, et diuisione per n facta prodit $N = n' + 2A + n'(\alpha^2 + \beta^2)$.

IV. Hanc aequationem ducamus in n', et quia $nn' = aa + bb$, membrum postremum per Lemma praemissum reducitur ad $nn'(\alpha\alpha + \beta\beta) = (aa + bb)(\alpha\alpha + \beta\beta) = AA + BB$; ita ut nunc habeamus $Nn' = n'^2 + 2n'A + AA + BB$, quae expressio manifesto est Summa duorum quadratorum, scilicet $Nn' = (n' + A)^2 + B^2$

V. Cum ergo initio fuisset productum Nn Summa duorum quadratorum, indeque elicuerimus productum minus Nn', etiam aequale Summae duorum quadratorum, eodem modo ad talia producta continuo minora pertingere licebit, scilicet, Nn'', Nn''' etc. necesse igitur est, ut tandem ad productum minimum, scilicet N perueniatur, sicque ipse numerus N propositus quoque erit Summa duorum quadratorum.

Corollarium.

Mirum forsitan videbitur, cum peruentum fuerit ad huiusmodi numerum $n' = 1$, quomodo sequentes operationes similes se sint habiturae; id quod facile patebit sumendo statim $n = 1$, tum enim habebitur $p = a + \alpha.1$ et $q = b + \beta.1$, ubi manifesto sumere licet $a = o$ et $b = o$, quippe quo pacto fiant $< \frac{1}{2}$; tum vero ob $aa + bb = o$, utique erit $n' = o$, atque hic progressio ulterior nostri ratiocinii sponte sistitur.

Scholion.

Eodem modo demonstrari potest, omnes numeros, vel huius formae $pp + 2qq$, vel $pp + 3qq$ alios non admittere diuisores, nisi qui sint eiusdem formae, siquidem numeri p et q fuerint primi inter se. Neque vero hoc ratiocinium ad formas ulteriores, veluti $pp + 5qq$, $pp + 6qq$ extendi potest, quia tum non amplius sequeretur numerum

n',

n' necessario minorem esse quam n. Priorum igitur illorum casuum demonstrationes hic apponamus.

Lemma 2.

§ 7. *Productum ex duobus numeris huius formae $pp + 2qq$ semper est numerus eiusdem formae.* Si enim tale productum proponatur $(aa + 2bb)(\alpha\alpha + 2\beta\beta)$, et sumatur $A = a\alpha + 2b\beta$ et $B = a\beta - b\alpha$, tum utique erit $AA + 2BB = (aa + 2bb)(\alpha\alpha + 2\beta\beta)$

Theorema.

Si N fuerit diuisor numeri $pp + 2qq$, et p et q sint primi inter se, tum etiam ipse numerus N in tali forma continebitur.

Demonstratio.

Hic iterum numeros p et q infra semissem numeri N deprimere licebit, et nostra demonstratio sequenti modo procedet.

I. Sit $Nn = pp + 2qq$, et quia $p < \frac{1}{2}N$ erit $n < \frac{3}{4}N$. Jam ponatur ut ante $p = a + \alpha n$ et $q = b + \beta n$, ubi a et b capi poterunt minores quam $\frac{1}{2}n$, hincque habebitur $Nn = aa + 2bb + 2n(a\alpha + 2b\beta) + nn(\alpha\alpha + 2\beta\beta)$; quae forma per Lemma praemissum reducitur ad $Nn = aa + 2bb + 2nA + nn(\alpha\alpha + 2\beta\beta)$.

II. Hic igitur primum membrum $aa + 2bb$ factorem habebit n: unde posito $aa + 2bb = nn'$, erit utique $n' < \frac{3}{4}n$: hoc iam valore substituto et per n diuiso prodit $N = n' + 2A + n(\alpha\alpha + 2\beta\beta)$.

III. Multiplicetur per n', atque per praecedens Lemma habebitur $n\ n'(\alpha\alpha + 2\beta\beta) = (aa + 2bb)(\alpha\alpha + 2\beta\beta) = AA + 2BB$, ita ut nunc sit $Nn' = n'n' + 2n'A + AA + 2BB$, quae manifesto ad hanc reducitur formam: $Nn' = (n' + A)^2 + 2B^2$, ideoque itidem numerus formae $pp + 2qq$.

IV. Cum ergo sit $n' < n$, simili modo ad producta sequentia peruenire licebit, scil. Nn'', Nn''' etc. ita ut numeri n, n', n'', n''' etc. continuo decrescant; tandem ergo per-

perueniatur necesse est ad formam N. 1, ita ut ipse numerus N quoque in forma eadem $pp+2qq$ contineatur.

Lemma 3.

§ 8. *Productum ex duobus numeris formae $pp+3qq$ semper ad similem formam reduci potest.* Sit enim tale productum $(aa+3bb)(\alpha\alpha+3\beta\beta)$ et capiatur $A=a\alpha+3b\beta$ et $B=a\beta-b\alpha$, manifesto habebitur $AA+3BB=(aa+3bb)(\alpha\alpha+3\beta\beta.)$

Theorema 3.

Si N fuerit diuisor numeri $pp+3qq$, ubi p et q sint numeri primi inter se, tum ipse numerus N ad eandem formam reduci poterit.

Demonstratio.

Cum iterum spectare liceat $p < \frac{1}{2}N$ et $q < \frac{1}{2}N$, ipsa forma $pp+3qq$ minor erit quam N^2; posito ergo $pp+3qq=Nn$, factor n minor erit quam N, quae quidem reductio ad demonstrationem non est necessaria: ea enim aeque procedet, etiamsi fuerit $n > N$, uti sequitur:

I. Posito iam $p=a+\alpha n$ et $q=b+\beta n$, hic numeros a et b minores statuere licet quam $\frac{1}{2}n$, saltem non maiores. Tum autem erit $Nn=aa+3bb+2n(a\alpha+3b\beta)+nn(\alpha\alpha+3\beta\beta)$; quae per Lemma praemissum fit $Nn=aa+3bb+2nA+nn(\alpha\alpha+3\beta\beta)$

II. Necesse igitur est, ut primum membrum $aa+3bb$ factorem habeat n; quare posito $aa+3bb=nn'$, hic numerus n' certe minor erit quam n, saltem non maior; tum vero facta diuisione per n prodibit $N=n'+2A+n(\alpha\alpha+3\beta\beta)$.

III. Multiplicemus iam per n', et postremum membrum $nn'(\alpha\alpha+3\beta\beta)=(aa+3bb)(\alpha\alpha+3\beta\beta)$ per Lemma praecedens fit $AA+3BB$; sicque habebimus $Nn'=n'n'+2n'A+AA+3BB$; quae expressio manifesto reducitur ad hanc: $Nn'=(n'+A)^2+3B^2$.

IV.

IV. Cum igitur $N n'$ iterum sit formae $pp + 3qq$ et $n' < n$: eodem modo continuo progredi licebit ad continuo minora producta $N n''$, $N n'''$ etc. donec tandem ad ultimum $N.1.$ perueniatur; atque adeo demonstrationem habemus, ipsum numerum N fore formae $pp + 3qq$.

Corollarium 1.

Fundamentum huius demonstrationis, ut et praecedentium, in hoc consistit, quod a quolibet numero n perueniatur ad alium n' multo minorem, id quod iis casibus, quibus n est numerus satis magnus per se est perspicuum. Quin etiam haec ratio eo casu valet, quo $n = 1$; quia enim tum sumi poterit $a = o$ et $b = o$, tum ob $n n' = o$ utique fiet $n' = o$. Interim tamen pro hoc theoremate singularis plane casus occurrit quando in progressione numerorum n, n', n'' etc. tandem ad binarium peruenitur; qui casus eo maiorem attentionem meretur, quod nusquam alibi occurrat.

Corollarium 2.

Pro hoc ergo casu statuamus statim $n = 2$, et manifestum est in formula $pp + 3qq$, utrumque numerum p et q esse debere imparem: utrumque enim parem assumere non licet, quia p et q primi inter se statuuntur; quare cum hic fieri debeat $p = a + 2\alpha$ et $q = b + 2\beta$, fiet $a = 1$ et $b = 1$, ideoque $aa + 3bb = 4 = n n'$; unde patet, etiam n' fore $= 2$, ita ut nulla ulterior diminutio locum habere possit. Quoties ergo hoc euenit, tum non ipse numerus N, sed eius duplum $2N$, erit numerus formae $pp + 3qq$

Corollarium 3.

Hoc magis clarum redditur, si perpendamus, formulam $pp + 3qq$, quando ambo numeri p et q sunt impares, non solum esse parem, sed etiam per quatuor diuisibilem, neque unquam adeo impariter parem esse posse formae $pp + 3qq$. Quoties ergo, uti in his casibus usu venit, numerus $2N$ in forma $pp + 3qq$ continetur, tum N semper

 erit

erit numerus par, eiusque femiſſis $\frac{1}{2}N$, ſeu pars quarta ipſius $2N$ in hac forma $pp + 3qq$ continebitur. Quoties enim uterque numerus p et q eſt impar, tum etiam $\frac{pp + 3qq}{4}$ ſemper quoque eſt numerus eiusdem formae, idque adeo in integris, quod quidem non tam facile perſpicitur; poſito enim $p = 2r + 1$ et $q = 2s + 1$ prodit $\frac{pp + 3qq}{4} = 1 + r + rr + 3s + 3ss$, quam generatim neutiquam in integris ad quadratum cum triplo quadrato reducere licet. Sequenti autem modo haec reſolutio in genere inſtitui poterit: primum ſcilicet obſeruo, omnia quadrata imparia in hac forma $(4m + 1)^2$ contineri, ſiquidem pro m etiam numeri negatiui admittuntur; namque ſi m ſit poſitiuum, quadrata numerorum 1, 5, 9, 13, quorum numerorum 3, 7, 11, 15 etc. quorum forma eſt $4i - 1$ oriuntur. Jam ponamus $pp = (4r + 1)^2$ et $qq = (45 + 1)^2$ eritque $\frac{pp + 3qq}{4} = 1 + 2r + 4rr + 6s + 12ss$ quae manifeſto ad hanc formam redigitur $(1 + r + 3s)^2 + 3(r - s)^2$.

Scholion.

His theorematibus praemiſſis, id quod nobis maxime eſt propoſitum aggrediamur, demonſtraturi, *quod ſummae quatuor quadratorum nullos alios diuiſores admittant niſi qui ipſi ſunt Summae quatuor quadratorum.* Ad ſimilitudinem autem praecedentium Theorematum Lemma quoque praemitti oportet.

Lemma 4.

§ 9. *Productum ex duobus pluribusue numeris, qui ſinguli ſunt ſummae quatuor quadratorum, ſemper quoque per Summam quatuor quadratorum exprimi poteſt.* Sit tale productum $(aa + bb + cc + dd)(\alpha\alpha + \beta\beta + \gamma\gamma + \delta\delta)$ et capiatur $A = a\alpha + b\beta + c\gamma + d\delta$; $B = a\beta - b\alpha - c\delta + d\gamma$; $C = a\gamma + b\delta - c\alpha - d\beta$; $B = a\delta - b\gamma + c\beta$

$+ c\beta - d\alpha$, horumque quadratorum Summa erit $A^2 + B^2 + C^2 + D^2 = (a^2 + b^2 + c^2 + d^2)(\alpha^2 + \beta^2 + \gamma^2 + \delta^2)$: manifeſtum enim eſt, ſingula producta ex binis partibus ſe mutuo deſtruere, et ſingula quadrata literarum latinarum in ſingula graecarum duci.

Theorema 4.

Si N fuerit diuiſor cuiuspiam Summae quatuor quadratorum, ſeu formae $pp + qq + rr + ss$, quae quidem ſingula per N non ſint diuiſibilia, tum N certe erit Summa quatuor quadratorum.

Demonſtratio.

Non parum iuuabit hic quoque notaſſe, quatuor illas radices p, q, r, s infra ſemiſſem numeri propoſiti N deprimi poſſe; demonſtratio autem ſequenti modo procedit.

I. Denotante n quotum ex illa diuiſione reſultantem ut ſit $Nn = pp + qq + rr + ss$, ubi literae p, q, r, s ita ad n referantur, ut ſit $p = a + n\alpha$, $q = b + n\beta$, $r = c + n\gamma$ $s = d + n\delta$, euidens omnino eſt, literas a, b, c, d ita ſumi poſſe, ut $\frac{1}{2}n$ non ſuperent, ſiquandoquidem valores negatiui hinc non excluduntur. Sicque formula $aa + bb + cc + dd$ certe minor erit quam nn

II. His autem valoribus ſubſtitutis aequationem adipiſcemur ſequentem: $Nn = aa + bb + cc + dd + 2n(a\alpha + b\beta + c\gamma + d\delta) + nn(\alpha\alpha + \beta\beta + \gamma\gamma + \delta\delta)$ quae ex Lemmate praemiſſo, ubi poſuimus $A = a\alpha + b\beta + c\gamma + d\delta$, contrahitur in $Nn = aa + bb + cc + dd + 2nA + nn(\alpha\alpha + \beta\beta + \gamma\gamma + \delta\delta)$. Quia ergo hic pars prima $aa + bb + cc + dd$ factorem habere debet n, ſtatuatur $aa + bb + cc + dd = nn'$, eritque omnino $n > n'$, ſiue $n' < n$; uti modo oſtendimus. Facta ergo diuiſione per n obtinebimus $N = n' + 2A + n(\alpha\alpha + \beta\beta + \gamma\gamma + \delta\delta)$

III. Multiplicemus nunc per n', et quia $a\,n = a\,a + b\,b + c\,c + d\,d$, habebimus ex Lemmate $n\,n'(\alpha\,\alpha + \beta\,\beta + \gamma\,\gamma + \delta\,\delta) = A^2 + B^2 + C^2 + D^2$, qua forma introducta noſtra aequatio fiet $N\,n' = n'\,n' + 2\,n'\,A + A^2 + B^2 + C^2 + D^2$; quae ad haec quatuor quadrata manifeſto reducitur $(n' + A)^2 + B^2 + C^2 + D^2 = N\,n'$.

IV. Quatenus igitur hic $n' < n$, eodem modo ad formas continuo minores $N\,n''$, $N\,n'''$ etc. pertingere licebit, donec tandem ad formam $N.\,1$. perueniatur, ideoque numerus propoſitus N quatuor quadratis aequetur.

Coroll. 1.

Hoc ratiocinium iterum leui exceptioni eſt obnoxium quando $n = 2$, omnesque numeri p, q, r, s impares: tum enim fiet $a = 1$, $b = 1$, $c = 1$, $d = 1$, hincque $n\,n' = 4$, ita ut quoque fiat $n' = 2$, ſicque non minor quam n. Verum cum hinc numerus $2\,N$ aequetur ſummae quatuor quadratorum, aliunde perſpicuum eſt, etiam ſemiſſem N fore Summam quatuor quadratorum, ita ut haec exceptio nihil plane turbare ſit cenſenda.

Coroll. 2.

Quo hoc clarius perſpiciatur, ſint numeri p, q, r, s impares, et n numerus par; tum quia $N\,n = p\,p + q\,q + r\,r + s\,s$, erit $\frac{1}{2}\,N\,n = \left(\frac{p+q}{2}\right)^2 + \left(\frac{p-q}{2}\right)^2 + \left(\frac{r+s}{2}\right)^2 + \left(\frac{r-s}{2}\right)^2$, quae quatuor quadrata itidem erunt integra; qua reductione vti licebit, quamdiu omnes radices quatuor quadratorum fuerint impares, tum autem exceptio ante memorata ſponte concidit.

Scholion.

Hac demonſtratione potiſſimum Theorema illud *Fermatianum* conficitur, quandoquidem altera pars, quae adhuc ſupereſt, quod ſcilicet propoſito quocunque numero primo, ſemper Summae quatuor quadratorum exhiberi queant per

per illum diuisibiles, a me jam dudum satis clare est expedita, atque adeo nuper a Celeberr. *la Grange* subtilissima demonstratione est firmata. Ut tamen hoc argumentum penitus conficiam, sequentem demonstrationem admodum facilem hic subjungam.

Theorema 5.

§ 10. *Proposito quocunque numero primo N, non solum quaterna, verum adeo terna quadrata infinitis modis exhiberi possunt, quorum Summa sit diuisibilis per iustum numerum N, neque tamen singula per eum diuidi queant.*

Demonstratio.

Respectu numeri N omnes plane numeri in aliqua sequentium formarum continentur λN; $\lambda N + 1$, $\lambda N + 2$; $\lambda N + 3$ . . . . $\lambda N + N - 1$ quorum numerus est N; seposita autem prima forma quae multipla ipsius λN continet, circa reliquas, quarum numerus est $N - 1$, notandum est, quadrata primae $\lambda N + 1$, et ultimae formae $\lambda N + N - 1$ ad eandem formam $\lambda N + 1$ redire; quadrata vero secundae formae $\lambda N + 2$ et penultimae $\lambda N + N - 2$ ad formam $\lambda N + 4$; tertiae vero et antepenultimae ad $\lambda N + 9$ redigi, et ita porro, ita ut hae tantum formae $\lambda N + 1$; $\lambda N + 4$; $\lambda N + 9$ etc. quarum numerus est $\frac{1}{2}(N - 1)$, quadrata in se complecti queant, quas formas primae classis appellemus, et ita designemus, $\lambda N + a$; $\lambda N + b$; $\lambda N + c$; $\lambda N + d$ etc. ita ut litteras a, b, c, d etc. vel ipsa quadrata 1, 4, 9, 16 denotent, vel si numerum N excedant, residua ex diuisione restantia: reliquae vero formae, quarum numerus itidem erit $\frac{1}{2}(N - 1)$ hoc modo designentur: $\lambda N + \alpha$; $\lambda N + \beta$, $\lambda N + \gamma$ etc. quas formas posterioris classis vocabimus. De his autem geminis classibus tres sequentes proprietates notentur, quas quidem facile demonstrare licet.

I. Productum ex binis numeris primae classis itidem in prima classe continetur, scil. forma $\lambda N + ab$ in prima classe reperietur; si enim ab maius fuerit quam N, eius loco

loco residuum ex diuisione per N facta relictum capi est intelligendum.

II. Numeri primae classis a, b, c, d etc. in quemcunque numerum classis posterioris α, β, γ, δ etc. ducti in classem posteriorem incident.

III. Denique producta ex binis numeris posterioris classis, veluti $\alpha\beta$, in classem primam transferuntur. His praemissis demonstrabo: Si non darentur terna quadrata, quorum Summa diuisibilis esset per N, multo minus ergo duo talia quadrata dabuntur; hinc statim sequitur, formam $\lambda N + a$, siue, quod eodem redit, $\lambda N + (N - a)$, non in prima classe occurrere. Si enim daretur quadratum formae $\lambda N - a$, hoc ad quadratum formae $\lambda N + a$ praeberet Summam per N diuisibilem, contra hypothesin: forma igitur $\lambda N - a$ in posteriore classe contineatur necesse est, sicque inter literas α, β, γ, δ etc. reperientur numeri -1, -4, -9 etc. Sit f numerus quicunque primae classis, ita ut dentur quadrata formae $\lambda N + f$, ad quae si addantur quadrata formae $\lambda N + 1$, Summa binorum habebit formam $\lambda N + f + 1$. Jam si daretur quadratum Summae $\lambda N - f - 1$, haberetur Summa trium quadratorum per N diuisibilis; quod cum negetur, forma $\lambda N - f - 1$ non in prima classe, ideoque in posteriori continebitur, in qua ergo cum reperiantur numeri -1. et $-f - 1$ eorum productum $+f + 1$ in priori classe occurrat necesse est. Simili modo ostendetur, in prima classe quoque occurrere debere numeros $f + 2$, $f + 3$, $f + 4$ etc. quare sumto $f = 1$, in prima classe occurrerent omnes plane formae $\lambda N + 1$, $\lambda N + 2$, $\lambda N + 3$ etc. nullaeque penitus pro classe posteriore relinquerentur. Interim tamen eodem ratiocinio vidimus, in classe posteriore occurrere numeros -1, $-f - 1$, $-f - 2$ etc. ideoque etiam omnes plane formas; quod cum maxime sit absurdum, falsum esse sequitur, non dari terna quadrata, quorum Summa sit diuisibilis per numerum N. Dantur ergo omnino terna multo-

sque

que magis quaterna huiusmodi quadrata, quorum Summa per N sit diuisibilis.

Corollarium.

Ex hoc Theoremate cum praecedente coniuncto manifesto sequetur, omnes plane numeros primos esse Summam quatuor pauciorumue quadratorum; et cum producta ex binis pluribusue huiusmodi numeris eandem naturam sequantur, solidissime euictum est, *omnes plane numeros esse Summas, quatuor quadratorum vel adeo pauciorum.*

Scholion.

Loco huius propositionis Cel. *La Grange* Theorema multo latius patens in medium attulit et demonstrationе immuniuit ingeniosissima quidem, sed abstrusa tantopere intellectuique difficili, ut non nisi summa adhibita attentione percipi possit. Demonstrauit scilicet, quocunque proposito numero primo A, semper bina quadrata $p\,p$ et $q\,q$ ad illum prima dari posse, ita, ut formula $p\,p - B\,q\,q - C$ per eum numerum primum A fiat diuisibilis, quicunque numeri pro litteris B et C accipiantur, dummodo fuerint primi respectu ipsius A. Idem igitur Theorema aliquanto latius extensum, cum demonstratione longe faciliori et planiori, hic subiungam.

Theorema 6.

§. 11. *Proposito quocunque numero primo N, semper terna quadrata $x\,x$, $y\,y$, et $z\,z$, ad eum prima exhibere licet, ut formula $\lambda\,x\,x + \mu\,y\,y + \nu\,z\,z$ per numerum illum primum N fiat diuisibilis; dummodo isti coefficientes λ μ et ν ad ipsum N fuerint primi, hoc est, nullus eorum euanescat, neque ipsi N, neque eius multiplo cuipiam, fuerit aequalis.*

Demonstratio.

Denotent litterae a, b, c, d etc. omnia residua quae ex diuisione quadratorum per numerum primum propositum N facta relinquuntur, quos numeros ante ad classem priorem retulimus, quorum multitudo est $\frac{1}{2}(N-1)$; in iis scilicet omnes occurrunt numeri quadrati 1, 4, 9, 16 etc. mi-

minores quam N, maiorum autem residua illa ex diuisione per N resultantia accedant. Ad eandem classem vero iidem numeri a, b, c, d etc. etiam quouis multiplo numeri N aucti sunt referendi. Omnes autem reliqui numeri, minores quam N, quorum numerus itidem est $\frac{1}{2}(N-1)$, quos non residua appellare licet, ad classem posteriorem sunt relati, et litteris Graecis α, β, γ, δ etc. designentur Circa hos duplicis generis numeros jam ante notauimus, producta ex binis residuis seu classis prioris iterum in eandem cadere classem, veluti ab, ac, bc etc. quatenus scil. per diuisionem infra N deprimuntur; ac productum ex residuo in non residuum in classe posteriore non residuorum recipi; ac denique producta ex binis non residuis iterum fore residua. His notatis demonstrationem ita ornabimus, ut ostendamus, ingens absurdum esse secuturum, si nulla daretur formula $\lambda xx + \mu yy + \nu zz$ per numerum N diuisibilis. Demonstratio autem sequenti modo procedet.

I. Cum omnia quadrata aequentur cuipiam residuo a vel b vel c multiplo quodam numeri N aucto, si daretur talis formula $\lambda xx + \mu yy + \nu zz$ per numerum N diuisibilis; ob $xx = \xi N + a$, $yy = \eta N + b$, $zz = \vartheta N + c$ foret utique formula $\lambda a + \mu b + \nu c$ per N diuisibilis; quare, qui nostrum Theorema negauerit, statuere debet nullam dari huiusmodi formulam $\lambda a + \mu b + \nu c$ per N diuisibilem.

II. Cum igitur nulla detur huiusmodi formula per N diuisibilis, multo minus fieri poterit $= o$, ideoque ista aequatio $Aa = -\mu b - \nu c$ erit impossibilis, pariterque ac talis aequatio $\lambda a = (\xi N - \mu) b + (\eta N - \nu) c$. Verum quia λ, μ et ν sunt primi ad N, semper coefficientes ξ et η ita accipere licet, ut formulae $\xi N - \mu$ et $\eta N - \nu$ fiant per λ diuisibiles. Ponamus ergo $\xi N - \mu = \lambda m$ et $\eta N - \nu = \lambda n$, atque impossibilis quoque erit aequatio $a = mb + nc$.

III.

III. Cum igitur ista formula $m\,b + n\,c$ non sit aequalis a, ideoque in classe residuorum non reperiatur, (secundum mentem scilicet aduersarii, qui nostrum Theorema negat,) necessario in altera classe non residuorum reperietur, ibidem ergo etiam, quia c unitatem denotare potest, occurret $m\,b + n$, hincque adeo omnes istae formulae $m\,a + n$, $m\,b + n$, $m\,c + n$, $m\,d + n$, $m\,e + n$ etc. quae cum omnes a se inuicem sint diuersae numero $\frac{1}{2}(N - 1)$, his tota classis non residuorum exhaurietur, quatenus scilicet diuisae per N infra N deprimuntur.

IV. In eadem vero etiam classe occurrere debent omnia producta horum numerorum in quemlibet classis primae numerum, veluti d ducta, quae ergo erunt: $m\,a\,d + n\,d$; $m\,b\,d + n\,d$: $m\,c\,d + n\,d$; $m\,d\,d + n\,d$ etc. Verum producta $a\,d$, $b\,d$, $c\,d$ etc. in priorem classem cadunt, ac reperiuntur inter ipsos numeros a, b, c, d etc. sicque in altera classe inter non residua occurrent quoque omnes hae formulae $m\,a + n\,d$; $m\,b + n\,d$; $m\,c + n\,d$ etc. quae praecedentes singulas superant quantitate $n\,(d - 1)$, quod discrimen ponamus breuitatis gratia $= \omega$, quod utique ad ipsum diuisorem N erit primum, si modo pro d non assumatur unitas, quia $d - 1$ est $< N$, atque etiam numerus n primus ad N.

V. Quodsi igitur in classe non residuorum contineatur numerus α, quoque ibidem occurret $\alpha + \omega$, atque ob eandem rationem hic numerus iterum incrementum eo accipiens (scilicet $\alpha + 2\,\omega$), ibi reperiatur necesse est, atque ob eandem rationem etiam numeri $\alpha + 3\,\omega$, $\alpha + 4\,\omega$ ideoque omnes termini hujus progressionis arithmeticae: α; $\alpha + \omega$; $\alpha + 2\,\omega$; $\alpha + 3\,\omega$ $\alpha + 4\,\omega$ etc. quatenus scilicet per N diuisae infra N deprimuntur, inter non residua occurrere debent.

VI. Quia differentia huius progressionis est ω, numerus scilicet ad N primus, in hac progressione occurrunt termini non solum per N diuisibiles, sed qui per N diuisi pro residuis praebent omnes plane numeros 1, 2, 3, 4 etc.

 nullo

nullo excluso; quocirca, secundum mentem aduersarii, in classe non residuorum omnes plane occurrerent numeri 1, 2, 3, 4 etc. quod cum sit absurdum, opinio aduersarii certe est falsa; falsum scilicet est, nullos dari numeros formae $\lambda x x + \mu y y + \nu z z$, qui diuisibiles sint per N. Utique igitur tales dabuntur numeri, atque hoc ipsum est quod praestare suscepimus.

Corolll. 1.

Non solum autem semper tria huiusmodi quadrata $x x$, $y y$, et $z z$, reperire licet, sed etiam unum eorum veluti $z z$ pro lubitu assumere licebit, dum non sit per N diuisibile. Ita si f denotet numerum pro lubitu datum, non diuisibilem per N, semper assignare licebit bina quadrata $x x$ et $y y$, ut formula $\lambda x x + \mu y y + \nu f f$ fiat per N diuisibilis. Ad hoc demonstrandum, quicunque fuerit numerus z, semper dabitur eiusmodi numerus v, ut productum $v z = \vartheta N + f$ relinquat datum residuum f: sit enim $v z = \vartheta N + f$, ut formula nostra per $v v$ multiplicata, quae utique adhuc diuisibilis erit per N, fit $\lambda v v x x + \mu v v y y + \nu (\vartheta^2 N^2 + 2 \vartheta N f + f f)$ ubi, quia membra $\vartheta \vartheta N N + 2 \vartheta N f$ per N sponte sunt diuisibilia, etiam reliqua forma $\lambda v v x x + \lambda v v y y + \nu f f$ per N diuisibilis erit.

Coroll. 2.

Quicunque fuerint numeri λ, μ, ν pro uno eorum semper unitatem aliumue numerum pro lubitu assumere licet. Quia enim per ϑ multiplicando haec formula $\vartheta \lambda x x + \vartheta \mu y y + \vartheta \nu z z$ diuisionem per N admittit, loco ϑ eiusmodi numerum assumere licebit, ut productum $\vartheta \lambda$ per N diuisum relinquat unitatem; tum autem haec formula $x x + \vartheta \mu y y + \vartheta \nu z z$ etiam nunc per N erit diuisibilis; quin etiam hic loco $\vartheta \mu$ et $\vartheta \nu$ residua ex diuisione per N facta oriunda scribere licet; hocque modo formulam, illi, quam Cel. *La Grange* est contemplatus, omnino similem assequimur.

Scho-

Scholion.

Ecce ergo demonstrationem omnibus numeris absolutam tandem sumus assecuti Theorematis illius notissimi, *quod omnes plane numeri sint Summae quatuor vel pauciorum quadratorum*; quam quidem iam olim *Fermatius* se inuenisse est professus, iniuria autem temporum intercidisse etiamnunc maxime est dolendum, nullum enim plane est dubium, quin *Fermatii* demonstratio multo simplicior fuerit et generalior quam istae, quae nunc demum lucem aspexerunt. Quantum enim ex eius monimentis suspicari licet, ex principiis longe diuersis demonstrationem suam petiisse videtur: quandoquidem asseuerat, se ex eodem fonte demonstrasse, quod omnes plane numeri sint Summae numerorum vel trium trigonalium, vel pauciorum, tum etiam Summae quinque pentagonalium aut pauciorum; nec non Summae sex hexagonalium, et ita porro: a qua generalitate nostra determinatio longissime abest, atque etiam nunc demonstrationem ignoramus, quod omnis numerus sit summa trium trigonalium pauciorumue. Interim tamen circa hoc Theorema obseruari conuenit, id tantum in numeris integris esse verum, dum alterum, quod hic demonstrauimus, etiam numeros fractos complectitur, omnes enim istae fractiones $\frac{1}{2}$, $\frac{3}{2}$, $\frac{5}{2}$, $\frac{7}{2}$, $\frac{9}{2}$ etc nullo modo in ternos numeros trigonales resolui se patiuntur, siue, nullos valores rationales loco x, y, z inuenire licet, ut fiat $\frac{1}{2} = \frac{xx+x}{2} + \frac{yy+y}{2} + \frac{zz+z}{2}$; quare, quod maxime mirandum videtur, haec aequatio $1 = xx + x + yy + y + zz + z$ est impossibilis quicunque etiam numeri fracti pro x, y, z accipiantur.

* * *

Sequens Theorema attentione Geometrarum haud indignum, et Analysin prorsus singularem postulare videtur:

Theo-

Theorema demonstrandum.

Si formula differentialis $\frac{(x-1)\,dx}{lx}$ ita integretur, ut facto $x = o$ integrale euanescat, tum vero x statuatur $x = 1$. eius valor aequalis est logarithmo binarii, ubi quidem logarithmi hyperbolici sunt intelligendi.

THE HISTORY AND PRESENT STATE of Discoveries, siue Historia Optices etc. Auctore JOSEPHO PRIESTLEIO LL. D. et Soc. Reg. Soc. Londini 1772.

4 Alph. 8 pl. cum 24. tab. aen. in 4.

Consilium, quod Cl. *Priestleius* de conscribenda philosophiae physicae historia, multis abhinc annis cepit, eo laudabilius, et ad promouendam scientiae naturalis cognitionem aptius esse videtur, quo facilius deinceps omnes, quid verum falsumque sit in tanta sententiarum opinionumque copia, vel quid cognitum recte, obscurumue adhuc, in explicationibus caussarum effectorumque naturalium prolatis habendum sit, uno quasi intuitu perspicere ac diiudicare possint. Ingens quidem ac difficile propositum isthoc esse, viresque unius hominis paene superare ipse, praeuidit doctissimus Auctor. At enim, neque difficultas rei ipsius, neque immensus, qui ad hoc opus perficiendum requiritur, labor, eum commouere potuit, quo minus viam, quam summa alacritate ingressus est, strenue prosequeretur. Neque est omnino, cur virum hunc celeberrimum suscepti operis poenitere debeat. Maxima enim cum voluptate perspeximus, A. nostrum et necessariis ad scribendam eiusmodi historiam praesidiis ac monimentis litterarum instructum esse, et tantis ingenii eruditionisque dotibus excellere, ut perfectum aliquod in hoc doctrinae genere opus ab eo inprimis spe-

sperare queamus. Cum autem in hac re modum eum atque ordinem obseruat ut, ad definiendum totius physices ambitum, singula eius capita ac partes praecipuas separatim tractet, atque hac ratione historiam eorum, quae ab antiquissimis temporibus usque ad aetatem nostram, ex una quaque parte disputata sunt, variis voluminibus concludat. Sic iam ante aliquot annos primo loco in describenda *Electricitatis* historia ita elaborauit, ut mirificam ex ea laudem ac famae gloriam sibi compararit. Tanto enim opus illud omnium plausu, quo dignum erat, excipiebatur, ut altera mox ampliorque eius editio parari posset. Sed mittamus nunc de hoc libro praestantissimo dicere, quem in linguam theotiscam conversum satis cognitum lectumque esse opinamur, et potius ad eam, quam supra indicauimus, historiam Optices luculentissimam properemus. Pergit Cl. *Priestleius* eodem studio, quo coepit, laudabili, in recensenda eorum historia, quae visum, lumen, et colores spectant, et nouas doctissimorum virorum sententias super his rebus in medium prolatas, habita temporis ratione, curate enarrat. Atque hic eandem, quam in priori Electricitatis historia admirati sumus, diligentiam, assiduae lectionis varietatem, et acumen ingenii deprehendimus, quo cl. A. omnia fere, quae hucusque in illa physices parte inuenta primum atque emendata deinceps sunt, collegit, et in ordinem redacta diiudicauit. Desunt quidem in hac sententiarum multitudine nonnulla, quae ab exteris praesertim inuenta, vel melius proposita, in tali historia recenseri debuissent; sed quod ipse dolet *Priestleius*, vel plane caruit nonnullis eruditorum libris ad hanc materiam pertinentibus, vel iis, quod theotisce scripti essent, uti haud potuit, ideoque aliis, quae addi adhuc possint, reliquit. Praefixa huic historiae statim ab initio reperitur charta quaedam biographica, ab auctore ipso formata, cui nomina virorum celeberrimorum, qui inuentis suis scientiam opticam prae ceteris amplificarunt ita inscripta sunt ac, certis punctis lineisque distincta, vt, quo tempore vixerint, aut quam diu flo-

floruerint, perſpici facile poſſit. Ipſum vero opus ſex periodis ſiue epochis ab auctore ita diuiſum eſt, ut ſecundum hanc diſtinctionem incrementa opticae ſcientiae ſucceſſu temporis facta ſtatim adpareant. *Prima*, ac longiſſima periodus, omnes illas ſententias complectitur, quas philoſophi ab antiquiſſimis temporibus, usque ad inſtaurationem bonarum litterarum in Europa ſuſceptam, ad explicandam luminis ac viſus naturam protulerunt. In quibus etſi plurima adhuc incerta et obſcura ſint, eminent tamen ea praecipue, quae Ariſtoteli, Euclydi, ac Ptolomaeo, de refractione et reflexione luminis viſa ſunt, donec circa finem huius periodi Alhazen, celeberrimus ſeculi duodecimi philoſophus Arabs, in tractatu ſuo *de Optica*, et Vitellius commentator eius, e Polonia oriundus, itemque Peccamus Archiepiſcapus Canterburienſis, et Rogerius Bacon, doctrinam luminis variis iisque probabilioribus explicationibus illuſtrarent. Sed creuit mox, quae pertot ſecula nimis obſcura relicta fuerat, ſcientia optica, in ſequenti periodo *ſecunda*, quae hiſtoriam inuentorum opticorum ab inſtauratione litterarum usque ad Carteſii aetatem exhibet, et luminis natura ab eruditiſſimis viris melius perſpecta, et ope teleſcopiorum rectius cognita atque explicata adparuit. Primum autem ac praecipuum locum in hac epocha meretur Maurolycus, Profeſſor Mathematum Meſſinenſis, qui in libro *de lumine et umbra*, a. 1575. edito, naturam oculi et viſus acutius contemplatus eſt, et uſum humoris cryſtallini in videndo verum inuenit. Eodem fere tempore prodiit etiam Joannes Baptiſta Porta, Neapolitanus, et inventa *camera obſcura*, cuius ſtructuram in libro ſuper *magia naturali* deſcripſit, doctrinam de lumine et umbra mirifice amplificauit. At enim, quae iis tantum inuentis, ex oculi humani natura et vi deriuatis hucusque aucta fuerat ſcientia optica, nunc ope inſtrumentorum ad augendam minuendamve obiectorum diſtantium viſionem formatorum, noua quaſi luce colluſtrata eſt. Diu quidem multumque ſuper vero teleſcopii inuentore diſputatum eſt, et honos inuenti huius

ad-

admirabilis vel Halo, vel Batauo, aut Germano etiam tributus. Sed Priestleius noster, expositis aliorum opinionibus, Borelli sententiam, quam in tract. de *vero telescopii inuentore* defendit, probabiliorem existimat et inuentum isthoc Zachariae Janseno, opifici Middelburgensi, adscribit, qui a 1590. telescopium primum composuerit, quo id effectum est, ut mox adhibitis Galilei et Kepleri emendationibus, ope huius instrumenti utilissimi mirum in modum augerentur inuenta optica, et ope horum noua quasi facies huius scientiae formaretur. Hinc periodo *tertia*, qua optices historiam prosequitur A. multa a Cartesio aliisque eodem tempore florentibus eruditione viris vel detecta primum, vel rectius definita, proponit. Eminent autem in his, qui ea aetate magnam nominis famam nacti sunt, Snellius, Scheinerus, du Hamel, Aguilonius, Athanas. Kircherus, aliique, quorum opera inprimis leges refractionis dilucidius perspectas et plane stabilitas esse nouimus. *Quarta* porro sectione huius operis, quae periodum ab aetate Cartesii usque ad Isaaci Newtoni tempora continet, historia inuentorum ad scientiam optices spectantium continuatur, in quibus ea, quae super determinanda luminis celeritate maxima veritatis specie prolata sunt, memoratu digna esse inprimis videntur. Ex his autem viris eruditissimis, qui hac periodo opticen inuentis ditarunt, nominari potissimum merentur, Boylius, Gregorius, Isaac, Barrowius, Hoockius, Grimaldi, de la Hire, Mariotte, Perrault, et Huygenius. *Quinta* periodus in hac optices historia Isaaco Newtono tota dicata est. Ita vero vir ille plane diuinus de scientia optica bene meruit, ut ab aetate eius noua huius historiae epocha merito ponatur. Ea enim, quae ad naturam luminis ac visionis, colorumque doctrinam recte stabiliendam, spectant, ita explicauit, et experimentis confirmauit, ut ad summum perducta esse videantur. *Sexta* demum eaque ultima periodus, qua historia isthaec circumscripta est, inuenta huius Seculi recentissima continet, quibus partim vera luminis indoles atque efficientia uberius

eruta,

eruta, et experimentis nouis illustrata est, partim etiam instrumenta optica perfectiora reddita sunt. In his autem vel inueniendis, vel emendandis, viri aetatis nostrae celeberrimi, inter quos ill. Eulerus, Liberkühnius, Shortus, Smithius, Bradleius, et Dollondus eminent singularem plane operam ac diligentiam posuere. Sic igitur ea ratione ac via, quam hoc loco indicauimus, arduum illud opus, quod incredibili studio susceperat, feliciter perfecit Priestleius, V. Cl. ut in describenda opticae historia ita se omnibus, qui huius scientiae amore ducuntur, probaret, ut reliquarum Physicae partium historiam, eodem modo elaboratam, ab eo summopere exoptent. Quam ob rem publico nomine rogamus virum humanissimum, ut desiderio eruditorum plane satisfaciat, et inuentorum ad cognoscendam *aeris* naturam spectantium, quorum in praefatione meminit, editionem maturet, sibique persuadeat, historiam illam Aerometriae gratissimam omnibus Physicae intelligentibus futuram esse.

INSTITUTIONES AD FUNDAMENTA LINGUAE Hebraeae: in usum studiosae iuuentutis edidit NICOL. GUIL. SCHROEDER, Linguar. Oriental. et Ant. Hebr. in Acad. Groeningana Prof. Ord.

Groeningae, apud Jacobum Bolt MDCCLXVI. in octauo. pagg. 440.

Est quidem Institutionum ad linguam Hebraicam, atque Grammaticarum, tantus numerus, qui multitudine sua obtundere possit videri, sed si omnes eas perquiras, vix unam alteramque reperies, quae ita sit instituta, ut ea magistra fideli usus et diligenti, ita instructus discedas, ut facili iam via ad interiorem linguae Hebraeae cognitionem contendere pos-

possis. Ut nihil dicamus de duobus vitiis, quibus omnes fere Grammaticae Hebraicae sunt deformatae, magnitudine aliae, aucta illa infinitis et inanibus saepe exceptionibus et anomaliis, aliae breuitate nimia, in quam compressae, veluti steriles agri animis et impetu discentium nihil monstrant, quo possint exsatiari cum voluptate. Et pleraeque, inprimis antiquiores, pendent ab Rabbinorum insulsissimis saepe praeceptis, nihilque tradunt, nisi quod ab his plerumque ineptis magistris acceperunt. Nonnulli recentiorum non caeco quidem illi Rabbinos secuti impetu, amplius quid praestiterunt, sed tamen argutiis linguam inuoluentes, longissime ab eo absunt, quod ad perfectionis quamdam imaginem accedere censeri possit. Laudanda quidem horum industria, sed excusandi, quod post futuris largam et fere integram messem reliquerunt. Destituti enim iusta reliquarum orientis linguarum, siue potius dialectorum, scientia, ea tantum collegerunt, quae obuia essent in Hebraica, ceteris, quae raro, interdum semel, occurrerent, ad anomalias, alius alias, pro arbitrio relatis. Et inde non potuit non fieri, quin multi, videntes et sentientes harum anomaliarum inextricabiles difficultates, aut ipsam linguam addiscere se posse desperarent, aut primis vix digitis attingerent. Unus reliquos post se longo interuallo reliquit Schultensius, homo non linguarum solum Orientalium callentissimus, sed et ab omni liberali doctrina maxime instructus. Is enim, quod vere videtur affirmandum, auctor est talis in lingua Hebraea grammaticae disciplinae, quae, naeuos et argutias eiiceret, et certa et ex usu et indole ipsius linguae orientalis firmata, traderet. Hanc laudem suo quodam iure vindicant sibi, et ab peritiis ferunt, eius Institutiones, etsi negari nec debet, nec potest, ad usum tironum commode eas non posse adhiberi. Pauca quidem sunt, quae tradit subactissimi ingenii ille iudiciique elegantissimi vir, non exquisita, sed modum nonnumquam excedit, et ex doctrinae reconditioris copiis ea propinat, quae commode, licet sint egregia, possint abesse.

 Quod

Quod ut in ceteris eius scriptis et Commentariis videmur obseruasse, ita de Institutionibus hebraicae linguae non possumus, quin idem sentiamus. Sunt copiosiores ambitu, quam ut tirones possint exsequi, et saepe tradunt ea, quae non nisi perfectior cognitio concoquere valeat. Quas non exiguas difficultates cum intelligeret Cel. *Schroederus*, et ipse animum adduxit ad conficiendam Grammaticam, quae quidem Schultensii bonis uteretur, vestigiisque eius insisteret, sed quae omitteret nimia, emendaret adhuc deprauata, et quae labare adhuc viderentur, confirmaret. Multae sunt, ut iam diximus, in vulgaribus Grammaticorum libellis Anomaliae, quae, quia non proprie sunt inter anomalias numerandae, sed, ut rarioris usus, et vestigia linguae olim communis, ex dialectis cognatis explicari debent, suis quaeque sunt inserta locis, ut facilius cum regulis ex Hebraicae proprie sic dictae linguae usu deductis, disci memoriaeque mandari possint. In vulgaribus Grammaticis doctrina de nomine, huiusque variis adfectionibus praecedit, sequuntur Verba, quod plane est contrarium genio linguae Orientalis. Factum hoc est ad imitationem Graecae aliarumque linguarum, sed multae discentibus inde enatae sunt difficultates. At cum in lingua Orientali Verbum semper est radix, unde nomina et particulae enascuntur, necesse est, a verbo incipere, probantibus peritis, *Michaele* e. c. patre, in Grammatica Syriaca, et filio in Chaldaica, anno huius saeculi LXXV. Goettingae edita. Eumdem ordinem ipse Schultensius probauit, sed, quia in Altingianam Grammaticam, alio modo scriptam, habebat praelectiones, commode seruare non potuit. Eamdem rationem veteres Judaeorum Grammatici sunt sequuti. Quorum, ipsos Arabes praeceptores suos, imitatorum, exemplum non debebant insuper habere Christianorum Grammatici.

Meliora paullo sunt, quae de Hebraeorum syntaxi praeceperunt viri docti in libellis Grammaticis, pauca illa quidem et vulgaria, in scriptis philologicis sparsim et hinc inde

inde in Commentariis plura et exquisitiora. Unus fortasse e nostratibus Glassius in Philologia sacra videtur aliquid praestitisse, quod commemoratione dignum existimari possit. Quamquam non est negandum, in opere hoc praeclaro multa esse adhuc addenda, emendanda, firmanda, quaedam resecanda, concedenda nonnulla viri temporibus. Quae omnia, quin a Viro harum litterarum peritissimo, qui apud nos operis huius nouam editionem auspicatus est, diligentissime perficiantur, non est, quod dubitemus, praesertim cum habeat, quae cum alii, tum Schultensius et Cel. Schroederus aut neglecta aliis aut ignorata, obseruarunt, ut et ipse Schroederus aliorum inuentis usum se fatetur, et ipsi intelleximus. Jam ex ipso libro pauca tantum ex multis, quae notatu digna videntur, delibabimus. Commemorant Grammatici Dagesch quoddam sic dictum Euphonicum, quod literae primae vocis inscribitur, praecedente syllaba vel in vocalem vel litteram quiescentem exeunte. Notum hoc vulgo, sed illud non ita obseruatum, istud Dagesch Euphonicum nonnunquam significare grauiorem quamdam animi commotionem. Neque hanc obseruationem sterile esse sine fundamento inuentum, docebunt exempla ab Auctore subiecta, quorum duo tantum adscribamus Gen. XIX, 14. קוּמוּ צְּאוּ *surgite exite*, in urguente periculo. Malach. I, 13. מַתְּלָאָה (pro מַה־תְּלָאָה *quae fatigatio! Sect.* III. *Regula* **XXX.** et id bene notat, quod vulgares Grammatici ignorant, de temporis spatio ad proferendam vel litteram vel vocalem necessario (*moram* dicunt) nempe debere quidem quamque syllabam habere saltim duo talia tempora siue moras, posse autem habere tres, quatuor, immo quinque, quod ex יְצָּאתָ exempli caussa adposito plane est certum. Non ignoramus, quae super hac re Danzius in Grammatica exercendis tironum defatigandisque ingeniis futilia commentus est, et ante eum, ipsumque secuti grex praeceptorum magnus. In doctrina de punctorum vocalium permutatione nihil quidem occurrit, quod analogia linguae non sit consentaneum, vide-

detur tamen intricata ista res et studiosis semper difficilis nondum ita esse pertractata, siue potius ad eam breuitatem, quae tamen perspicuitatis laudem haberet, reducta, ut nihil inde taedii tironi subnasci posset. Diligenter quidem, quaecumque fere occurrunt, congessit Auctor, sed toto illo in tot minutas partes et sectiones diducto, non potest non, qui primus rem adgreditur, subinde haesitare, et lasso veluti pede subsistere. In Sectione de Verbis hoc primo nobis perquam placuit, quod significationes coniugationum quas dicunt, diligenter vidimus definitas v. c. vulgares Grammatici praecipiunt Niphal significare passiuum. est id quidem verum, sed bene obseruat Auctor, habere saepius et significationem intransitiuam, etiam reciprocam, quarum hanc Grammatici vulgo tribuunt tantum τῷ Hithpahel. Alterum quod bene factum videtur, est in eo, ut demonstratum sit, formas verborum illas rariores, quas vulgus anomalias aut formas mixtas stulte vocare consueuerunt, non esse tales, sed vestigia coniugationum seu flectendi Modorum, quibus Hebraea lingua adhuc viua usa sit, non ita quidem frequenter, neque tamen pro lubidine quisque, sed ad certam quamdam inflectendi normam. Est quidem magnus talium formarum numerus, nam ad XXV. indicat Auctor, sed addit bene, singulorum verborum usum non obtinuisse per singulas flectendi formas. Neque id statuere, ineptum mirumue debet videri, cum etiam Latina Lingua in nonnullis verbis tantum quibusdam temporibus, personis et modis usa sit, et multo magis Graeca, in qua nullum fere verbum reperitur, cuius omnes personae, tempora, modi et coniugationes occurrant, cum singulis utendi vel millies fuerit opportunitas. Verborum *Imperfectorum* tres constituit Classes, *plurilitera*, quae aut quatuor aut quinque radicales habent. Haec non sunt simplicis originis, sed conflata ex duobus verbis, habentque notionem duplicem e. c ex פָּרַשׂ *expendit*, et פָּרַג *fidit* fit פַּרְשֵׁג *expandit findendo*, ex רָטַב *succosus fuit*, et כָּפַשׁ *crassus fuit*, factum רְכַפֵּשׁ *succo ad crassitiem usque repletus fuit*.

Harum

Harum formarum quadriliterarum duae occurrunt species, actiua altera, ut *Pihlel*; altera passiua, ut *Puhlal* inflexa. Verba quinquelittera reperiuntur pauciora. *Defectiua*, quae altera est Classis *Imperfectorum* Verborum, in quibusdam formis radicalium unam amittunt. Non tamen id ita est necesse, ut semper factitatum fuerit. Nonnulla enim verba huius generis Imperfecta, in quibusdam personis et modis ad normam perfectorum formantur. Recte et hoc obseruauit Auctor, esse huc referenda verba primae ו et י quae vulgo perperam et contorte explicantur. De hoc dubitare non sinunt multa exempla, quae Auctor colligit. In verbis, quorum prima radicalis י est, bene notauit, fuisse et quondam in usu ו, et, si praecedat litera seruilis, adhuc obtinere locum, si ipsum in syllabae initio esse debeat, permutatum in י. Remansit ו in nonnullis, ut וֹרֵד *descendens*, 1. Sam. XXX, 24. וָלָד *proles* Gen. XI, 30. וְלַד 2 Sam. VI, 13. וְקַר *grauis*, Prou. XVII, 27. וָזָר *onustus*, Prou. XXI, 8. in Infinitiuo, Imperatiuo et Futuro Niphal τὸ ו item remansit, ibique י rarissime inuenitur, in quibusdam etiam in Hiphil et in Hithpahel. Grammatici vulgo praecipiunt in tertia radicali quiescere א et ה, de quiescente ו et י altum silentium. Notat Auctor, idque recte, verba *quiescentia tertiae He* plerumque esse quiescentia *Vau* et *Jud*, quae nonnumquam seruantur, ut שָׁלַוְתִּי *tranquillus fui*, Job. III, 26. a שָׁלַו a רָאַו *vidit*, רְאָוָה *videre* Ezech. XXVIII, 17. יִשְׁלָיוּ *tranquilli erunt* a שָׁלַי Job. XII, 16. תְּדַמְּיוּן *assimilabitis* a דָּמַי Jes. XL, 18. et alia. In Sectione de nominibus dedit magnum Catalogum, ex quo appareret, qua ratione nomina variarum formarum ex sua quaeque coniugatione ex verbo emanent. τὸ שָׁמַיִם et מַיִם bene retulit ad nomina pluralis numeri, cum vulgo dualia existimentur. In doctrina, qua ratione puncta vocalia in nominibus substantiuis mutari soleant, etiam copiosior est Auctor, quam vulgares Grammatici, videturque ad perlegenda eius praecepta requiri non parua adsiduitas, et ad re-

retinenda ea memoria maxime fidelis. Neque tamen hac de caussa videtur reprehendendus. Est enim haec istius mutationis indoles, ut difficultatibus semper laboret, et ita extricari vix possit, ut discentes nulla omnino retineant impedimenta. Est tamen haec copia, in qua omnia ad certa genera et species relata cognouimus, longe praeferenda isti, quae obtinet, vel sterilitati, quae, dum breuis vult haberi, necessaria praetermittit, vel perplexitati, quae exceptionem ex exceptione nectere consueuit.

Ad Particulas retulit Auctor omnia, quae neque sunt Nomen, neque Verbum. Omnes fere particulas, origine sua fuisse Nomina recte monet. In vario usu, quem habet ה quod praeponitur, bene notatum vidimus, istud ה demonstratiuum, per ellipsin pronominis relatiui אֲשֶׁר accipere significationem pronominis relatiui, si verbis praefigatur, (ex hac obseruatione explicat Auctor Esr X, 14. הַהֹשִׁיב נָשִׁים נָכְרִיּוֹת *hic* qui duxit uxores peregrinas. 1. Chron. XXIX, 17. הַנִּמְצְאוּ *illi* qui inuenti sunt. Tribuit etiam isti ה significationem affirmatiuam et assecuratiuam, explicandam per *ecce*, *sane*, *profecto*, ut עֵינֶיךָ הָרֹאוֹת *oculi tui ecce videntes* sunt הַבְדֶרֶךְ אֲבוֹתֵיכֶם *sane in via patrum vestrorum*. In Obseruationibus de usu τȣ ה quod dicitur interrogatiuum, bene declarat originem interrogationis huius. Veteres censet Hebraeos rem, de quo interrogant, affirmando expressisse, sed ita moderatos esse pronunciationem, ut ea indubium interrogationis indicium praeberet, eademque de caussa ipsam interrogandi particulam saepe omitti, ut 1. Sam. XVI, 4. שָׁלוֹם בּוֹאֶךָ est interrogatio, sed affirmatiue enunciata. Istius ה quod in fine additur, rationem, qua additur et afficit voces bene et distincte proponit, variamque vim et potestatem sic definit, ut sit 1) *demonstratiua*, praesertim in pronominibus 2) *assecuratiua*, in Verbis 3) *optatiua*, in Futuris 4) *intensiua*, in Verbis et Nominibus 5) *localis*, in Nominibus atque Particulis, et indicet vel *motum ad*, — vel *motum in* 5) *propter elegantiam* quamdam addi. *Appendix*

dix libri versatur in eo, ut explicet Syntaxin Hebraeae linguae, absoluiturque quatuor sectionibus, quarum prima tractat *Nomina*, altera *Pronomina*, tertia *Verba*, ultima *Particulas*, ex singulis quaedam commemorabimus. In explicanda ratione, qua numeralia Cardinalia adiunguntur Nominibus, varie se torquent Grammatici, aliusque aliam statuit figuram, qui si attendissent ipsi, quod dudum nos obseruauimus, et quod accurate docet Auctor, Numeralia Cardinalia omnia esse substantiua, si in statu absoluto cum nomine per oppositionem coniunguntur, multa loca non ridiculis saepe figuris deformassent, ut שלשה בנים proprie est *trias filii*, i. e. trias, quam constituunt filii. substantiuo bis posito notatur plerumque 1) *uniuersitas*, singula eiusdem generis continens, ut עיר ועיר *omnes et singulae urbes* Esr. X, 14. 2) *multitudo et continuitas* ut בארות בארות *putei, putei* i. e. multi et continui putei. Genes. XIV, 10. de notione *continuitatis* tamen videtur posse dubitari: 3) *distributio*, ut, *dabat seruis suis* עדר עדר *gregem, gregem* i. e. singulis gregem. Genes. XXXII, 17. 4) *duplicitas et diuersitas rei*, ut אבן ואבן *lapis et lapis* i. e. diuersi ponderis lapis Deut. XXV, 13. Solet nonnumquam praedicatum subiecto suo ita adiungi, ut praemittatur particula ב in. Non inanem esse hanc τῦ ב additionem docet Auctor, sed indicare interiorem rei aut personae naturam et conditionem v. c. *nosti hunc populum* כי ברע הוא *quod in malo est* i. e. malus, vel in conditione mali, ביראת יהוה סור מרע *in reuerentia Jehouae est recedere a malo* i. e. recedere a malo est ipsa reuerentia Jehouae. Et hoc bene obseruatum, Hebraeos habere similem Graecis, in Genitiuis absolutis, et Latinis, in Ablatiuis, constructionem, in eo, ut duos Nominatiuos ponant, absolute, quorum alter exprimit subiectum, alter praedicatum דוד בא *Dauide veniente* 2 Sam. XV, 32. עוד זה מדבר *adhuc hoc loquente* Job. I, 16. המה עלים *illis adscendentibus*, de Nominatiuo uno *absolute* posito, integramque propositionem efficiente, diuersum sentimus ab Auctore. Putat hunc latine posse

posse explicari per *quod attinet*, sed cum talis versio, neque in Latina, neque, ut arbitramur, in ulla alia lingua genio linguae conueniat, melius videtur, hunc Hebraismum in versione plane omittere et Nominatiuum sententiae adcommodare. Syntaxis pronominum diligentissime est exposita, variusque pronominum usus et significatus, non raro etiam doctiores praepediens, accurate indicatus.

In Syntaxi de Verbo praecipue est spectandus usus temporum, quae Hebraeis in Verbo finito tantum duo sunt, Praeteritum respondet praeterito perfecto, et plusquam perfecto. Cuius generis sunt multa, in ipso praeterito significantia praesens et futurum, saepius etiam *ἀορίστως*. Subiunctiuus indicatur, adiectis plerumque particula aliqua, ut אם, לו, כי, אשר et aliis, quae tamen non raro omitti solent, inprimis conditionem et euentum significantes, e. c. דפקום si *impellerent ea.* Gen. XXX, 13. אספרם si *numerarem ea. benefac seruo tuo*, אחיה ut *viuam* Psalm CXIX, 17. Optatiuum exprimunt 1) per particulam לו 2) per interrogationem, quae votum includat v. c. מי ישמני שפט *quis me constituet iudicem?* iam utinam judex constitueret, 3) per formulam מי יתן Infinitiuo vel Futuro praepositam 4) per Futurum absolute positum, 5) per Imperatiuum. Plura non vacat adnotare; non possumus tamen hanc maxime meritam Auctori laudem negare, totam hanc Grammaticam Institutionem, et inprimis partem eam, quae de Syntaxi praecipit, ita diligenter enucleateque esse confectam, ut ad commendationem eius nihil desiderari posse videatur. Optamus, ut non modo tirones ea studiose utantur, sed etiam eruditiores assidue eam tractauisse affirmamus futurum, ut temporis hos lectionisque non poeniteat.

DE

DE SIGNIFICATIONE PRAEPOSITIONUM *Graecarum in compositis, et generalia quaedam de ratione compositionis vocum graecarum, exposuit* CASPAR FRID. HACHENBERG.

Trajecti ad Rhenum apud Abrahamum a Paddenburg Bibliopolam 1771. plagg. 11. in 8.

Occasio huius libelli conscribendi auctori se obtulit quum de multiplici Praepositionum Graecarum notione cogitaret, ita ut ex primaria et propria earum significatione, reliquas omnes deducendas, eandemque etiam nominibus verbisque, quae cum iis compositae sint, illatas esse decerneret. De utilitate indagandae hac quidem via praepositionum notionis, et earum in compositione potestatis indicandae, hoc minus dubitandum censet, quo firmius ista iam distincte cognita vis memoriae imprimatur, et ad compositorum etiam, quae in lexicis fere eiusdem esse cum simplicibus valoris indicentur, e contextu orationis non facile eruendam significationem certius constituendam commodius transferatur. Sed quomodo in opera peragenda versatus sit videamus. Ergo posita unius cuiusque praepositionis notione, ut vocare libet, primaria, dum reliquarum multitudinem ad eam accommodat, lectorem per Logicas et Metaphysicas ambages circumductum, cum ad compositorum significationem determinandam convertitur ad superiores loculos recurrere, et inde potestatem, quam verbo composito praepositio addat, intelligere iussum, tandem multiplicis eiusdem verbi cum aliqua praepositione iuncti significationis ex varia praepositionis notione rationem reddere docet. Neque vero in ista praepositionis cuiusque notione recensenda, ad variam cum diversis casibus nominum constructionem attenditur, nec exempla verborum et nominum compositorum au-

auctoritatibus muniuntur, quas consulto se exercitationis caussa omittendas putasse scribit; quod quale genus exercitationis sit, non satis nos intelligere fatemur. Illud apparet, hoc tantum egisse, ut e vulgari aliquo lexico ad manus locato, indicatas significationes enotaret, atque eas ad istum, quem constituere placuisset, ordinem cogeret. Ergo nec a vitiis, quae habet hoc philosophandi genus in rebus grammaticis, haec opera intacta mansit, ac dum singulari cum acumine et subtilitate disputare videtur, clam semet iisdem argutiis a vero deflectitur: quod cum alia, tum quae de notione *nimii supervacui, quod ad rem vel institutum non pertineat*, quae praepositioni περὶ insit, p. 100. argumentatur facile confirment; tum etiam a vulgari Lexico pendens, ad eadem cum illo, in verborum parum accurata, quin etiam falsa quandoque et a loquendi consuetudine abhorrente notione prodenda, delabitur. Etenim facile intellegitur, nimis distrahendis et distinguendis notionum partibus, earum ipsarum numerum multiplicari plus quam par est, et intelligendi modum impeditiorem reddi. Neque vero illud probari potest, per amplioris quam quae lexicis acquiescat peritiae speciem, miori quam usus loquendi admittat vi cum aliqua praepositione compositis tribuenda, quod vitium in Lexico Hedericiano Vir S. R. Ernestius sustulisset, ab aliis alii, et potissimum a Lexicis N. T. Fischerus V. Cl. nuper removendum docuisset, id eum sibi revocandum sumere.

Sed quae posuimus, ne sine idoneo argumento protulisse dicamur, exempla quaedam subiecimus. Ad falsas igitur verborum significationes commemoratas ista pertinent. Ἀποβλέπειν esse intueri sic ut te auertas ab aliis: quis vero hodie paullo in veterum scriptis legendis versatior, post Jensii Lect. Lucian. p. 112. Trilleri Obseru. Crit. p. 448. et Kypkii in Obs. S. p. 404. T. 2. disputata dubitat, esse *admirari* vel *cupere*. Ἀπερείδειν non esse, ut auctor libelli vult, *firmiter figere*, innumeri maxime Poetarum loci confirment, in

in his Callimachi H. in Del. v. 120. ubi *fetum deponere* notat. Ergo eſt *ponere* ſimpliciter. Dicam potius ἀπό, ſi vim habeat, indicare ſeparationem, non vero augere vel intendere. Quemadmodum autem in poteſtate praepoſitionis διά demonſtranda valde laborat, quam inprimis vel omnino non, vel ſaltem perraro, verbis ſimplicibus maiorem aliquam vim conciliare, viri docti ſcite intelligenterque docent: ita διαβαίνειν ut denotet *ſuperare, ſupergredi*, non repetendum eo, quod διά ſignificet *ſupra*, quod, ut arbitramur, doceri non poteſt; ſed quod ſuperare tum idem eſt quod *tranſire*, ut adeo διαβαίνειν exponi poſſit *tranſire*. Ac parum abeſt, quin fruſtra omnem iſtum in ornanda praepoſitionis iſtius ſignificatione varia conatum eſſe ſuſceptum putemus. Neque vero ἐκκάιω ubi occurrat pro *exſtinguere*, vel ἐξανθέω ubi legatur pro *defloreſco*, reperimus; illud tenemus, iſta frequenter poni pro ſimplicibus. Ἔκλευκος autem *valde album* ut ſignificet, conſtans et perpetuum non videtur: καταχράομαι fere perperam reddi in lexicis *male uti*, ſatis conſtat peritioribus, atqui ſic quoque nunc exponi videmus: παραχράομαι autem quo iure per *contemno* exponatur, cum potius ſit *abuti, perperam* et *male uti*, ignoramus. Nec ſcienter ſatis παράγειν redditur *producere, promouere*, cum potius ſignificet *praeterire, interire*: παρακύπτειν autem non eſſe *diligenter inſpicere*, ut hic habetur, ex uſu loquendi, quem cum aliis Kypkius Obſ. N. T. p. 335. Tom. I. illuſtrarunt, clarum eſt. Ceterum iſte error communis eſt multis, inprimis N. T. interpretibus, nec ab eo ſibi cauit Gatakerus ad Marcum Antoninum p. 92.

Quod autem περισπάω redditur *in diuerſum, traho* ab uſu loquendi alienum eſt, qui docet, eſſe vel *abſtrahere*, vel *diſtrahere*, vel *circumagere*, quod ad alia quam ad diuerſa, hoc eſt, obiecta et oppoſita, pertinere patet. Tum porro, περὶ idem valere quod πρός, exemplis p. 111. commemoratis nemo facile ſibi paſſus fuerit perſuaderi. Nam in προβαίνειν, προμολεῖν, et ſimilibus, praepoſitio prorſus denotat *pro*, nem-

pe *prodire*, *procedere*, non vero *adire*, *aduenire*; in ceteris videndum est, an lectioni veritas adsit, nec forte πρὸ per aberrationem et vitium locum praepositionis πρὸς inuaserit, quam permutationem frequentem esse Criticorum obseruata passim demonstrant. Verbo ἐξεκκλησιάζω mirati sumus tribui notionem indicandae celeritatis, et exponi, *sine mora concionem habeo*; cum sit ad eorum verborum genus referendum, in quibus nullam vim simplici praepositio adferat, quaeque in Lexicis maioribus non notata, magno numero in Hedericianum se retulisse profiteatur Vener. Ernestius, in Dissertatiuncula de Josephi Stilo. Cuius etiam generis est συμφρονεῖν, quod quanquam scimus esse *consentire*, *in alterius sententia acquiescere*, unde το σύμφρον apud Marcum Antoninum 10, 8. τὴν ἑκούσιον ἀπόδεξιν τῶν ὑπὸ τῆς κοινῆς φύσεως ἀπονεμομένων indicare dicitur: tamen etiam pro simplici poni obseruatur, quod cum auctori parum probaretur, ecce satis obscure sic exponit, *una intelligentia comprehende*. Συσκιάζειν plerumque etiam ab auctore vertitur *obumbrare*, cum tamen usurpandi consuetudo doceat accipiendum esse pro *cingere*, *tegere*. Συγκρίνειν autem quoties non pro κρίνειν usurpatur? veluti cum de *somniorum interpretatione* dicitur apud Judaeos Alexandrinos Genes. 40, 8. in vaticiniis Danielis 2, 4. apud Philonem aliquoties, apud Paullum 1. Cor. 2, 13. ubi qui e puerili lexico *comparare* vertant, falsissimi sint. Ubi vero locorum συμφέρειν simpliciter legatur pro *coire*, velimus indicatum fuisse, nam nos quidem obuium nusquam habuimus. Sed ut in aliis, videtur ratiunculis suis auctor tantum extendere voluisse quid verba significare possint, nam hac quidem ex parte satis paratus est; nobis autem reliquisse, ut exercitationis caussa videamus et quaeramus, ubi proditam notionem non dicam reperiamus, sed inferamus.

Ut autem verborum decompositorum, siue cum duabus vel tribus praepositionibus iunctorum, valorem rite ponderaret, argutias admouendo, et contortas argumentatiunculas complicando, se ipse superasse videtur. Quibus ineptiis, qui graecae linguae

co-

cognitionem ex ipsis fontibus haurire sciat, qui eam lectione auctorum eius, et obseruationibus Grammaticorum veterum, ac optimorum quorumcunque e recentioribus ducat, nihil tribuerit.

Praeterea quoque illud offensioni fuit, quod saepissime inusitatas verborum formas V. Cl. commemorat. Etenim διαβαδίνω nisi prorsus vitiosum est, ac voluit potius διαβαδίζω citare, hoc igitur cur dicetur magis, quam διαβαίνω, notione *nitendi* et *diuaricatis cruribus standi?* qui status est pugnantium. Latinius dixeris, *magno gradu*. Vid. Miscell. Obseru. T. I. p. 126. et ad Homerum Il. M. 457. Ernestius. Huius generis est ἐπιπυρεταίνω, grauius paullatim febricito p. 64. et συνάγω, *frango*, p. 129. commemoratum. Nam προμνηστῆναι quale sit p. 109. et qualis interpretatio, *alius ante vel post alium*, non extricamus. Alia adhuc reprehensionem incurrant: v. c. Media et Actiua interdum promiscue posita, ut p. 23. ἀπεκλέγω, *reprobo*, quod est ἀπεκλέγομαι, quamquam nec istam interpretationem satis probamus, ad possibilitatem significandi magis, quam veritatem referendam: porro latinitas parum emendata; et tum deponentia, veluti verbum *interpretari*, aliquoties pro Actiuis usurpans, tum obscuritatis vitio in Graecis vertendis laborans. Sic ἀπαλγεῖν vertitur *dedolere*, cum planius et magis perspicue reddendum sit, *stupere*, *sensu carere*, *desperare*; quae omnia eo pertinent, ut hanc in isto libello scribendo operam, admodum exiguam, et fortasse adhuc minorem quam sperasset Auctor utilitatem allaturam esse accuratae doctrinae cupidis, affirmare non dubitemus.

CAROLI ANDREAE BELII D. POES. Prof. Ord. Lipsiens.

COLLATIO LEGUM POLITICARUM ET PHILOSOPHICARUM DE OTIO.

Flagrat hodie ſtudium legum emendandarum inter ceteras contentiones, quibus haec aetas palmam praeripere ſuperioribus, (quo ſucceſſu, dicet poſteritas,) conatur. Nec iſtud quidem temere arripuerunt ingenioſi quidam ſcriptores. Etſi enim multa maiores noſtri, de corrigendis inſtitutis antiquis, quae ſola fere vetuſtate commendantur, deque nouis ſanciendis, prudenter monuerunt: tamen, quam longe a propoſita meta abſint eorum nepotes, res ipſa fatetur. Ne de cauſſis dicam, quae ſaluberrimis conſiliis plurimis vim omnem atque aditum in animos potentium virorum auferunt, ſatis fuerit vel hoc unum commemoraſſe, nihil videri difficilius, quam ferre leges eiusmodi, quae primariam mali labem, ipſa peccandi ſemina, profligare queant; felicitati publicae muniendae viam breuiſſimam et certiſſimam ingrediantur; non annis aliquot, aut vitae humanae circulo, aptae ſint, ſed ſeculis; quae unius gentis ingenio, moribus, gubernandi formae, ſolo denique ipſi, et bonis malisue phyſicis accommodatae, ſeruiant, nec mixtae diuerſorum populorum ſenſu aut utilitate, coaleſcant; quae, ubi mutandarum neceſſitas aliqua oſtenditur, mutationis iſtius modum veriſſimum ipſae demonſtrent, neque omnino tollendae ſint. Quae omnia ſi vel maxime adſequatur legum condendarum ſapiens magiſter, ſupererit quod inprimis optabile iudicet, ut ratio reperiatur aptiſſima inſtillandi eas ciuium animis, ne poſt cognitas leges deſint deinceps obſeruandarum adiumenta et auctoramenta, liberali natura digniſſima; ne ſummae auctoritatis mandata ſolum cenſeantur, quae bene beateque viuendi praecepta merito habentur,

tur; ne vel malignior interpretatio, vel apertae latebrae, vel peccandi impunitas ulla, doceant leges fallere. Amare bonas leges, libenter iis adſueſcere, et adeo imperium earum non detrectare, ut, his ſi careas, optimo te et amiciſſimo duce priuatum exiſtimes; mores denique ſponte et conſtanter attemperare iis ipſis, quae leges praeſtare iubeant. Hanc iſtarum reuerentiam, hunc in eas animum ſtabilire, ſi quis legislator didicerit, vincet ſine dubio clariſſimos ex eo genere viros, qui ſanctiones longe pulcherrimas protulerunt, non item modum, quo cum vita ciuium arctiſſime copulentur. Nam, quae acuta eſt *Ariſtotelis a*) obſeruatio, *ὁ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος; omnis legibus ad perſuadendum vis a conſuetudine naſcitur.* Et in eandem ſententiam poeta *b*) queritur:

Quid leges ſine moribus
Vanae proficiunt?

Sed miſſa hac curarum parte, lubet inuitatis a praeſente ſcribendi opportunitate, ex infinita illa ſilua, in qua habitandum eſt, et iam cultura, iam ſecuris adhibenda legibus, particulam frondis decerpere, in qua litteris ſacrata iuuentus, et quicunque bene rebus ſuis cupiat, numquam ſatis oculos et cogitationes ſuas defigere poſſit. Quid enim vel magis noxium, in hac palaeſtra decurrentibus, otio reputetur? vel eodem amabilius, ſi quis recte aeſtimet. Nimirum, otioſos inſectantur leges ciuiles, Otio rite perfrui philoſophia docet.

Intereſt ſane reipublicae, ut mature homines, ſemper autem pars longe numeroſiſſima ciuium, ſeuera laborandi diſciplina conſtringantur. Cuius poſtulationis cauſſas nemo fere deſiderauerit. Hi profecto, quos dixi, nec in officio certius continebuntur, nec ſapientiae, virtutis, religionis ipſius

a) *Ariſtotel.* Politic. L. II. c. 8.
b) *Horat.* Carm. L. III. Od. XXIV. v. 35. 36.

ipſius amore imbuentur citius, quam ubi laboris et neceſſitatem, et ſuauitatem, ſentire coeperint. Quod eleganter et concinne, ut alia multa, expreſſit his verſibus *Heſiodus:* c)

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Ante virtutem ſudorem poſuerunt dii
Immortales. Longa vero et ardua via ad ipſam eſt,
Primumque aſpera; ubi vero ad ſummum ventum fuerit,
Facilis deinceps eſt, licet antea moleſta fuerit.

Quam in rem cum multa dici poſſint, de eximia laboris apud animum vi, et foediſſimis contra ignaui otti fructibus, ſciens ea volensque, non quod nimis vulgata putem, praetereo, contentus adieciſſe lepidam imaginem, quam *Ennius* d) effinxit:

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam quum eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit, ſtudet ibi, mentem atque animum delectat ſuum.
Otioſo, initio animus neſcit quid velit.
Hoc idem eſt; neque domi nunc nos, nec militiae ſumus.
Imus huc, hinc illuc, quum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incerte errat animus, praeter propter vitam viuitur.

Mi-

c) *Heſiodi* Opera et Dies, v. 288—292. quem locum commendat *Cicero*, Ep. ad diuerſ. VI. 8.

d) Apud *Gellium*, Noct. Attic. L. XIX, c. 10.

Miſeram vero ſortem iſtorum hominum, et vel propterea cauendam, quod viuendi cauſſas, ut ille ait, quotidie praetereunt. Sed cum eosdem etiam, per hunc ipſum vitae ſomnum, praecipites in ſcelera et turbas ruere videas, aliis graues eſſe, ſibi adferre exitium: non iam contemtu puniendi ſunt, ſed velut perpetuae quaedam ciuitatum peſtes deteſtandi.

At his leges et minae oppoſitae ſunt acerbiſſimae. Audio. Nulla eſt res publica bene conſtituta, quin rigidiorem ſe praebeat in proterue otiantes, et hanc deſidiae maculam cum offenſa aliorum circumferentes. Poſtquam inprimis ſaepius inculcarunt huic aetati noſtrae ſcriptores minime mali, (ut nuper Francogallis ſuis *Mirabellus*, e) in libro quem φιλάνθρωπος f) dici voluit, qui etiam ſermone iam noſtro legitur,) ſummas reipublicae et paratiſſimas opes in copia et induſtria ciuium collocandas eſſe: multo etiam accuratius hoc agitur paſſim, ut hae vires gentis in publica cedant commoda. Proſcribuntur mendici, feſtorum dierum numerus coercetur, proponuntur penſa laboraturis, alia otioſis aduerſa edicuntur. In quo ſi quis nihil laudandum putet, iniquior fuerit; plura tamen facienda reſtant, ac, niſi prorſus fallor, maiora. Scilicet in omni malo, quod altiores radices egit, exſtirpando, obſequendum eſt monitioni poetae: g)

Summi materiem mali

Mittamus. Scelerum ſi bene poenitet,

Eradenda cupidinis

Praui ſunt elementa: — —

Re-

e) *Marquis de Mirabeau.*
f) *L'Ami des Hommes.*
g) *Horat.* l. c. v. 49. ſeq.

Refcindenda igitur primum funt turpis otii irritamenta omnia: nimis faciles victus confequendi aditus, viuendi genera, nonnumquam et munera publica, quibus nihil aut parum agendo fungi queas. Porro diligentiae incolarum alimenta perpetua praebenda funt. Male ftipem et panem accipiunt ut Monachi, qui hoc ipfum laborando parare poffunt. Nec umquam carebit refpublica operibus in commune utilibus, quibus exfequendis admoueri tot manus negligentiores debeant. Maxime vero fubtilis illa otii forma eorum, qui multum agendo nihil agunt, non hoc certe quod agendum erat, indaganda venit, et caftiganda. Nullum fere genus ifto perniciofius videtur. Tutum enim diuitiis, dignitate, amicitiis fuis, latius in dies ferpit, labore aliorum inter rifus et voluptates perfruitur, ipfam nec induftriam, nec praemia illius, colit, imitatores nancifcitur bene multos, pluribusque cupidinem fimilis otii adipifcendi inftillat. Accedit, quod tanto grauius in rempublicam peccant, quo funt lautioribus bene de ea merendi fubfidiis parati. Hanc *ardelionum nationem*, ut appellat *Phaedrus*, *occupatam in otio, gratis anhelantem*, et *trepide concurfantem*, fi compefcerent, et ad meliorem frugem redire cogerent leges, tum vero infigne facinus ab iis patratum iudicaremus. Utinam nulla beatae pigritiae exempla cernerentur! mendicantes quidem in vicis publicis leui opera magiftratus abiget. Neque illud negligendum eft, fumtuarias quoque leges otio fraenum quodammodo inicere, ei generi potiffimum, quod luxum malis artibus, labore nullo, fuftentat. E pluribus veterum legibus eximiis, quae in otiofos animaduerterent, placet unam admodum repetere, cuius memoriam e *Diphilo* feruauit *Athenaeus* b):

Τοῦτο νόμιμον ἐςὶ βέλτιςʼ ἐνθάδε
Κορινθίοις, ἵνʼ ἐάν τινʼ ὀψωνοῦντʼ ἀεὶ
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνειν πόθεν

Ζῇ,

b) *Athenaeus* Deipnofophift. L. VI. p. 227. 228. ed. Dalecampii, Lugd. 1612. fol.

Ζῇ, καὶ τί ποιῶν· κἂν μὲν ὐσίαν ἔχῃ,
Ἧς αἱ πρόσοδοι λύωσι τ' ἀναλώματα,
Ἐᾶν ἀπολάυειν ἤδη τῦτον τὸν βίον
Ἐὰν δ' ὑπὲρ τὴν ὐσίαν δαπανῶν τύχῃ,
Ἀπῆπον αὐτῷ τῦτο μὴ ποιῆν ἔτι.
Ὃς ἂν δὲ μὴ πιθητ', ἐπέβαλον ζημίαν.
Ἐὰν δὲ μηδ' ότιῦν ἔχων ζῇ πολυτελῶς
Τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτόν. — —
Ὀυκ ἐνδέχεται γὰρ ζῆν ἄνευ κακῦ τινὸς
Τῦτον· συνίης; ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Ἢ λωποδυτῆν τὰς νύκτας, ἢ τοιχωρυχῆν,
Ἢ τῶν ποιῦντων ταῦτα κοινωνῆν τισιν,
Ἢ συκοφαντῆν κατ' ἀγορὰν, ἢ μαρτυρῆν
Ψευδῆ, τοιούτων ἐκκαθαίρομεν γένος.

Talis iſtic lex eſt, o vir optime,
Corinthiis; ſi quem obſonantem ſemper
Splendidius adſpexerint, illum ut interrogent
Unde viuat; quidnam agat: quod ſi facultates illi ſunt,
Quarum ad eum ſumtum reditus ſufficiat,
Eo vitae luxu permittunt frui:
Sin amplius impendat quam pro re ſua,
Ne id porro faciat interdicitur:
Si non pareat, multa quidem plectitur.
Si ſumtuoſe viuit, qui nihil prorſus habet,
Traditur puniendus carnifici. — —
Nec enim licet vitam absque ullo malo degere
Talem, ſcias: itaque neceſſum
Vel noctu graſſantem ſpoliare alios, vel parietes ſuffodere,
Vel talia patrantibus adiungere ſe ſocium,

Vel in foro delatorem esse, aut testem
Falsum: a talium hominum genere purgamus urbem.

Denique et hoc exspectandum est a praeclaris legibus, ut manifesti dedecoris notam, turpi otio inurendam, quauis ratione animis ingerant, praestentque communem labis illius horrorem, ac tanto feruentiora in laborandi adsiduitatem studia.

Magna petimus a legum auctoritate; sed quis minora tantum illa et vulgata, parum ad mores et sentiendi veritatem valitura, animo complectatur? praesertim cum nulla sublimior legum ferendarum peritia, non iustum et utile earum temperamentum, sine philosophia proueniat. Huius igitur unius opo, ne diutius in alienam messem immittere falcem videar, de otio aestimando et utendo lubet disquirere.

Ac mihi quidem vehementer omni tempore placuit sententia *Senecae*, i) quam, praeteruectus villam *Seruilii Vatiae*, de otio, quod philosophicum plerique putant, ex vero tulit. „In hac (villa), inquit, ille praetorius diues, „nulla alia re quam otio notus, consenuit, et ob hoc unum „felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia *Asinii* „*Galli*, quoties *Seiani* odium, deinde amor, merserat, —— „e clamabant homines: O *Vatia*, solus scis viuere. At il- „le latere sciebat, non viuere; multum autem interest, *u-* „*trum vita tua otiosa sit, an ignaua.* Numquam aliter hanc „villam, *Vatia* viuo, praeteribam, quam ut dicerem: *Va-* „*tia hic situs est! Sed adeo,* mi *Lucili*, *philosophia sacrum quid-* „*dam est, et venerabile, ut etiam, si quid illi simile est, menda-* „*cio placeat. Otiosum enim hominem seductum existimat vul-* „*gus, et securum, et se contentum, sibique viuentem, quorum* „*nihil ulli contingere nisi sapienti potest.* Ille quidem, nulla „re sollicitus, scit sibi viuere; ille enim, (quod est primum,) „scit viuere. Nam qui res et homines fugit, quem cupi- „ditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores vi- „de-

i) *Seneca* Epist. LV.

„dere non potuit, qui velut timidum atque iners animal me„tu oblituit, ille sibi non viuit; sed, (quod est turpissi„mum,) ventri, somno, libidini. Non continuo sibi vi„uit, qui nemini. Adeo tamen magna res est constantia, „et in proposito suo perseuerantia, ut habeat auctoritatem „inertia quoque pertinax." Idem scriptor ingeniosissimus iuxta et animi humani callentissimus, non modo librum singularem reliquit *de otio aut secessu sapientis*, e quo paucae velut e naufragio extremae tabellae ad nos emerserunt; k) sed etiam plurimis aliorum librorum et epistolarum locis, quamquam breuius, idem quod libro illo docuit, philosophum suo in otio esse occupatissimum; fere ut *Scipio Africanus* de se profiteri solebat, l) *numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus esset.*

Hoc nimirum inprimis agit *Seneca*, ut ostendat, m) *solos omnium otiosos esse, qui sapientiae vacent.* Ceteris quidem mortalibus negotia, munia, labores omnis generis, attributa sunt, ut in iis, quid ferre humeri possint, experiantur. Demtis autem illis, nesciunt protinus, cui bono ingentes illas animi corporisque vires acceperint. Adeo non generoso impetu ad nobilissima facta audenda feruntur; sed compellendi sunt quodam officiorum aut commodorum velut iugo imposito. Sapiens contra, sibi redditus, et a strepitu quotidianorum munerum otium nactus, plus etiam, et suauius peragit, quam definiti aliorum discursus et sudores. Tum demum non alienis regitur legibus, sed suis, hoc est, illo alte insito boni verique amore, cui iam cursum expedire per infinita licet spatia. Atque haec princeps caussa subest, cur otium et quietem, vel statae laborum agitationi, quandoque succedere optet, vel sibi per omnem vitam contingere. Nempe, cum liber spiritus in omnia diuina humanaque, et sua inprimis, penitius noscenda euagatur, optime fruitur otio,

k) Vid. *Senecae* utriusque Opera, Paris. 1613. fol. p. 961. seq.
l) Apud *Ciceronem*, L. III. de Offic. c. 1.
m) *Seneca* de Breuitate Vitae, c. 14.

otio, non otiatur. Et apposite idem ille *sententiarum magister*, ut eum vocat *Petitus*, *otium sine litteris mortem esse, et hominis vivi sepulturam*, n) non dixit modo, sed etiam oculis quasi iussit cernere.

Est igitur otium, quod probat et iubet philosophia, sine quo ne possit quidem satis explicare vim suam intra mentes conclusam. Et tamen ipsa quoque admonet suos, ne nimium sibi ad populum placeant illa laborum vulgarium fuga, velintque videri contemnere et abiicere, a quibus propter animi tranquillitatem subinde abstinent. Rursus haec optime amici sui vocibus praecepit: „Absconde te in „otio; sed et otium tuum absconde. Non est quod inscri-„bas tibi philosophiam. Atque etiam aliud proposito tuo „nomen impone: valetudinem et imbecillitatem vocato, et „desidiam. Gloriari otio, iners ambitio est. Animalia „quaedam, ne inueniri possint, vestigia sua circa cubile „ipsum confundunt: idem tibi faciendum est, alioqui non „deerunt qui persequantur. Multi aperta transeunt, con-„dita et obstrusa rimantur. Furem signata sollicitant. Vi-„le videtur, quidquid patet: aperta effractarius praeterit. „Hos mores habet populus, hos imperitissimus quisque: in „secreta irrumpere cupit. Optimum itaque est, non iacta-„re otium suum: iactandi autem genus est nimis latere, et „a conspectu hominum secedere. Ille Tarentum se abdi-„dit; ille Neapoli inclusus est; ille multis annis non transit „domus suae limen. Conuocat turbam, quisquis otio suo fabu-„lam aliquam imposuit. Cum secesseris, non est agendum hoc, „ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris.“ o)

Nihil addam his magni viri consiliis: imo vero omnis reliquus locus legendus est. Coerceantur igitur otiosi ciuilibus legibus; melioris disciplinae alumni a philosophia, eaque comite, otiari discant.

NOVA

n) *Idem* Epist. LXXXII.
o) *Idem* Epist. LXVIII.

NOVA GLOTTICA.

Ex litteris R. P. AUGUSTINI ANTONII GEORGII, Procuratoris Generalis, Ord. S. Augustini etc. datis ad C. T. de MURR.

De Lexico *Tibetano* edendo, iam diu est quum me haec cura et sollicitudo tenet. Habent illud P P. Capucini in domestico Tabulario suo asseruatum; sed nuda vocabula in eo conspiciuntur, latinis tantum litteris exarata. Nam *Tibetice*, siue *Tangutice* scripta desiderantur, quodque grauius est, quid ea significent sciri nequit; quippe quae explicata non sint, neque in *latinam*, aut *italicam*, aliamue linguam Europaeis cognitam translata. Unum exstat in *Nekpallensi* eorumdem P P. Capucinorum domo, quod voces *Tibetanas* habet, ipsius gentis litteris descriptas, easque in *italicam* linguam conuersas. Huius ecgraphum promissum saepe est, sed necdum venit, et quando venturum sit ignoratur. — Paruam, quam optas, Congensium Grammaticam, ab *Hyacintho Brusciotto* editam, una cum meis hisce litteris, ut spero, accipies. Vide et Tu, Vir praestantissime, num et alii sint in hac typographica S. Congregationis de propaganda fide officina impressi libri, quos velis. Hos enim mittam, ut iubes, Venetias, ad mercatorem Schalkhauserum. At vero Grammaticam Indostanicam mittere non potero. Est ea quidem secundis veluti curis adornata a P. Cassiano, Capucino Maceratensi, ex MSS. P. Horatii Pinnabillensis, et iam diem exspectat, quo tandem in lucem prodeat. Vereor ego tamen, ne optata dies multo remotior futura sit, quam ego vellem. Non ita diu ante e sacris nostris praelis prodiere Christianae Institutiones, *Malabaricis* characteribus cusae; modo vero *Armenicum* missale imprimitur. Agendum quoque esset de Grammatica *Coptica* mei *Guillelmi Boniourii* cu-

cudenda. Sed huius negotii expediendi tempus, nescio qua de caussa, in longum nimis protrahitur. Interea celebris *Schulzius Copticum* Lexicon imprimit Oxonii, ut duobus abhinc mensibus ad me scripsit eruditissimus *Wirthius*. Fortasse ille idem Schulzius erit, quem typis *arabicis* edidisse significas Grammaticam Indostanicam. Hanc, oro te, Murri Clarissime, quam cito poteris, ad me mitte, et quanti eam nomine meo emeris, scribe, rem enim facies mihi summopere gratam.

Ceterum non possum non tibi vehementer postremo loco gratulari de *Bibliotheca* tua *Polyglotta*, siue secundum *systema Glotticum*, tam sapienti consilio tamque immani labore, et eruditionis copia, abs te composita. Tu unus, qui totos ferme viginti annos in haec plane ardua et difficillima peregrinarum linguarum studia impendisti, tantae molis opus suscipere et absoluere poteras. — Romae, post. Id. Jun. 1774.

Ex litteris Dom: *Michaelis Casiri*, S. T. D. et Bibliothecarii regii Scorialensis.

Ceterum, ad mea quod attinet scripta, en Catalogum:

Bibliotheca Arabico-Hispana Escurialensis, in duos tomos distributa, prior agit de scientiis, alter de historia Hispana; uterque lucem aspexit.

Opera vero, praelo parata, sunt: Collectio Canonum Ecclesiae Hispanae, ex antiquo Codice *Arabico* Escurialensi, cum *latina* interpretatione et notis.

Numismata *Arabica*, nec non variae Inscriptiones, ex Museo nostrae regiae Academiae Historiae etc.

Arabicae Inscriptiones, quae spectantur in Templo *Cordubensi*, ac in aede vulgo *Alhambra*, olim Sede Arabum Granatae Regum, cum notis.

Arabicae item Inscriptiones, quae in aede regia Hispalis exstant, cum notis. Omnes cum tabulis, et litteris Asiaticis descriptae. Interim vale et iube. Matriti, d. 25. Maii anno Salutis 1769.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Junii Anno MDCCLXXIII

Beschreibung von Arabien, aus eignen Beobachtungen und im Lande selbst gesammleten Nachrichten

i. e.

DESCRIPTIO ARABIAE, EX IIS, QUAE IN EA terra viderat ipse audiueratque, adornata a CARSTENIO NIEBUHR.

Hafniae, 1772. quadrupl. f. pp. 432. Praef. XLVIII. cum tabb. ex aere expr. XXIV. et terrae Jemen mappa geogr.

Quanto cum commodo litterarum omnium a viris doctis in dissitas longe terras peregrinationes instituantur, ab Herodoti aetate inde ad haec nostra tempora multis exemplis ita cognitum et perspectum est, ut mirandum non sit, esse quam plurimos, qui, ut incognitae nobis aut parum dilucide explicatae terrae eiusmodi peregrinationibus aperiantur, et illustrentur, vehementer optent. Erat in numero ho-

harum terrarum Arabia, parum adhuc cognita, at, si quae alia, dignissima, quae cognosceretur, siue geographiae et historiae scientiam, siue philologiae orientalis doctrinam et litterarum SS. interpretandarum peritiam, siue rerum naturalium cognitionem, siue denique mercaturae utilitatem spectares, quae omnia, dubitatio non erat, quin incrementa largissima inde essent captura. Itaque auctoribus viris eruditis, et incitatore atque adiutore *Bernstorfio*, immortaliter de litteris merito, effectum est, ut auspiciis sumtibusque *Friderici V.* Danorum Regis, ut erat ille in litterarum studia liberalissimus, mitterentur, qui Arabiam, interiorem maxime, quam Felicem dicunt, viserent, et nostris terris cognoscendam traderent; idque institutum, mortuo Rege, filius eius *Christianus* VII. qui nunc Daniam regit, amplius fouit et ornauit praesidio suo. Nec defuerunt ei eruditi in nostris terris, qui admonitionibus, quaestionibus, institutione, peregrinaturos varie texerunt, inprimis *Michaelis* Goettingensis, qui C. quaestionibus propositis quid maxime indagatione dignum videretur, docuit. Profectis autem principio anni 1761. ad eam ἱστορίαν IV. viris doctis, *Hauenio*, qui Philologiae et historiae, *Forskalio*, qui historiae naturalis; *Nieburio*, qui Geographiae, *Cramero*, medico, qui Medicinae augendae caussa missus, cum pictore *Baurenfeind* qui ad descriptiones et imagines rerum memorabilium conficiendas additus erat, ex illis omnibus solus *Nieburius* rediit a. 1769. sociis in itinere mortuis. Sed attulit idem secum reliquorum aliquot schedas et aduersaria quorum ope spes est fore, ut fructu operae, quam illi impenderant peregrinationi litterae non careant: ipse vero, quaecunque per omnia itinera vidit, animaduertit, audiuit, cognouit, ut erat in inuestigando curiosus, et sedulus in annotando, ea nunc in ordinem digesta, copiosius, breuius, pro rei cuiusque natura et studiorum suorum ratione, cum litteratis omnibus communicat et amplius communicabit.

Ha-

Habemus igitur eius Arabiam, diuisam in partes duas quarum prima de Arabia eiusque incolis in uniuersum exponit continua oratione a. p. 1. ad 180. altera singulas Arabiae partes sigillatim enarrat; ex his excerpemus, quae nobis prae aliis scitu digna videbuntur, cum iis aut certiora reddi, que dubia, aut nota, quae plane incognita erant, aut veterum narrationes refelli vel comprobari, aut, de quibus Ill. Michaelis quaesiuerat, ea explicari et dilucidari, cognouerimus. Sed antea breuibus, quid praefatione contineatur, commemorabimus.

Itaque postquam paucis de consilio et apparatu itineris, de temporibus, de morte sociorum exposuit, et hunc reliquorum casum, et Arabiae naturam Arabumque indolem eo valere debere negat ut quis iter per Arabiam cum magno periculo et ingenti molestia fieri arbitretur; et, si qui post haec illam terram visuri sint, his monita dat utilia de opportunitate itineris, de ratione victus, de necessitate linguae arabicae addiscendae. — Quod ad quaestiones Michaelis attinet, eas ad se peruenisse docet per partes variis temporibus, omnes demum in India, integro post mortem reliquorum anno; itaque responderi accurate non potuisse, quia, quae ad philologiam, ad hist. nat. ad vitam communem resque ciuiles spectent, ea a se antea, superstitibus sociis, non adeo accurate perscripta sint, omninoque quod difficillimum reperiatur, quaerendo, quae scire velis, cognoscere. Sed de geographia, quam potuerit, diligentissime omnia se egisse; non omnia loca a se commemorata, quae in Abulfeda, in Geogr. Nubiensi, in Anuillana tabula reperiantur, sed multas urbes et regiones plane ignotas hactenus sua opera innotuisse, et nihil positum esse, nisi quod ipse vidisset aut ex idoneis auctoribus cognouisset; nomina locorum, quae nunc in usu sint, edita esse, pro ratione vulgari Arabum pronunciandi germanicis litteris scripta (additis tamen plerumque arabicis) ut, quomodo ea ab Arabibus ipsis dicerentur, posset ab omnibus intelli-

gi; ad conficiendas denique tabulas geogr. omnibus se, quibus potuerit, praesidiis usum esse. Adhibuit autem cum summa diligentia obseruationes latitudinis astronomicas, (Loheiae etiam longitudinem reperit ex obseruatis Jouis satellibus) dimensiones viarum et agasonum in hac re fide dignorum narrationes. Addidit his appendicem variam, quae continet 1) scripturae antiquae arab. in variis lapidibus, nummis, membranis, explicationem traditam a b. Reiskio nostro, cui eam legendam et euoluendam miserat, 2) varia de usu et significatu hodierno verborum nonnullorum hebr. et arab. de quibus Michaelis interrogauerat, prout ex Arabibus, Judaeis, Christianis, acceperat, 3) explicationem aliorum verborum ad hist. nat. maxime pertinentium, ex Forskalii schedis excerptam.

Priori operis parte Cl. Nieburius Arabiam Arabasque describit in uniuersum, traditque deinceps de talibus argumentis: *De finibus, situ, coelo, et natura Arabiae* p. 1—10. Cum fluuiis terra non sit irrigua, non habet nisi riuos, qui ex pluuia in montibus collecti per arenas fluunt (haud facile enim in conuallibus aquae stagnant) et plerumque ab arenis sorbentur, raro in mare exeunt; itaque riuus qui Musam praeterlapsus propter Mocham in mare exit, magnus fluuius vocatur in tabula Jemenae geogr. (Wadi el kbir, nomine communi cum Baeti, Hispaniae fl) qui vix quemquam ex tenuissimis Germaniae fluuiis aequauerit. — In montanis Ar. partibus temperatus aër, et certo tempore pluuia, in campestribus (Tehama) quia semper sudum et serenum est, aestus vix ferendus; quod pertinet ad Michaelis qu. 88. — Ventus *Smûm* s. Samum (ita vocant etiam calidissimum anni tempus) spirat maxime in Deserta Ar. quae Meccam, Basram, Bagdadum et Halebon interiacet; noscitur rubenti aëris colore et odore sulphureo, hominesque et pecudes, nisi in terram prosternantur, ut alii venti feruentes, ademto et oppresso spiritu suffocat. (Michaelis qu. 24) — In multis regionibus ad sinum Persicum, noctu, cum gramina rore stillant, sub dio sine noxa dormiunt. (Mich

qu. 89. not.) — *De nobilitate et dignitatibus Arabum* p. 10. ff. Quicunque ex antiqua gente originem ducunt, quae nunquam aliis subiecta paruit, Nobiles censentur, ipsorum lingua *Schech* appellati, siue illi suam familiam solam, siue plures, siue integram gentem regant (hinc dominorum et dynastarum immensus numerus, quamobrem iam dudum Strabo εις πολλας δυναστειας αποτετμημενον το των Αραβων εθνος tradidit); horum nobilissimi sunt *Scherifi*, qui a Mohammede ortum trahunt, inprimis ii, qui Hegasam incolunt, (terram Hegas vel Hedschas*) et ab aliis *Seiid* aut *Emir* vocantur, et quorum ingens ubique est numerus, quia qui a Scherifi filia quocunque ex patre, natus est, inter Scherifos habetur: sed horum nominum non est constans ubique ratio, cum τῳ Schech Arabes ipsi, τῳ Emir Turci saltem admodum vage utantur. — Prosapiam accurate numerant et genealogias accurate conficiunt Nobiles, non facile plebeii Arabes, ut qui maiores suos parum curent, praeter paucos Meccae incolas, quorum interest Koraischitarum genti, cui munera certa et officia destinata sunt, accenseri. — *De religione Arabum* p. 18. ff. Praeter Sunnitas et Schiitas, quorum illi in plerisque Arabiae regionibus, hi ad sinum Pers. viuunt, multae aliae sectae Mohammedanorum minores et ignobiliores reperiunturque, sed duae inprimis in Ar. celebrantur: *Zeiditae* (زيدى) a Zeide, nepote Alis, qui Mohammedis gener erat, orti dicuntur praecipuamque sedem in Jemena habent; *Beiaditae* vero s. Abaditae (بياضى vel اباضى) qui in Omana degunt, ab hostibus Alidarum, qui ex ingenti clade reliqui huc confugerant, originem habere existimantur. Harum sectarum, etsi commixtae inter se degunt, tamen altera alteram contemnit vexatque quantum potest; sed Zeiditae, reliquis humaniores, Sunnitas patiuntur secum tranquille viuere. Peregrinas religiones Mohammedani neque

Hh 3 con-

*) Cl. Nieburius nomen huius terrae scribit *Hedsjas* et sic in reliquis, ubi τo ج arabicum solet exprimere per *dsj*; nos vulgari ratione per G expressimus.

contumeliis malisue afficiunt admodum, neque ut ab iis ad sua sacra homines pelliciant, multis artibus utuntur; si qui tamen sponte ad ea accedere volunt hos tuentur et alunt, sed parce, nec valde fouent. — Viuunt autem inter Arabes Judaeorum non modo singulae familiae, sed passim integrae gentes, Praefectis suis subiectae, quos Arabes ipsi Schech appellant, Christiani, olim quam nunc numerosiores, sed sine templis, et Baniani, s. pagani ex India, qui in Jemena, Omana et Iraca reperiuntur. His omnibus Maicatae, quae est Omanae urbs primaria, ex legibus placitisque religionis suae viuere conceditur, Banianis etiam imagines colere; atque adeo ipsi Mohammedani non ita, ut vulgo putatur, imagines auersantur, sed et in India iis delectantur, et inter Turcos sunt, qui clam aliis imagines habeant pictas caelatasque. *De indole, et moribus* p. 27. ff. Cum pueri statim a V. vel VI. aetatis anno ex gynaeceo (Harem) ad patres ducantur, in quorum conspectu viuant, aut praeceptoribus erudiendi tradantur, remoti a consuetudine puellarum aliorumue puerorum, sine lusu et ioco, mox, ubi adolescere incipiunt, abiecta eius aetatis hilaritate seueritatem morum induunt, quae omnibus Arabibus communis reperitur. Ceterum virtutibus vitiisue nec praestantiores aliis populis nec deteriores Arabes famae inprimis student et bonam apud alios existimationem quouis modo tuentur, unde haud raro vel leuissima contumeliae suspicione ad summam saeuitiam irae et ulciscendi cupiditatem incitantur (p. 31.) Per hanc occasionem, cum Cl. Auct. ad qv. 58. Mich. respondit p. 30. notam adiecit de fide *Aruieufii* (d'Arvieux) in iis narrationibus quae ad mores et consuetudines arab. pertinent.

Jam inde a p. 32. incipit A. *de peculiaribus moribus ritibusque Ar. in caussis vitae communis et ciuilis* exponere, ex quibus haec maxime visum est annotare: *Homicidia* non ubique extremo supplicio puniuntur; saepe occisorum propinquis liberum relinquitur velintne ignoscere homicidae satisfacienti, an ipsi eum punire: et saepe ita caedem cognato-

rum

rum ulſcicuntur, ut integram gentem eius qui caedem commiſit gens integra hoſtili modo perſequatur, per multos interdum annos, usque dum utrinque par capitum numerus caeſus ſit. — *Signum virginitatis*, cruentum linteum, (Mich. qv. 56.) diligentiſſime requiritur in deſerta Ar. et montanis Jemenae; itaque ſi quae ſunt, qui aut a natura id non habeant (nam in quibusdam gentibus hoc omnibus foeminis commune eſt) aut caſu perdiderint, id ſcriptis teſtimoniis ſolet confirmari; homines de plebe, ſi vitiatas ſponſas repererint, ſtatim repudiant, interdum et clam occidunt: in oppidis vero, qui ſunt cultiores moribus, aliquo poſt nuptias tempore ſilentio ad parentes remittunt. Ceterum cordatiores his ſignis fidem non habent, quod aut artem norunt ea imitari, (licet imitationem a natura diſcerni ſuccorum quorundam ope, Judaei nonnulli in Oriente velint) aut, ut non appareant, multis modis, praſtis, innoxiis, effici poſſe ſciunt. Lintea vero cruentata neque a Mohammedanis, certe in Ar. Felice et India, neque a Judaeis condita ſeruantur, maribus ne oſtenduntur quidem, tantum a foeminis ſponſo propinquis inueſtigantur et perſpiciuntur. — *Immunditiei* omnis generis meris lotionibus tollitur, quae in nonnullis cauſſis ſepties repetuntur; menſtrua mulieres a precibus arcent, pure caſteque faciendis; nihil amplius. — *Alienis ſacris addictos* Mohammedani, Sunnitae certe et Zeiditae, non habent immundos, nec eorum conſuetudinem fugiunt, humaniter potius et comiter tractant. Longiori digreſſione, quam par erat in enarrandis Arabum, non Turcorum moribus, de inſolentia et impudentia Turcorum eorumque in Chriſtianos et Judaeos contumeliis A. narrat: ſed poſtea, quod ad rem facit, p. 46. laudatam priſcorum Arabum *liberalitatem et hoſpitalitatem* etiam nunc inter eos manere oſtendit. Non modo in deſertis regionibus iter facientes a Nobilibus libenter hoſpitio excipiuntur, et ubique, qui Arabas accumbentes viderint, ad menſam adhibentur; vocantur ſaltem, cuiuscunque conditionis religioniſue fuerint: ſed et in villis et vicis paſſim publicae tabernae habentur a Nobilibus in quibus

iter

iter facientes gratis alantur; ea *Manfale* vocant (منزلة). — De cibo et potu, de pane confecto ex *Durra*, (milii id genus est, quod fimile videtur Indico milio *Plinii* XVIII. 7.) de potu ex Caffae fabis (*Kàhhwe* Arabes vocant) et viliori ex putaminibus cocto, quem *Kifcher* dicunt, varia tradit non iniucunda lectu, fed quae tradita reperias etiam a *Ruffelio* in hift. natur. Alepenfi.

De domiciliis Ar. p. 59. ff. Aedes Ar. quae quidem a viris habitantur, nec ftructae funt nec ornatae magnifice, aliter in foeminarum cubiculis habere dicitur; videre enim Cl. Nieb. ea non licuit nifi in Perfia, cum tale aedificium ftrueretur et pararetur. Solum ubique tectum eft vefcibus pictis aut cratibus; interdum in mediis oecis aquae falientes aerem refrigerant. — Tecta aedium plana effe, fatis conftat; fed viliores cafae curuata et rotunda tecta habent ex iuncto aut ftramine: ea *mapalibus* Afrorum Cl. A. fimilia putat: recte quidem, ut nobis videtur; nam cum *Salluftius* Jugurth. 18. mapalia dicit cafas oblongas, incuruis lateribus, tectas in formam carinae, et *Plinius* XVI. 37. ad tecta fcirpos fcribit adhiberi, plane videntur ante oculos habuiffe talem cafulam, qualem depictam exhibet Auct. tab. 1; et poterat fortaffe res, fi tanti effet, plane confici, fi nomen Arab. harum cafarum addidiffet. P. 62. *de veftitu, ornatu*; mitrae; foleae, fandalia, calcei nobiliorum; plebeiorum et rufticorum hominum veftitus, qui tantum duplici panno utuntur interdiu ad humeros et femora tegenda, noctu ad ftragulam et tegumentum; telum Arabum omnium, *Jambea*, latum, incuruum, acutum, quod in cingulo geftatur; mulieres pleraeque ungues rubro colore, pedes manusque rufo, f. inter flauum et fufcum medio ex foliis Hennae contufis (quam ex *Celfi* opinione Hebraei כֹּפֶר, κυπρον Graeci dixere, cf. *Plin.* XXIII. 4) cilia nigro inficiunt, faciemque nigris lineolis et punctis diftinguunt; etiam ex viris, qui fere nudi incedunt, integrum corpus Henna tingunt. Barbam omnes intonfam habent, praeterquam in fuperiore labro, quae

non-

nonnullis abraditur; idem *Plinio* videtur traditum VI. 28. (non 32.): etsi enim ibi nunc legitur: *barba abraditur, praeterquam in superiori labro; aliis et haec intonsa:* nobis tamen certum videtur, legendum esse cum negatione *barba non abraditur*; quorsum enim illud addidisset: aliis et haec (in sup. labo) *intonsa?*

De matrimoniis Ar. p. 69. Jus viduarum orbarum, *leuiri connubia* petendi, etiamsi is uxorem habeat, inter Judaeos manet, etiam cum ritu exspuendi, sed in terram; (nam בפניו Deut. XXV. 9. Judaei interpretabantur לפניו, *coram eo*; cf. Praef. p. XLV.) apud Mohammedanos nullum est: sed his duas sorores simul in matrimonio habere non licet. — Ad *polygyniam* quod attinet, cum in Oriente quoque par fere puellarum puerorumque numerus nascatur, natura viris plures uxores ducere vix suaserit. Sed Mohammedani hoc suo iure non utuntur omnes; haud paucis ex ditissimis nobilissimisque, mediae sortis fere omnibus uxor una sufficit. At quamquam reliqui plures ducunt, tamen mulierum quae in uxores duci possint nusquam apparet inopia, quod non modo puellae mature nubunt, vix 12. aut 13. atque adeo 10. annos natae, sed etiam viduae iuniores, et mulieres diuortio missae, alias et semper alias nuptias studiose appetunt; ἀτεκνία enim mulieribus Mohammed. summo dedecori habetur. Ceterum uxores Mohammed. satis commode viuunt, nam illatam dotem propriam sibi seruant, et, cum male a maritis habentur, possunt et ipsae diuortium facere. *Circumcisionem pudendorum* p. 76. ff. negat quidem Cl. N. absolutae in Oriente necessitatis esse ad valetudinem tuendam, sed permagnae tamen utilitatis esse fatetur partim ad lotiones, quibus ibi quam maxime opus est, quod, qui raro lauantur, mox humores sub praeputio in ulcera colligi sentiunt (forte ἄνθρακας Philonis, cf. Mich. qu. 52.) partim ad concubitus facultatem; alterum exemplo Christianorum Orientalium qui circumcisi non erant, confirmatur, alterum ad commendandam Mohammed, munditiem facit et

egregie illustrat locum *Herodoti* notissimum II. 37. (non 34. ut est in not. p. 78.) *τα αἰδοια περιταμνονται καθαριοτητος εἱνεκεν,* quem nemo adhuc recte explicauit. Pueri interdum sine praeputio nascuntur, eamque rem animaduersam A. suspicatur circumcisioni occasionem dedisse. — In Aegypto tam Copti quam Mahommedani, Arabes Omanenses et Habbessini omnes, non item Judaei, etiam puellas circumcidunt, cum puritatis caussa, tum ne clitoris inter coitum attollatur, quod turpe foeminis habetur. *De castratione* p. 81. In Ar. viri non facile exsecantur, rarq equi; pecudum exsectarum carnibus vesci, Judaeis ibi religioni non est, licet ipsi non audeant partes genitales iis eximere. (De verbis arab. quibus ea res appellatur, deque sensu hebraicorum et arab. quae in SS litteris eam indicant, qu. Mich. 54. respondit Cl. Nieb. et Forskalius Praef. p. XXXVIII. XLV.)

P. 83. ff. Cl. A. incipit *de lingua arab.* aliisque rebus exponere, quae cum litterarum studiis magis sunt coniuncta. — Inter Arabas varias dialectos antiquitus usitatas fuisse, satis constat, et Mohammedis tempore dialectus Meccana alia a Jemenensi erat. Id genus sermonis, quo Coranus conscriptus est, religionis caussa nunc ab omnibus iudicatur praestantissimum, sed quod nunc in Ar. auditur, tantopere ubique ab illo differt, ut linguam Corani opus habeant in scholis, tanquam peregrinam addiscere; proxime tamen ad eam accedere fertur dialectus montanorum Arabum in confiniis Hegasae et Jemenae, magis differt, quae incolis Hegasae usitata est, propius et ipsum quam reliquae dialecti Arabum inprimis quae extra Ar. audiuntur, peregrinis linguis mixtae: ut si cum veteri lingua Latina Italiae sermonem qui secc. X. XI. XII. in usu fuit, cum hoc hodiernam Italorum linguam, tum Prouincialem, ut dicitur, Hispanicam, Lusitanicam, Francogallicam comparaueris; cuius rei intelligentia adiuuatur copioso catalogo verborum in Aegypto et Jemena idem declarantium sed admodum diuersorum, ex Forskalii aduersariis inserto p. 85. In reliquis terris, quae ab

ab Arabibus unquam occupatae sunt, etsi eorum lingua intelligitur, et adhibetur ab omnibus, supersunt tamen veterum et quasi indigenarum linguarum vestigia. In praefectura quidem Damascena villarum quarundam incolae *syriace* perpetuo loquuntur (Mich. qu 80.) in Mosulana Christiani nonnulli *Chaldaici* sermonis usum habent sed valde mutati et depravati, Graeci Anatolienses et Armeni suam linguam in sermone communi adhibent, in sacris utraque utuntur; arab. vero linguam omnes illae gentes suo litterarum charactere scribunt. At in Aegypto veterem linguam paucissimi callent, et quanquam inter sacra Christianorum Euangelia et preces coptice leguntur, sacerdotes tamen vix ipsi ea intelligunt; sed libros habent coptice scriptos haud paucos, in his etiam, qui antiquissimae linguae aegyptiacae, qualis Pharaonum tempore fuit (لسان فرعون) vestigia seruent, inprimis in monasteriis quibusdam, quae recensentur a Forskalio p. 89. not quo loco varia de Coptis atque etiam Catalogum Episcopatuum Copt. congessit. *De genere scripturae arab. antiquo et recentiori* p. 94. ff. Cum constet tria genera scripturae et litterarum distingui, *hamiaricum*, quo antiquissimi, *cuficum*, quo post tempora Mohammedis, et ex eo ortum recens hoc et *minutum*, quo nunc omnes utuntur: hamiaricae quidem scripturae vestigia nulla N. reperit, sed ex montanis regni Jemenensis partibus, ubi multas inscriptiones superesse audiuerat litteris ignotis et insolentibus, allatum titulum Mochae vidit, cuius litterae Persepolitanis admodum similes ipsi visae sunt; graui autem morbo depressus transscribi eum non curauit. *Cuficae* scripturae multa exempla supersunt in libris, titulis et nummis. In libris suis eo genere Arabes interdum utuntur ad inscriptiones, ut nos uncialibus, sed Kahirae in Aegypto inter libros scholae, cui nomen est Gamea el aschar seruatur integer Coranus his litteris in membrana exaratus isque antiquissimus, ex quo paginam integram decerptam ex Sur. 22. 23. in aes incidi curauit tab. IV. V. Inscriptiones varias exhibent tabb. VI. VII. VIII. de monu-

 men-

mentis ſepulcralibus, quarum, qui inter Arabes doctiores eſſent, partem aliquam aegre legebant, integras fere b. Reiskius explicauit Praef. p. XXVII. ſſ. Idem et nummorum titulos legere nos docuit, qui ſequuntur tab. X—XII. In his ſunt arabici, tum cuficis litteris, tum aliis, quae magis ad recentiorem formam accedunt inſcripti, numero XV, unus perſicus, et Parthici XV. Inter arabicos memorabiles ſunt qui in auerſa parte caput humanum aut integram formam hominis habent, quales figurae a Mohammedanis vulgo negantur in nummis exprimi, et unus n. 4. magis etiam memorandus, quod in aduerſo latere habet figuram Sancti cuiusdam in auerſo imaginem crucis, ſed in hac parte inſcriptionem. Mohammedanis ſolennem لا اله الا الله وحده محمد رسول الله, in altera nomen Caliphae cuiusdam ſed temporis iniuria deletum, cum nomine dignitatis امير المومنين. Tales nummi plures reperiuntur tempore expeditionum cruciatarum a Chriſtianis ſub imperio Saracenorum degentibus cuſi, eo conſilio, ut nec Chriſtiani, cum imagines religioſas viderent, nec Mohammedani, cum inſcriptionem legerent eos reprobarent. (Per hanc occaſionem A. p. 98. monet de *Dinario* et *Dirhemo*, antiquis Arabum nummis, illo ex auro, hoc ex argento, et de eorum pretio inter Ar. nunc quidem non conſtare docet, niſi quod unum Dinarium X. Dirhemi aequaſſe putentur, ipſe vero ſe ait neſcire utrum inter nummos ſuos Dinarius ſit nec ne; quod ſcripturus non erat V. Cl. ſi prius, quam haec typis exſcriberentur, licuiſſet ei cognoſcere explicationem nummi 2. a Reiskio traditam, quam exhibet Praef. p. XXIX. nam in eo diſerte legitur: — — ضرب هذا الدينار, Hic Dinar excuſus eſt — — Apparet autem ex diligentiſſima inueſtigatione pretii, hunc nummum aequiparari Impp. Danicis $4\frac{1}{2}$, adeoque plus quam 33. Dirhemis, ſiquidem verum eſt, 10. Dirhemas efficere quartam partem librae Angl. Sterl.)— Recentioris ſcripturae Arab. varia ſpecimina exhibet tab. XIII. variis nominibus. *Neſſich* dicitur quo Arabes et Turci libros conſcribunt, parum abhorrens ab litterarum forma

ci

inter nos uſitata, quod cum craſſius pingitur, ut in titulis librorum, *Dtült* vocatur, τῳ *Talik* Perſae utuntur; utrumque genus vocalibus punctis caret, habet diacritica; ſed ad celeritatem ſcribendi, ut in epiſtolis, adhibent aliud genus, *Rokai*, ſine punctis, contortum et complicatum miſerrime, ut legi, niſi a peritiſſimo, non poſſit.

De litterarum ſtudiis in A. haec fere ſunt quae A. tradidit p. 105. ff. — Etſi litterae non valde coluntur, ſuntque admodum pauci, quibus doctorum virorum nomen iure tribui poſſit, tamen non omnes Arabes rerum omnium plane ignari ſunt, ſed, in oppidis certe, plerique de plebe ſcribendi artem et litterarum elementa in ſcholis, quae apud templa (Mosqueas) et in foro (Suk,) habentur, (eas ſcholas مدرسة vocant, ut ſuas olim Judaei בתי־מדרש) didicerunt, et inter Nomadas eadem callent nonnulli; locupletiorum filii a praeceptoribus domeſticis, puellae a foeminis erudiuntur. In urbibus nonnullis maiores ſcholae aperiuntur iuuenibus, in quibus hiſtoriam religionis gentisque ſuae et Calipharum, ex Corano eiusque commentatoribus, quorum ingens numerus eſt, hauſtam, tum Aſtronomiam Philophiam Medicinam, pro temporum ratione et captu gentis addiſcant. — Sunt et in Ar. *poetae*, ſi diis placet atque *oratores*, et circumferuntur illorum carmina, ſed, ſi ex ſpecimine aliquo, quod A. p. 106. edidit, iudicanda ſunt, veterum poetarum ſpiritum non ſpirant. Sed plerumque fabulas illi ſcribunt, quas in tabernis recitent; ſcilicet noctu in urbibus maioribus Arabes frequentes conueniunt in tabernas et calidam ibi ſumunt, ceterum quieti ſedent audiuntque aliquem vel libros hiſtoircos praelegentem, vel declamantem praecipientemue de moribus, vel carmina ſua recitantem; (his enim artibus *Mullae*, i. e. litterati homines, inopiam leuant) ſimiles in hac re maioribus, in quorum conuentibus v. c. *Hariri* orationes ſic recitatae ſunt. — *Aſtronomiam* ſunt adhuc qui colant, maxime quidem propterea, quod in ea futurorum praedicendorum praeſidia contineri putantur, ex

qua arte multum pecuniae redit eam callentibus: sed colunt tamen, habentque sphaeras, astrolabia, quadrantes; nonnulli etiam tabulis *Vlug beghi* uti sciunt ad eclipses definiendas, et siderum catalogum habent ab *Abdrachmano es Sofi* confectum, et cum iisdem tabulis plane conuenientem (eum descriptum vide ab *Hydio* Praefat. Comm. in tabb. Vlughb.) Nonnulla sidera omnibus nota sunt, eorumque nomina, ut apud nos, vulgo audiuntur; atque hinc disci potest v. c. *Aldebaran* proprie vocari stellas α β γ δ ε Tauri, α Piscis australis dicendum esse *Füm el haut*, quaedam vero nomina male posita esse a *Bayero* in Vranometria: nam quod ille Spicae np et Coronae Berenices adscripsit *Hazimet*, debebat scribere *Hüsme* (fasciculum hoc significat) ita enim utramque Arabes appellant, illam quidem Hüsme el Hasal, hanc Hüsme aramaech. (Quae Jobi IX. 9. occurrunt hebr. siderum nomina, ignota quidem erant Arabibus, sed a Judaeis in Ar. *Nieburius* didicit, quod antea doctissimi quique interpretum suspicati erant, עש esse Ursum maiorem, arab. Asch, Nasch, Om el Nasch, Benat nasch, כימה Pleiades, ar. Torije, כסיל Sirium, ar. Sheil, Soheil, Suhhel (سهيل) Mich. qu. 86 — Ceterum hoc quidquid est vel artis vel scientiae, in usus vitae communis non conuertitur; neque enim fasti conficiuntur, temporisue descriptio ad motum solis et siderum in vulgus editur, (quod CStpli Mathematici aulae faciunt) unde fit ut in agendis festorum dierum solennibus saepe mira sit in variis locis varietas; neque horologia quisquam habet, sed sufficit iis, mediae diei et noctis tempora nosse et reliqua publicarum pecum tempora de coniectura indicare, ceteroquin horas diei non numerant. Hinc plerique omnes de plebe tempus ex motu siderum aliquo modo metiri sciunt; sed iidem si quid insuetum in coelo animaduertunt superstitiose stupent, et, cum eclipses lunae prudentiores non metuant, plebeii homines laboranti lunae quam a pisce ingenti vexari putant, magnis clamoribus et aenearum peluium crepitu succurrere student (cui superstitio-

nis

ni dediti olim erant etiam Italiae incolae, *Liu.* XXVI. 5. *Ouid.* Metam. VII. 207. *Plin.* H. N. II. 12. all.) — In annis dimetiendis inque numero et nominibus mensium antiqua illa et imperita ratio obtinet, sed doctiores alio modo menses distinguunt, qui a Juliana ratione non differt, aliisque nominibus insigniunt, quae cum Judaeorum nominibus conueniunt. En eorum catalogum:

Mensis تشرين اول, Judaeis תשרי, habet dies 31. et respondet Octobri nostro.

تشرين ثاني	(חשון)	30.	Nouembri
كانون اول	(כסלו)	31.	Decembri
كانون ثاني	(טבת)	31.	Ianuario
شبط	שבט	28 vel 29	Februario
اذار	אדר,	31	Martio
نيسان	ניסן	30	Aprili
ايار	איר	31	Maio
حزيران	(סיון)	30	Iunio
تموز	תמוז	31	Julio
اب	אב	31	Augusto
ايلول	אלול	30	Septembri

Com-

Commemorantur etiam arcanae artes Arabum, quas non licet exercere, nisi quis ab artis magistro eius rei veniam nactus sit. In his primum locum tenet *Ism Allah* quam volunt vi nominis diuini exercentibus familiaritatem cum daemonibus conciliare tantam, ut, quodcunque illi iusserint, daemones efficiant, nuncient. quae in dissitis locis fiant, tempestates excitent, aegrotos sanent etc. Eam exercere ne studiosissimis quidem probitatis religioni est; sed 2) *Simiam* qui colunt, contemnuntur a prudentioribus, quod eos norunt homines pecunia emungere per malas fraudes. Eius pars est quae docet praestigias facere, ignem comedere, vulnera infligere sine noxa, in quo genere statis temporibus integer ordo Deruisiorum Bagdadensium homines innumeros solet deludere; quod qui cupit cognoscere, copiose descriptum inueniet p. 123. Huc refertur et *Kurra* s. ars schedulas scribendi ad omne malorum genus depellendum idoneas, et *Ramle* s. vaticinatio ex nominibus hominum; utraque solet a miseris scribis et librariis exerceri. At qui operam dant ei quae 3) *Sihhr* appellatur, improbi et scelesti habentur; haec enim veneficia magicasque artes complectitur et maxime dicitur ab Omanensibus timeri. — — De statu medicinae et medicorum inter Arabes parum honorifice A. exponit. Cum in summa temperantia victus Arabes raro in morbos grauiores incidant, medicos non admodum curant, et si quando eos adhibere coguntur, honorem iis non libenter habent; itaque haec ars non admodum studiose discitur, et pauci sunt, qui ultra medicorum suorum Ibn Sinae, (Auicenna is est,) Teskeret Dauud, aliorum, Graecorumque libros et verba artis, sapiant. Sed vulgus Arabum ut apud nos homines tenues, ipsi remedia morborum tenent expedita ad comparandum, et ad medendum efficacia: multum etiam roboris et virium ab olei usu sibi accedere, inprimis in australi Ar. autumant, quo plerique caput, nonnulli corpus integrum inuncti, aduersus aestum solis muniuntur, licet in grauibus morbis nulla olei vis reperia-

riatur. (Mich. qv. 17.) — Morborum malorumque genera quae Cl. A. monitus ab Ill. Michaele et aliis obseruauit, haec fere sunt: *Odontalgia*, ar. وجع الضرس, inter Mohammedanos, qui a sumto quocunque cibo os eluunt, minus quam apud nos frequens, sed tamen accidit, interdum a vermibus denti innatis, quos fumo incensae herbae Kurrad (كراث) expelli aliquis dixit. (Mich. qv. 68.) — *Vena Medinensis* (Mich. qv. 50.) in Ar. Felici admodum frequens, Aerk, (عرق) Aerk el insil vocatur. Vermis est, fili linei crassitudine, ad duorum triumque pedum longitudinem crescens qui ex ouulis in aqua stagnante latentibus, ut putant, natus, non ante sentitur, quam per cutem incipit prorepere. Serpit admodum lente et nonnunquam post 20. aut 30. dies, vix integer exiit, et sine mora ille quidem, modo ne antequam exierit, abrumpatur, quod interdum mortem affert. *Cramerus*, medicus societatis paullo ante obitum V. vermes simul ex corpore vidit eminere, sed *Nieburius* ipse, fortasse quod curam semper adhibuit ut puram aquam biberet, ab hoc malo immunis fuit. — Vulnera a serpentibus inflicta num interdum prosint, (Mich. qv. 75.) non reperit, sed iis medicinam afferri vidit allio, conf. *de la Caille* Journal histor. p. 274. Serpentes etiam multas in tectis nauibusque vidit non venenatas. — *Leprae* tria genera ab ipso et Forskalio obseruata sunt 1) Bohak, quae est ipsa בהק Mosis Leu. XIII. cum maculae et pustulae albicantes, interdum et subrufae, primum in facie et collo, tum etiam in aliis partibus corporis apparent, quae tamen nec dolores afferunt, nec cum aliis contagio, nec cum liberis generatione communicantur, interdum sanantur sulphure, plerumque annuo aut bienni spatio ipsae per se euanescunt; 2) Barras vocatur (برص) cum totum corpus maculis albicantibus tegitur, quod genus per se non semper habetur periculosum, at cum in cuti maculosa pili albicant et decidunt, nullam medicinam admittit. Pessimum vero genus est quod Güddam,

dam, (جذام) Magürdam a vulgo, dicitur, cuiusque symptomata omnia conueniunt cum iis, quae Hillarius (vid. Mich. qu. 28.) in lepra Arabum et articulorum notauit. [Hoc genus ex opinione Judaeorum doctiorum in Arabia dicitur esse quod Moses descripsit Leu. XIII. 10. 11. ceterum ad totum hoc Caput illustrandum et verba melius intelligenda parum praesidii affertur. Nobis quidem tertium genus, ex Aethiopia forte allatum, inter Judaeos domesticum fuisse haud videtur, sed quaecunque Moses tradit, putamus pertinere ad secundum genus, quod cum modo periculo careat, modo lethum afferat, tanta cautione a Mose tractatum est, ut, quia malum vel a maculis inciperet obscurioribus, non nitentibus (בהרת Mosi; cf. Forskalii obs. p. 137. not. et Mich. qv. 28. n. 3.) vel a pustulis et tuberculis (שאת, cf. Mich. ib.), utrique symptomati accommodata praecepta scriberet, quorum ope discerneretur, utrum lepra immedicabilis hinc ventura esset, an sanabilis (v. 13. primum genus τῦ Barras) an mera Bohac v. 39?] Jam vero leprosi apud Persas et hic illic inter Arabas separantur a consuetudine hominum et in peculiares domos aut vicos urbium concluduntur, in quibus cum reliquis sociis malorum maneant, usque dum morbo liberati sint. — Pestilentia in Ar. Felici non solet dominari, in Aegypto et Syria indigenas magis, quam Christianos ex Europa aduenas, vexat, quod earum terrarum Turci minus sibi cauent a sordibus; sed morborum genera esse, quibus pestilentiae vis frangatur, nemo in illis terris cognitum habet. (Mich. qu. 76.) Postremum huius partis argumentum est *de naturalibus Ar. bonis ex triplici regno* p. 140. ff. Quod ad metalla attinet, aurum in Ar. Felice non reperitur, quamuis ea regio diues auri a veteribus habita sit, sed ex aliis terris satis magna eius vis aduehitur. Rursus cum summam ibi ferri inopiam esse Graeci scriptores tradunt, aliter res habet: nam in terra Jemenensi ex metallis ferrum foditur, sed non ea

co-

copia ut uniuerſae Arabiae ſufficiat; utuntur ergo peregrino ex Dania inuecto, quod et melius eſt, et viliori conſtat quam ipſum arabicum. In Omana plumbi metalla tantam copiam ſuppeditant, ut inde in alias terras nauibus deportetur. — Ex gemmis Jemena habet onychas (Plin. XXXVII. 7.) et alias rubro ſubnigreſcente colore, quas عقيق يمني vocant. Alias in Ar. naſci, A. non audiuit (Plinius tamen adamantes arab. commemorat XXXVII. 4. fortaſſe quod ex India per Arabiam aduehebantur); nec nomina earum habet lingua arab. ſed omnes gemmas communi nomine appellat ياقوت, et coloribus genera diſtinguit. Itaque nec nomina gemmarum apud Moſen norant Arabes; ſed tamen ex iis, quae *N.* cognouit, certius fit, quod ante ex Joſepho probabile cognoſcebatur, פטדה eſſe, qui topazius ab antiquis, a recentioribus Chryſolithus dicitur, colore inter flauum et viridem medio; nam زبرجد et أخضر quibus verbis Ar. interpres illud reddidit, utrumque gemmas eius coloris ſignificat.

4. De arboribus, fruticibus, herbis Ar. haec viſum eſt annotare: Thura nunc quoque fert Arabia, inprimis in partibus maritimis verſus ortum hibernum, ſed viliora, (البان ſeu لبان vocant, לבנה, olibanum) praeſtantiſſimum genus ex Habbeſſinia et India affertur. — Caffeae arbores, quae ex Habbeſſinia allatae dicuntur, in montibus Jemenae feliciſſime proueniunt. — Naſcitur in Jemena etiam balſamus Meccana (Abu-ſcham) ſed incolae ignari bonorum ſuorum balſamum Mecca et Medina arceſſunt. — Manna frequens in Oriente, in Diarbecria ex quercuum aliquo genere, in Perſia auſtrali, et, ut videtur, in deſerto Sinaitico ex fruticibus ſpinoſis prouenit certis menſibus, plerumque Iulio et Auguſto, eſtque triplex omnino. Quae mane ante ortum ſolis decutitur arboribus, praeſtantiſſima eſt omnium, albi coloris, et hic illic minutis rotundis micis, velut granu-

 lis,

ſis, conſtat, ut a Moſe deſcribitur; eam Tarangubin vel Tarangubil vocant. Cum ab aeſtu ſolis liquefacta et denuo indurata, veluti cortex, foliis inducta eſt, aut aquae calidae iniecta liquefit, enatat, colligitur, aut una cum foliis contuſa in uſum conuertitur, quae eſt omnium viliſſima. In Diarbecria, Moſulia, Curdia, manna pro ſacharo utuntur ad cibos, eaque, cum recens eſt, ſine alui relaxatione, ſaepe copioſe veſcuntur. — Arabes etſi vino non utuntur, vitem tamen ſtudioſe colunt, nam et vuas paſſas comedunt et merum concoquunt in mellis genus ſ. omphacomeli, quod ipſis Dübs dicitur (دبس). Frequens etiam eſt in Jemena vitis, cuius acini pro nucleo ſemen mollius habent, unde genus eſt optimum vuarum paſſarum, quod nomine Zebib in alias terras euehitur. — Ricini genus, quod Palmae Chriſti nomen habet, arab. الخروع, inprimis in Iraca et Arabia deſerta reperitur et in irriguo ſolo intra 4. aut 5. menſes ad 8. pedum altitudinem aſcendit; eius ex fructu oleum exprimunt. — Arak vel Erak, quo cameli delectantur, frutex baccifer, ab Indico Araco valde diuerſus, cuius fructus ar. Fauſel nominantur. — In Syria ex populis, abietibus, cedris, materiam aedificiorum ſumunt, ſed ex abietibus firmiſſimam; abietes ارز, cedros شربين vocant, et Maronitae Aers ſuam putant eſſe eandem ac ارز لبنان, ארז לבנון, nec genere has arbores, ſed magnitudine differre.

Ad fruges quod attinet, ſeritur et colitur triticum, frumentum Indicum ſ. Turcicum, (Mais maius) holcus ſ. Durra, (Mais minus) hordeum, piſa, ciceres, fabae, lentes etc. proueniuntque omnia feliciſſime, ſed pro ſoli et frumenti et agriculturae varietate variis modis. Triticum quidem in Aegypto, in terris ſyriacis et babyloniis et in orientali Arabia, plerumque decies, duodecies, aut quindecies, cum laetiſſime naſcitur vicies, raro tricies ſemina reddit, eodem-

demque modo hordeum vulgare; ſed circa Alexandriam confirmant tamen, quod veteres tradunt, 70. aut adeo 100. modios tritici ex ſingulis modiis ſeminis naſci, et cultiſſimi Jemenae montanae agri 50. modios ferunt. In babylonica regione genus eſt hordei nigrum, quod quinquageſima grana reddit. Sed omnium maxime augetur Durra, quae ſaltem 50. modios pro uno, ſaepe 100. reddit, et in Jemena, quia bis quotannis, interdum ter metitur, nonnunquam euenit, ut ad 300. vel 400. modios quotannis augeatur. Cl. *Nieburius* igitur veriſimile putat, ſi quando de incredibili agrorum in Oriente fertilitate apud antiquos mentio iniicitur, ut Geneſ. XXVI. 12. Herodot. I. 182. ea loca de hoc frumenti genere intelligenda eſſe. — Sed modus agri colendi in regionibus a *N.* peragratis valde diuerſus eſt. Cum in ceteris terris plerumque negligenter arentur, ſerantur, colanturque agri, in Arabia felici, etſi inſtrumenta ruſtica parum ſcite fabricata habent, magno tamen ſtudio opus ruſticum agunt. In Jemena montana agros in montibus arant vel fodiunt, aggere cingunt lapideo, ingeſta terra, et, cum natura aridi ſint, aquam iis ex fontibus inducunt, aut ex puteis hauſtam utribus (ظرف) immittunt, et ex uno in alterum deinceps deriuant, tum operoſe eos, ſed curioſe et utiliter conſerunt, ſic ut omnia fere grana terra tegantur, et minor ſeminis copia, quam apud noſtrates, ſufficiat; interdum adeo ſingula grana ſigillatim terrae mandant, aut progerminantem herbam ordine et ratione in agris plantant. Semina autem, quibus aliquid commixtum eſt alieni generis, non modo Arabes non ſecernunt in ſerendo, ſed ne Judaei quidem, ſi qui ſunt qui agros colant, licet his praeſcriptum ſit Leu. XIX. 19. Cum fruges maturuerunt (ſunt autem tempora maturitatis pro coeli et ſoli varietate varia, nam Durrae v. c. prima meſſis inter Septembris et Nouembris finem incidit, hordeum a Martio exeunte ad Maium medium hic illic metunt,) radicitus euelluntur, non ſecantur falce, ut virides herbae,

deinde triturantur, lapide per aream, in qua binae feries frugum aduerfis ariftis pofitae funt, a bouibus tracto.

Tandem ut de animalibus quaedam commemoremus, inter iumenta Arabes ii maxime qui in Deferta viuunt, maximi faciunt genus equorum quos Köchlanos vocant, adfpectu tenues et inuenuftos, fed velociffimos robuftiffimosque, quorum genus et velut profapiam a longiffimo retro tempore numerare fciunt; alterum genus, Kadifchorum, contemnitur. De afinorum duplici genere, minori altero et tardo, altero maiori et generofiori, de camelis, et bouibus, nihil admodum memorabile traditur, nifi quod carnibus bubalorum, qui in regionibus aquofis et paludofis, non in Ar. repetiuntur frequentes, omnis conditionis homines vefci folent. — Breuiter de feris nonnullis, *Schakal*, quod lupi, f. feri canis genus eft, Ar. Waui, Benat el waui, et *Hyaena*, utraque carnium humanarum cupida, de mure Aegyptio, feu *Jarbua*, de fimiis, auibus, pifcibus uniuerfe, copiofius de locuftis. Vidit A. in Aegypto et Arabia locuftarum ingentia agmina, quae illuc e Lybiae defertis, huc ex Aethiopia trans mare aduolarent; eae omnes arida et fiticulofa loca amant et cum pluuia copiofior cadit, abeunt: fed locorum naturam, adfuetae quippe arenis fuis, tam parum norunt, ut faepe in tecta aedium aut in mare incidant frequentes et pereant. Sunt autem locuftarum varia inter Ar. nomina, quae non formae in eodem genere poft varias mutationes varietatem, fed generis diuerfitatem indicant. In his, quae *Dübbe* vocatur (دبا), minor eft reliquis, et in orientalibus partibus Arabiae faepe terris abfcondita tres quatuorue annos deinceps manet; eo genere non vefcuntur Arabes, fed ex reliquis inprimis amant, quas *Mukken* vocant, (جراد مكن), nam Gerad commune nomen eft omnibus locuftis) eas vel aqua coctas conditasque fale, vel in carbonibus toftas edunt, vel in furno ficcatas ad futuros ufus feruant. Omnes autem locuftae inimiciffimas fibi habent Seleucidas aues,

ut

at Plinius vocat X. 27. quae *Samarmar* arab. dicuntur, nigro colore, pafferis magnitudinem paullo fuperantes, ex Chorafania, Perfici regni prouincia, aduenas, quae innumeram horum animalium multitudinem quotidie vorare, conficere faltem, feruntur. — His addidit nonnulla de animalibus, de quibus Cl. Michaelis interrogauerat. Effe in Ar. Sumanam et Saluam aues, (qu. 5.); cerni etiam pifces volantes in Sinu Arabico (qu. 4.); fed ferpentes volantes (qu. 83.) nusquam vifas effe; fi qui tamen inter veteres tales commemorent, id videri intelligendum de iis, quae cauda ad ramos arborum applicatae contortum corpus magno impetu in aliam arborem coniiciant, unde falientes potius quam volantes dicendae fint. De תחש (qv. 8. 37.) nihil certi A. cognouit, nifi quod Perfae nonnulli delphinum تخس vocant. Animalia immunda a Mohammedanis habentur efuque illicita (qu. 95.) quaecunque carnium humanarum appetentia funt, tum quae ab aliis animalibus laniata aut admorfa, aut quae fuffocata alioue modo necata fuerint ita, ut fanguinem non funderent; fed funt etiam genera quaedam animalium quorum carnes plane non comedunt, eaque fingula ab A. Cl. commemorantur.

Haec fere funt, quae in priori huius libri parte memoratu prae ceteris digna nobis videbantur. In quibus, fi qui forte fint qui mirentur, haud adeo multa effe quae plane noua fint, nonnulla etiam, quae non fatis diligenter enarrata videantur, aut fi qui doleant, non omnia, quae animaduerti et narrari potuerint, a Cl. Nieburio enarrata effe, tum ex iis, quae viri docti maxime voluerant inueftigari, pauca fic conftituta dicant, ut in eorum cognitione iam tuto poffit acquiefci, fi qui denique omnis huius itineris euentum confilio et voluntati Regis non fatis querantur refpondiffe: hos iubemus recordari, primum non hoc mandatum fuiffe Cl. Auctori, ut omnia obferuaret et fcriberet promifcue, fed ut

fitum

situm et loca Arabiae, quam peragrasset, nobis demonstraret, neque expleuisse solum hoc officium, sed multis modis superasse; deinde, fieri non potuisse, ut ab uno ea agerentur omnia quae ipsi illi viri docti, quos suasores itineris exstitisse diximus, dubitauerant fore, ut a quatuor viris perficerentur; eosdemque volumus scire, nondum omnem enarrationem eorum, quae A. in Arabia vidit audiuitque, hoc uno libro absolui, sed partim totius itineris descriptionem, (cuius priorem tomum iam editum mox indicabimus, alterum cupide exspectamus,) plura nobis suppeditaturam, quae in hunc librum coniici commode non poterant, partim spem esse, fore, ut dispersae per schedulas reliquorum sociorum itineris animaduersiones, maxime Forskalianae rerum naturalium descriptiones collectae et in ordinem digestae posthaec separatim edantur. Quidquid autem sit, mirari nobiscum et colere omnes decet diligentiam insignem et fidem Cl. Auctoris certissimam, qui in narratione sua non modo semper accurate distinguit, quae ipse viderat, animaduerterat, et quae ab aliis acceperat, sed etiam auctores commemorare solet, ex quibus ea cognouit, eorumque vel fidem vel scientiam ipse sic aestimat, ut quale cuique narrationi pretium statuendum sit, facillime possit dignosci. Ceterum in his tantis libri bonis, fatemur tamen et ipsi, priorem eius partem exspectationi nostrae, quam de hoc itinere conceperamus, non omnino satisfecisse, cuius rei caussae a nobis dictae sunt: sed tanto maiorem laudem alteri parti, quae, quod geographica continet, proprie ad Cl. A. pertinebat, tribuendam censemus, propterea quod uniuersae Arabiae geographiae, umbris adhuc et tenebris tectae, plurimum inde lucis accessit. Verum ne diutius lectores, legendo iam satis defessos, teneamus, huius partis argumentum proxime enarrabimus.

AL.

ALGEMEINE THEORIE DER SCHOE-nen Künste,

i. e.

UNIVERSALIS CONTEMPLATIO AC DELI-neatio artium elegantiorum, in articulos ex ordine litterarum verba artis indicantium descripta, a JOANNE GEORGIO SULZERO, Regiae Societatis Scientiarum Berolinensis Socio etc. PARS ALTERA. K—Z.

Lipsiae 1774. Apud M. G. Weidmani heredes et Reichium. in 4.

Quas prior huius descriptionis artium pars, peritiorum tulit laudes, omnibus enim ut probaretur, nec ipse Sulzerus efficere voluit, vel potuit, quippe qui, haud ex aliorum cupidorum inprimis hominum sententiis pendere, sed veritatem ducem sequi solitus, in praefatione huic parti praemissa, ne refutandos quidem existimauit eos, qui vel temere, vel sinistre, de priori parte iudicassent: eandem commendationem et hanc alteram partem habituram esse, non est quod dubitandum existimemus, cum et Cel. auctor lectoribus persuasum hoc cupiat, et res ipsa ostendat, nihil scriptum esse sine diligenti cura, et accurata rerum contemplatione, et earum inprimis artium ratio sit habita, quae oculos auresque sua pulcritudine ac suauitate alliciunt, veluti ars est pingendi, fidibus canendi; quibus corporis vitaeque commodis consulitur, veluti architectonica; quaeque non tam oculorum, aurium, manuumque operas desiderant, quam potius mentem acuunt, animum oblectant a vitiis auocant, ad virtutem incendunt, veluti poesis atque eloquentia. Musicae inprimis artis peritis, ac studiosis, gratissima erit in permultis vocibus artis explicandis illustrandisque a cel. Sulzero adhibita opera; nec forsan quisquam erit, qui non laudandum putet eius ipsius consilium, peritos probatosque artis Musicae magistros, *Kirnbergerum* Berolinensem, *Schulzium* Luneburgensem, consulendi, cum quisque de ea re arteque, quam profitetur, et quacum antiquam contraxit familiarita-

 tem,

tem, melius atque facilius aliis differere posse existimetur. Inter alias vero huius libri dotes atque virtutes haec prae ceteris se commendare videtur, quod voces artis, *terminos technicos* vocant, explicantur non huic modo illiue arti propriae, sed multis artibus communes, ita tamen, ut in quauis arte aliam vim, alium usum habeant: quo referenda sunt ea, quae de *frigid.* ratione poetae et oratoris, respectu artificum differuntur, quibus vis et ratio *perspicuitatis* ostenditur. Hoc numero sunt disputationes de *minuciis*, de *vi aesthetica*, de *audaci*; de *artibus*, de *artificioso*, de *ridiculo*, de *viuis rerum imaginibus* (*Lebendiger Ausdruck*,) de *praeceptis* (*lehrende Red*,) de *facili*, de *affectibus*, de *amore*, de *negligentia*, de *nouo*, ut alia taceamus, quae legisse neminem poenitebit, cuiuscunque sit artis peritus, cum musici modo voces musicae arti proprias curent, pictores architectique modo ea lectu digna existiment, quae in arte pingendi aedificandiue aliquid momenti habeant, et vocabula artis, quae uni arti sunt propria, in iis libris iam enucleata reperiantur, qui data opera de hac vel illa arte sunt scripti. Ut exemplo res illustretur, quid intelligatur per *scalam*, quae sit *diuisio, ratio* et *compositio sonorum*, qua ratione discantur *signa musica*, quod *Solfeggiren* et *Solmisiren* vocant, et similia, artis musicae periti petant ex iis qui initia artis canendi continent; quamuis non negemus, multa a Cel. Sulzero adferri, quae in aliis libris de arte musica scriptis frustra quaerantur. De *recitatione* verbi caussa quam Musici *recitatiu* vocant, sic agitur, ut primo definiatur et a cantu et declamatione distinguatur; dein qua ratione poetae versandum sit in recitatione elaboranda doceatur; denique quindecim praecepta tradantur Musurgis obseruanda, eaque exemplis multis, et obseruationibus criticis ex interiori arte petitis, illustrentur. A recitationibus iubet abesse Cel. Sulzerus rhythmum melodicum, sonum principem, et modulationem semper sibi similem, ornamenta denique atque figuras (*Manieren, melismatische Verzierungen*,) modulationis. Eleuatio vel fractio vocis affectui modo vehementiori, modo leniori, ut sit conue-

niens, et harmonia accurate respondeat argumento textus, praecipitur; ut alia non commemoremus, quae artis musicae peritus legat, atque si placet comparet cum iis, quae de eodem argumento disputantur a Scheibio, Musico haud ignobili, in commentatione quae inserta reperitur XI. et XIImae parti Bibliothecae artium pulcrarum. Ea quae de figuris rhetoricis, Metalepsi, Metaphora, eius vi aesthetica, eius vitiis ab Aristotele notatis, de metonymiae variis generibus, quae de vita et carminibus Pindari, de scriptoribus comicis, Plauto atque Terentio, ut alia non commemoremus, in hoc Volumine accurate atque perspicue traduntur, ita comparata sunt, ut forsan non desiderarentur, cum hoc praeclarum opus non modo iis, qui in graecis latinisque scriptoribus explicandis illustrandisque versantur, sed eorum quoque usui inprimis destinatum esse videatur, qui, vel cum manuum agilitate ac facilitate, ingenii quoque acumen atque solertiam coniungunt; vel sensum quendam boni pulcri affectantes, eo consilio eius generis libros legunt, ut ipsi sapere, et de quavis arte acute iudicare posse existimentur. At a quo, et quo consilio haec artium contemplatio legatur, nihil refert: cum non negari possit, lectione huius libri acui ingenium, alique vim iudicandi. Cuius rei fidem facient ea, quae Cel. Sulzerus de *peritis artium*, ab *amicis artium*, et ab ipsis *artificibus* discernendis disseruit sub voce *Kenner*, ostendens, quisnam aptus atque idoneus censor operum artis ingenii manuumque, existimari queat, docensque, non modo spectandum esse num opus ingenii praeceptis artis exacte conueniat, sed et quid efficiat in animo peritorum, vel placens, vel displicens, considerandum. At quoniam ipsum opus totum in contemplanda pulcritudine ac venustate artium versatur, age breuiter, quid de his ipsis artibus in genere dictum sit videamus. Ipsa natura artium in coniunctione iucunditatis atque utilitatis, atque in expoliendis iis rebus cernitur, quarum usum necessitas homines docuit. Pastor, qui primus baculum ac poculum suum figuris exornauit, artem statuarii reperisse; et agrestis, qui felicitate ingenii curaret, ut casae li-

gneae vel stramineae non deesset partium singularum ratio ac proportio, princeps architectus fuisse videtur. Ingenium humanum imitatur naturam diuinam, quae in creando hoc uniuerso id potissimum spectauit, ut oculi, omnesque sensus oblectarentur, et homines innata pulcritudine rerum honestarum atque utilium, ad eas eligendas sequendasque allicerentur, et insita deformitate rerum turpium atque noxiarum, ab earum amore curaque absterrerentur. Qua ratione oratio formam carminis, et iter hominis formam saltationis induit? Quando descriptio meretur nomen picturae, sonus instrumenti nomen Musices? et quando aedes referuntur inter architecturae opera? Si opera artificis istas res expolire studet, et sensus quadam suauitate afficit. At hac pulcritudine, qua artes elegantiores animo hominum blandiuntur, non sensus modo titillant, sed mentem animumque virtutis amore incendunt, ad honestatis studium incitant, admiratione rerum salutem publicam cum adiuuantium, tum augentium, abripiunt, hisque de causis merentur attentionem diligentiamque sapientum, et curam atque tutelam Principum. Isto autem pulcritudinis sensu non modo fugatur sensim stupiditas, atque barbaries, sed etiam felicitati cum publicae, tum priuatae, optime consulitur, quae continetur sapientia legum, et ciuium studio legibus satisfaciendi, quod studium excitatur atque fouetur sapienti usu artium elegantiorum. Nulli igitur artifici liceat suam exercere artem, nisi praeter documenta artis, sapientiae quoque atque virtutis ediderit, atque summa sit magistratus cura, ut cum publica monumenta et aedificia, et quaeuis artificum opera, publici et priuati ritus, usu atque influxu artium pulchrarum vim habeant animos ciuium sapientiae probitatisque amore studioque imbuendi, tum etiam lingua sermoque ciuium, procul absit a barbarie, et ita expoliatur, ut apta sit atque idonea ad sententiam mentis acute animique probi exprimendam.

Inuentionem artium Graeci sibi vindicarunt: sed instinctus hominum atque cupiditas innata, res

quae

quae in sensus nostros incurrunt gratia atque pulcritudine quadam exornandi, effecit, ut nulla gens sit fueritque, quae Musicam, saltationem, eloquentiam, poesin, plane ignorasse putetur: Chaldaei tamen atque Aegypti, ut et Etrusci, primi fuisse videntur qui artes studiosius excolerent. Graeciam proprie sic dictam, artes, per colonos Joniam atque Italiam deductos, accepisse, Joniam vero a finitimis Chaldaeis, et Graeciam magnam ab Etruscis, maxime probabile est. Romani magis opum augendarum, et tyrannidis exercendae, quam ingenii colendi cum studiosi esse viderentur, Musae haud Romam vocatae, sed ibi potius hospitio exceptae, vix antiquum honorem venustatemque tueri potuerunt, ita ut ad seculi decimi sexti initium in officinis artificum latere iuberentur, ac si non essent magistrae morum, atque felicitatis publicae. Hanc diuinam vim artium pulcrarum nec nostrae aetatis homines satis agnoscere videntur, cum vix alium earum velint esse usum, quam ut pompae, luxuriae, prodigalitati inseruiant, et propterea artifex personam hominis agere cogitur, qui principes ciuesque oblectet, et ditioribus atque ignauis hominibus tempus fallat. Natura, usu, pretio, satisque artium descriptis, Sulzerus, animi humani indagator felicissimus, soluit quaestionem propositam, qua ratione quis per sensus aurium oculorumque ita affici possit, ut mens animusque emendentur, impellaturque, ut suo officio prompte satisfaciendum putet? cuius quaestionis soluendae rationem si quis cognoscere velit, ipsum Sulzeri librum consulat quia iam diutius, quam pro patientia lectorum, uni loco immorati sumus, nec multa alia plane intacta relinquere velimus. Tribus hinc modo verbis, et veluti alia agentes, quae a doctis hominibus et peritis artium legantur digna, nobis quidem videri monemus ea, quae disseruntur de affectibus mouendis, sedandisque; quid huius rei respectu artifici sciendum agendumque sit, quomodo natura, vis, et effectus cuiusuis vehementioris animi motus, sculpendo, pingendo, canendo, oratione denique et carminibus, commode ac viuis coloribus exprimi possit. Nec minus attentius legi merentur, quae Cel. Sulzerus de canticis scripsit, eorum dis-

crimine ab Odis, eorum argumento, cum poeta vel exprimat laetitiae, gaudii, amoris, grati animi ſenſus, vel recitet ea, quae poſſint in ſuo vel aliorum animis ſenſum quendam mouere ac excitare, vel doceat tradatque placita, quae vim habeant in animum humanum, de ſtylo canticorum, de eorum uſu in ſacris, in negotiis publicis et priuatis, veluti ad excitandam fortitudinem, omniumque virtutum ſtudium mouendum, alendum. Recte iudicatur, cantica, quae doctrinam aliquam contineant, non eſſe reiicienda, quamuis non probentur poetae celebri Klopſtokio, cum et memoriae inſeruiant, et facilius in animum influant, cumque ſuauius afficiant. Poetaſtri noſtrae aetatis, quorum non exiguus eſt numerus, ſibi dicta putent, quae Cel. Sulzerus monet recte ſapienterque, ſcilicet difficile eſſe cantica ſcribere iocoſa ac ludicra, quae laudem ſapientum prudentumque mereantur. Multi enim huius generis poetae nil niſi pueriles nugas protulerunt, alii ſibi notam luxurioſi libidinoſique vitae generis inuſſerunt, cum hominis perſona dignam hilaritatem excitare vellent. Carmina ſi iſti velint ſcribere digna legi, ducem ſequantur Hagedornium, qui, hilaritate qua ratione utendum non abutendum ſit, canticis iocoſis praeclare oſtendit. Quae Muſurgus in canticis cantui accommodandis ſpectare debeat, quamuis haud vulgaria ſint praecepta Sulzeri, ea tamen hoc loco laudare nolumus, cum nobis perſuaſum ſit, Muſicos, qui artem ſuam non ut ſellulariam exercent, nec voce modo digitisque, ſed et ingenio utuntur, ipſum librum ſibi comparaturos, diligenterque lecturos eſſe. Hac ipſa de cauſa non commemoramus ea quae de architecto obſeruandis, ſub vocibus *Kaempfer*, vel in muro eminente lapide, vel ligno, cui quid innititur *Karnies* Coronik, *Kehlleiſte* ſubſcudis ſpecies, *Kirche* templum, *Knauf* faſtigium columnae, *Kragſtein* lapis fulciens, *Kranz* coronis, *Krinnen* plicae columnarum, *Manſorde* tectum fractum, *Ochſenaugen* paruae feneſtrae, *Palaſt* palatium, multisque aliis differit doctiſſimus Autor; nec ea, quae ad artem aeri incidendi ſculpendique pertinent, cuius artis origo, fata, atque pretium deſcribitur, quae ſculptoribus, pictoribus ſunt communia veluti, *lux et umbra*, his pro-

pria

ſta, e g. ſub vocibus *Luft*, et *Luftperſpectiv*, *Mezzatinta* coloris ſpecie, *Oelfarben* coloribus ex oleo paratis, Pictores ipſi legant, quae de hac praeſtantiſſima arte ſub voce *Mahlerkunſt* commemorantur. At verendum profecto videtur, ne patientia lectorum abuti, aut illorum cupiditati ipſius Operis, nomine Sulzeri digniſſimi diffidere putemur, ea modo paucis addere liceat, quae pluribus exponuntur de *arte theatrali*, quae multos contemtores, ſed multo plures amatores quouis fere tempore inuenit. Quod nec mirandum, cum homines nec ſemper negotiis ſeriisque rebus vacare poſſint, nec in otio ac ſolitudine ſegnes, ſtupidi, moroſi viuere velint, commodam atque utilem tempus fallendi rationem deſiderare videantur, quae non arbitrio lucri cupidorum, inſipientum, et abiectorum hominum relinquenda, ſed legibus ita coercenda eſt, ut ciues aſſidui atque laborioſi habeant aliquid quo corpus animusque labore confecti recreentur, oculi auresque voluptatem capiant, quae virtuti animoque haud noceat. His praemiſſis, facile intelligitur, ludos ſcenicos haud plane contemnendos eſſe, cum maximam vim habeant in animum vacuum, videndo audiendoque res mirandas incognitasque, percipiendi cupidum, quum effuſa multitudo ſpectatorum, ornamenta theatri, veſtitus, vultus, ipſa denique vox perſonarum ſcenicarum, ipſa diei feſtiuitas, ita afficiant animum, ut dicta factaque hominum, quos virtutis ſtudioſos, vel vitio inquinatos videas, audias, diutius memoriae inhaereant, altasque in animo agant radices. Quum vero haud poſſit negari, eam eſſe ludorum ſcenicorum rationem, ut iis facile multi poſſint abuti, imo abutantur: neceſſarium eſſe videtur, ut magiſtratus curam ludorum ſuſcipiat, caueatque legibus. ne in theatris ea ſpectanda exponantur, quae obſint honeſtati atque virtuti, vitiorum latentes ſcintillas excitent, ſed quae potius vim habeant ad animum mouendum, impellendumque ad quaeuis honeſta et praeclara, ut officio ſatisfaciant ciues, et recreati otio iucundo et utili, negotia moleſta facilius ſubeant. Prudentes, et ſalutis publicae ſtudioſi amanteſque viri, ſi vel nullis praemiis adducti, iuſſu Principis, patriae amore commoti, leges

theatrales custodiant, haud verendum esse videtur, ne respublica quid detrimenti inde capiat. Nullum drama dignum theatro denique iudicetur, nisi peritorum proborumque virorum probetur iudicio, et comoediarum tragoediarumque scriptores praemiis excitati, de laude non plebis, sed prudentum censorum solliciti, omnem, haud dubitandum est, quin daturi sint operam, ut fabulis cum prosint, tum oblectent. Quidquid in scena proponitur, perspicuum necesse est ut sit, et tale, quod a multitudine capiatur. Perspicuitati vero hoc accedat, ut argumentum non sit paucis hominibus alicuius ordinis et conditionis proprium, sed ita comparatum, ut rationibus multitudinis sit commune, et sensibus quoque mouendis, excitandisque rerum imaginibus claris, aptum atque idoneum. Theatrum est locus, quo tempus suauiter fallitur, non vero schola virtutum; ne tamen virtuti damnum inferat cauendum, semperque seruanda lex esse videtur, quam dedit Horatius, *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Hac vero in re multa prudentia, cognitione exacta animi humani, longa experientia, opus esse, quis est qui non sentiat? Tria vero commode ludorum scenicorum genera constitui posse videntur, quorum primum nihil aliud spectat, quam ut tempus suaui et utili ratione fallatur, alterius consilium est, ut animus humanus erudiatur, et virtutum exemplis conformetur; tertium vero solennitati alicuius festi proprium addicitur, de quibus singulis in sequentibus fusius disputatur. Optat Cel. Sulzerus, ut quis reperiatur, qui historiam theatralem veteris et recentioris aetatis conscribat: sed iure quoque huic voto atque consilio quem satisfacturum esse dubitare videtur. At patronus quoque haud imperitus causam eorum egit, qui in scenam prodire solent, et propterea contemtui multorum sunt expositi, cum personis comicis opus sit multis virtutibus, optime descriptis in libro qui Londini 1750. 8vo. prodiit, *The Actor*, et eius generis homines, qui cum voce, tum vultu probentur, non fiant, sed nascantur. Quod formandae vocis ratio non sit leuis res momenti, intelligitur ex Cicerone de Orat. libr. I. c. 5. *quum omnes histriones in oris et vocis et motus mo-*

ae-

deratione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos aequo animo spectare possimus. Nihil dicamus de actione, quae iubet inter alia, ut auctor eo sit ipse animo affectus, quem spectatoribus inesse cupit. Dignum hinc est quod commemoretur exemplum *Poli*, qui in theatro partes ageret Electrae, mortem fratris lugentis, eiusque cineres in urna circumferentis, de quo Gellius N. A. libr. VII. c. 5. *Polus lugubri habitu Electrae indutus, urnam e sepulcro tulit filii, et quasi Orestis amplexus, impleuit omnia non simulacris, neque incitamenti, sed luctu atque lamentis veris.* Uniuersae disputationis de spectaculis finem faciamus, verbis Donati in in Virg. Aen. l. V. v. 24. haec obseruantis. *Non edicuntur mimi, qui solis inhonestis et adulteris placent: per illos enim discitur, quoemadmodum illicita fiant, et facta noscantur. Non edicuntur saltationes fluxae, in quibus saltator ille est melior, qui perditorum iudicio membrorum virilium robur in saltationem verterit. Non edicitur finis futura temeritas, cuius angustum iter, at pendulum in periculum magis, quam salutis securitatem, deuexum est. Omittit haec vir fortis et grauis, nihil eum iuuat illorumquae scitis illis exhiberi, quibus possunt placere cum fiant.*

Si forsan diutius in argumento huius libri laudando quibusdam versati esse videamur, id nullo alio fecisse putemur consilio, quam ut quamplurimi ad ipsum Opus euoluendum alliciantur, videantque, quid acutissimus Sulzerus de hac vel illa artium elegantiorum parte speciene senserit aciudicarit; quum ista iudicia sententiaeque, ex ingenio multorum annorum diligentia, librorumque et veterum et recentionem inprimis, Anglicorum Gallicorumque librorum lectione, subacto, perfectos facile appareat, etsi praeuideamus fore, ut non omnia omnibus probentur, cum sua quiuis sentiendi libertate fruatur, inprimis in iis rebus, quae oculorum potissimum auriumque iudicio niti videntur. Laetamur de hoc opere egregio amploque, ad finem perducto, nihilque magis optamus, quam ut Celeb. Sulzerus laudibus elegantioris doctrinae studio partis fruatur, et de cruda vegetaque senectute laetetur.

 JOH.

JOH. DAVID. HAHNII ORATIO DE USU VENENORUM IN MEDICINA.

Traiecti ad Rhenum ex offic. Abrah. van Paddenburg. 1773. 4to, plagg. 16.

Seculum quod viuimus, ob singulare in venenorum virtute medica exploranda studium, toxicophilum, adsentiente quoque Cl. Auctore, dicendum, eo in primis eundem deduxisse videtur, ut suam de usu venenorum medico mentem exponeret oratione publica, dum magistratu academico abiret, cui ea inest eruditionis supellex et elegantia, ut totius perlegendae desiderium auidissime excitet. Quod vero duo potissimum venenorum genera constituit, unum, ut vocat, corporale, alterum corporis expers, utrumque eadem pertractat ἀκρίβεια et facundia. Prioris generis, etsi numerus ingens est, quatuor species et formas facit: alia nempe volatilia, spiritu attracta, ad caput et pulmones; alia, per poros resorpta, ad interiora; alia cum alinentis ad stomachum; alia tandem, in venas immissa, ad sanguinem deferuntur, et nocent. Posterius genus corporis expers adpellat, quod a mente perturbata proficiscitur, cuius pathemata aut velocissime, venenorum modo, agunt, aut lente, ut ira et metus, quorum affectuum animi mutationes, etiam in corpore productas, aedo graphice depingit, ut eas te coram intueri arbitreris; qui tamen, si moderati fuerint, non raro corporis integritatem iuuent, vehementiori vero actione toxica euadant. Est enim incredibilis in morbis animo commoto medendi facultas, qua sola agitatione non raro pertinaces morborum caussae e corpore excutiuntur, tum illae quae cerebrum, ut in desipientibus, occupant, tum aliae, quae huic visceri non insident, qua scilicet arte usu periti tanquam arcano utuntur, ubi alia opis ferendae via non patet. Refert huc Cl. Auctor consilium Celsi, qui hominem comitiali morbo laborantem, calidum iubet gladiatoris iugulati sanguinem bibere; hoc etiam consilio olim sacerdotes, utpote medici, aegros in fanis incubantes per ceremonias sacro religionis affectu implebant, Marsi et Psylli venenis medendi facultatem superstitione fulciebant, alii arcana, sympatheticas curationes, et talia iactabant.

Sunt

Sunt autem prioris generis venena, quae vulgo hoc nomine distinguuntur, eadem, quorum inter veteres utique frequentior quam penes nos usus erat. Etenim illi occasione non destituebantur, in hominibus, aeque ac in bestiis effectus eorum videndi: inde opinio nata est, valentiores illas res moderato usu praestantiores esse futuras, inde quoque magna medicaminum cohors ad materiam medicam transiit, cicuta inter alia, mandragora, solanum, eiusque variae species, psyllium denique atque hyoscyamus, et aconitum. Sic autem perniciosissimae res olim in usum medicinae tractae sunt, non apud Graecos solum et Romanos, sed apud Arabes quoque, quibus tamen laus prudentioris usus debetur. Veneficiorum deinde frequentia effecit, ut maxima antidotis inueniendis diligentia adhiberetur, quum toxica se inuicem destruere, et suscepta ab homine venena aliis venenis felicissime vinci crederetur. Disquirit itaque Cl. Auctor erudite, varia illa antidotorum genera, veteribus usitata, atque simul curatius opinionem, qua contraria contrariis tolli adseritur, perpendit, nec non chemicorum sententiam, quae mixtionis efficacia duo venena in salutare medicamentum coalescere posse adstruit, egregie diiudicat, superstructam scilicet lepidae fabulae, otiosam esse naturam, conflictum venenorum intra corpus tranquille spectantem. Inter hos Basilium Valentinum, ante Paracelsum, stibium commendantem; ipsum Paracelsum, mercurium omnibus morbis opponentem, Helmontiumque potissimum excitat, tanquam viros, venenis magnam adscribentes praestantiam. Praeter chemicos deinde alii, de materia medica post Arabes Scriptores adducuntur, inter quos Petrus de Crescentiis eminet, qui iam seculo decimo quarto venenatas plantas adhibitas fuisse monstrat; torpore vero et barbarie, seculo decimo quinto regnante, inconsulta natura stirpes quaedam virulentae usurpabantur. Sub huius autem seculi exitum, excussa ignauia, et reuiuiscentibus litteris, natura studiosius peruestigata, botanica doctrina venenatarum plantarum nomina antiqua plantis adfinxit, virtute tali non instructis, sequenti demum seculo, cura Bockii s. Tragi et Cordi emendata. Post hunc Gesneri summopere laudanda sunt illustria de re

 her-

herbaria merita, quippe qui de venenis, temerarius quandoque, pericula sumens, grauissimos et incurabiles, tanquam hercules medicus morbos sustulit. Renatae etiam in Italia artes veneficae, antidotorum cognitionem necessariam reddiderunt, virtute eorum a principibus potissimum viris, quibus venena timenda sunt magis ac plebi, experimentis comprobata, quibus nimirum variorum corporum vis antitoxica confirmaretur. Seculum deinde nostrum antecedens abundabat viris, priscae doctrinae de venenorum praestantia addictis; tentamina iterum cum venenis in brutis instituta sunt, et historia eorum egregie illustrata, per Wepfferum praecipue. Porro hoc seculo exeunte, opinio de vermibus, multorum morborum et omnino exanthematicorum caussis, audaciam addidit usui venenorum, quibus pellantur et enecentur insecta, uti pluribus illustratur adductis exemplis, quibus simul, audaciam priorum temporum, ambitiosa nostri aeui sedulitate superari docetur. Sleuoigtus enim, arsenicum in variis morbis adhibere suadet, ita ut cortici Peruuiano anteferendum esse audacissime asseueraretur; quem imitatus Friccius, omnium venenorum, interne sumendorum, patrocinium suscepit, solum variolarum virus aggredi non ausus. Inanem tamen hunc metum excussit Timonius, variolarum facta inoculatione, quam Britanni primum, deinde alii adoptarunt liberrime, quaue mansuetiores illae redduntur. Idem hinc tentatum est cum morbillis, lue pecorum, immo, qui excellenter de venenis exposuit, Steph. Weszprémi Vir doct. pestis hominibus inoculandae consilium cepit, scabiei vero insitionem ad stuporem curandum suasit Muzelius. Nostra tandem aetas suspectas herbas et virulentas alias res in usum protraxit copiosiorem, quarum magna est celebratio, quae simul, ut ignorantes impauidi eas adhibent, multorum malorum caussa est, siquidem hoc sit irridere, non consulere humano generi. Judicat itaque cel. Auctor, serio potius inquirendum esse, num ars medica venenis carere queat? eaque his destitata infirmior fit, quam iisdem affluens? Cum vero venenis magna utique insit agendi facultas, iis carere medicus in facienda medicina omnino nequit; familiaris tamen eorum administratio vehementer auctori dis-

pli-

ſplicet, non ſuſcipienda vel concedenda medico, donec diffi-cilem *recte periculandi artem* didicerit. Naturam ſequi opus eſt, et vires homini inditas, metiri has ſtimulo quandoque, etiam non vulgari, excitare, hinc venena exhibere; ſed uſus ille ſcrupulorum, ſuſpicionum, et diſcriminis plenus eſt, qui praeterea variis adhuc caute obſeruandis momentis limitatur, quae, num tyro, et in morborum diſquiſitione nondum exercitatus, rite valeat diiudicare, penes aequos iudices ſit arbitrium. Igitur omnibus genuini medici dotibus inſtructiſſimus concludit Auctor: Satius eſſe venenis omnino abſtinere, quam frequenter iis et promiſcue uti.

M. JO. CHRIST. GOTTLEBER, ILL. AFRANEI Rectoris, Animaduerſionum Hiſtorico - criticarum ad Philonis Legationem Continuatio.

Quod nomen nuper, promittendis animaduerſionibus hiſtoricis ad Legationem Philonis, proxime edendis, contraximus; id nunc, ne, rem diutius differentes, mali debitores videamur, diſſoluamus. Nuper diſputabamus de ſtatu, qui Judaeis ſub Auguſti imperio fuit: in hac autem Tiberii mores, eiusque erga hanc gentem animum, auctore Philone, comparatione ſimul cum aliis ſcriptoribus inſtituenda, adumbrabimus, et, corollarii quaſi loco, χρηστομαθείας, obſeruationibus utcunque illuſtratas, e Legatione, adiungemus.

II. *De ſtatu atque conditione Judaeorum ſub Tiberii imperio.*

Commemorata Auguſti erga Judaeos liberalitate, Philo Tiberii indulgentiam erga hanc gentem ſummis laudibus effert. Sed antequam rem ipſam explicemus; primum de Tiberii moribus dicendum, ut, quae ſequuntur, eo melius poſſint intelligi. Principem eum dicit Philo acutiſſima ac perſpicaci natura praeditum, (φρονήσει βαθείᾳ χρώμενον, p. 997.) qui in animorum imos receſſus fere potuerit penetrare, atque inde ſenſus cogitationesque eruere. Auguſtus quidem prudentiam ſollertiamque Tiberii laudat, apud Suetonium, (Tib. c. 21.) et Tacitus (A. L. I, 11.) modeſtiam, animumque minime ambitioſum: ſed hi bini ſcriptores

quoque eum simulatorem fuisse tradiderunt, cuius verbis plus dignitatis, quam fidei inesset, quod semper obscura atque suspensa fuerint, quibus sensus suos abderet: quae omnia eius lentam atque saeuam naturam, quam dicit Suetonius, (Tib. 57.) satis demonstrant. Cum iis facit et Josephus (L. XVI, 8.) qui eum iracundum, implacabilem, odio crudeli plurimorum temere flagrantem, et, pro innata saeuitia, mortem leuissimam poenam existimantem, describit. Qui non cupide Tiberii mores expresserunt, de eo idem, quod hi scriptores, sentiunt, et scelera flagitiaque, in quibus notandis Suetonius Tacitusque ad nauseam usque multi, et, ut dicam quod sentio, iusto diligentiores fuerunt, plane moribus eius sunt consentanea. Ita quoque Dio (L. LVII. 691. 724) Sed non opus est in re clara scriptorum testimoniis; nisi Velleius (L. II. 94. sq.) momenti aliquantum in hac re decernenda faciat, qui eum iactat coelestium praeceptorum disciplinis fuisse innutritum, genere, forma, corporis celsitudine, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimum, ducum maximum, fama fortunaque celeberrimum, vere alterum rei publicae lumen et caput et inenarrabili pietate principem. Quemnam autem Philo noster modum in laudaodo Tiberio tenuit? Imitari hac quidem in re, Velleium, mancipium illud Tiberianum, mihi videtur. Prudentiorem enim et disertiorem eo dicit fuisse neminem; eum felicissime consenuisse, iuuenemque, propter sollertiae eximiae reuerentiam, dictum esse seniorem: tali tantoque principi, qui, per viginti tres annos, terrae marisque potitus imperio, nullum semen belli, in tota Graecia et barbaris gentibus reliquerit, sed pacem et pacis commoda, usque ad vitae finem, constantissime tuitus sit; tamen non eosdem, ac Caio, decretos esse honores. Insunt his quaedam vero consentanea; sed tamen Legationis Auctor peccasse mihi videtur cum plurimis, omnium fere temporum, oratoribus graecis latinisque, in eo, ut speciem simulacraue virtutis laudaret, et omnino hic Tiberio tribueret, quod, ut ex eius facinoribus elucet, ei nunquam tribui potest. Sed volebat Philo Caium, capitalem humani generis hostem, omnibus

mo-

* Legat. 1012, 1016. sq.

modis eleuare; quo efficacior igitur res fieret, sceleſtiſſimum hominem, cum Auguſto Tiberioque comparabat. Tiberius; quamuis illaudatus princeps, ad Caium quidem ſatis bonus videri poterat; attamen, quod eius morte laetaretur populus Romanus, re vera non fuit. Jam prudentem Philo vocat Tiberium, quum fuerit callidus et cunctator, (μελλητής,) ut eum quoque dicit Joſephus (XVIII, p. 631.) moderatum; cum ſe non ambitioſum eſſe ſimularet: in occultis hominum cogitationibus ſagaciſſimum, cum fuerit verſutus et verſipellis; ſaeuae lentaeque naturae, ſub cuius lentis maxillis populus Romanus miſer fuit. Sed incidunt plerumque, qui alium in alterius ignominiam laudant, in illud vitium, quod praeclare notauit Plutarchus, (de diſcr. amici et adul. T. II. p. 56.) e Thucydide, (L. III. 82.) "eos, qui mores laudare velint vitioſos, nomina rerum peruertere. * Ipſe Philo ** pulchre vidit hos vitioſos adulatorum mores, qui non modo res, ſed et vocabula, et vim iis ſubiectam, permutant atque adulterant: ſed boni etiam ſcriptores non ſemper verum, quouis tempore, loco, et coram quolibet, quicunque is demum ſit, dicere valent. Ex his autem quae de moribus Tiberii, a Philone adumbratis, diximus, eo melius, opinor, iudicari poterit, an, quae in gratiam Judaeorum a Tiberio facta eſſe ſcripſit, ita ſint accipienda, ut eum feciſſe praedicat. In primis autem ab Agrippa rege, apud Philonem, (p. 1033.) laudatur Tiberius, quoad clauum rei publicae Romanae tenuerit, templi Hieroſolymitani ſanctitatem ſeruaſſe intemeratam. Quam clementiam ut exemplo aliquo illuſtri demonſtraret, Pilati, Procuratoris illius iniuſti, impium factum, quo clypeos aureos, imagine imperatoris inſignes, in regia Herodis dedicauit, in medium profert. Tiberium, hoc facto audito, audaciaque caſtigata, iuſſiſſe, clypeos confeſtim Caeſaream transferri. Sed de tota hac re deinceps videbimus, quam omnino nolumus in dubitationem vocare. Qua ratione autem Tiberius, in tantis virtutibus, quibus ſecundum Philonem

or.

* τόλμα μὲν ἀλόγιστος, ἀνδρεία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς, δειλία εὐπρεπής, τὸ δὲ σῶφρον, τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα. —

** Legat. p. 1002.

ornatus fuit, Judaeos nullorum criminum capitalium reos, Urbe expulerit, et per speciem sacramenti, in prouincias grauioris coeli distribuerit, haud satis congruere dictis Philonis videtur. Attamen habet Legationis auctor, quo Tiberium excuset. Culpam nempe in Seianum transfert, qui, ut post eius necem planum factum sit, Judaeos criminum grauissimorum postulauerit, ut eos Urbe submoueret. Tiberium autem, his cauillationibus cognitis, iniunxisse prouinciarum praesidibus, ut, exceptis paucis conscíis, in singulis ciuitatibus, Judaeis parcerent, eorumque ritus intemeratos esse sinerent. Casaubono quidem ad Suetonium, (c. XXXVI. p. 217.) haec ratio Philonis probabilis videtur, nec Judaeos natione, sed ciues Romanos, Judaicae religionis aemulos, expulsos Urbe putat: Tiberium enim Judaeis religionem non iuisse ereptum. Qua in re sequitur Tacitum, (L. II A 85.) qui libertinos ea superstitione infectos, Urbe pulsos auctor est, contra Josephum, (XVIII 7.) qui, cum Philone, Judaeos fuisse dolet, cui potius fides est habenda. Quod autem ad alterum attinet, haud scio an Philo declamatorie iactauerit, Tiberium hoc de pellendis Urbe Judaeis decretum reuocasse: ut eo magis pateret, Caium, ad Augustum et Tiberium, Judaicarum rerum statores ac defensores summos, crudelissimum hominem fuisse. Josephus quidem et Romani scriptores tacent, Tiberium huius decreti poenituisse: quod si factum esset, certe hi auctores diligentes rerum a Tiberio gestarum, non praetermisissent. Etsi scio, inficiale illud argumentum non omnino et simpliciter valere aliquid ad diiudicandam scriptoris fidem; hic tamen, si in primis Tiberii naturam saeuam, animumque spurcissimis libidinibus contaminatum, nihil, quod rectum esset, unquam pensi habentem, intueri velimus, longe grauissimum videtur. Caeterum exponit Josephus uberius caussam, quare Judaei Urbe fuerint eiecti. Aufugisse pessimum quendam Judaeum, metu poenae, Romam, ibique legis diuinae interpretandae rationem iactasse. Sceleratum hunc hominem perduxisse nobilem matronam, Fuluiam, eo, ut, quod sectaretur sacra Judaica aurum purpuramque Deo consecraret: hunc veteratorem autem, tribus in socie-

tatem

tatem ſceleris adſumtis, aurum Deo deuotum ſibi arrogaſſe. Quod ſcelus impium nefariumque quum Tiberius a marito Fuluiae audiuiſſet, hoc aduerſus Judaeos decretum factum eſſe. Haec narratio ut mihi videtur, ſupplet quae Philo modo breuiter attigit. Etſi Joſephus nullam in Seianum culpam huius rei confert; hic peſſimus homo tamen, exaſperaſſe Tiberii animum, odiumque in Judaeos concitaſſe videtur. Quippe Seianus, cognita Imperatoris natura ſaeua, conſueuerat, ut ait Tacitus (L. I. 69.) iacere odia in longum · quo facilius efficere potuit, ut Judaei, quos Caeſar iam acerbe et penitus oderat, Urbe ſubmouerentur.

Mentionem ſupra faciebamus clypeorum, a Pilato in Herodis regia conſecratorum, Tiberii vero iuſſu, Caeſaream, in templum, Auguſto conditum, translatorum. Hic iterum Philo, cum Joſepho collatus, (L. XVIII. Ant. 4. et L. II. de B. I. 8. p. 789.) in alia omnia diſcedit. Philo quidem ita: Pilatum, auctor eſt. (1033.) Procuratorem conſtitutum, clypeos aureos nulla imagine, ſed nomine tantum eius qui dedicarit eos, tum cui dedicati eſſent, inſignes, in regia Herodis conſecraſſe *. Qua re apud omnes cognita, quatuor regis filios aliosque dignitate conſpicuos, exoratos eſſe, ut Pilatum eo adducerent, ne rem, et legibus et ritibus repugnantem, faceret: hunc autem, acrem et inexorabilem, principes rei publicae Judaicae re infecta remiſiſſe: nullas enim rationes ne exempla quidem clementiae Caeſareae aliquid apud eum valuiſſe. Principes igitur, quum, facta de mittendis legatis mentione, animaduertiſſent, praeſidem facti poenitere, Tiberium, epiſtola, de re ipſa certiorem feciſſe, Caeſaremque, atrocitate et minis cognitis, non modo grauiſſime excanduiſſe, ſed et illico imperaſſe, ut clypei Caeſaream, in templum Auguſti, transferrentur. Ha-

 cte-

* ἀνατίθησιν — ἐπιχρύσους ἀσπίδας — ſollemne eſt in hoc genere τὸ ἀνατιθέναι, item τιθέναι, veluti apud Eurip. in Phoeniſſ. v. 579. ἀσπίδας ἔθηκε Huiusmodi clypeis vel inarata erat inſcriptio, quales clypei a Pilato conſecrati, ſecundum Philonem fuerunt; vel iis imagines, veluti principum virorum, aut Caeſarum, adpictae erant. Illud dicitur εἰς σκῦλα γράφειν, hoc autem σκῦλα γράφειν. v. Valken. ad l. c. p. 218. Inſcriptiones ſcutorum, in templis dedicatorum, commemorat Pauſanias I, p. 31. V, 425. X. 849.

ctenus Philo. Iosephus autem (l. c.) eandem rem ita tradit. * Pilatum, quamprimum Procurator in Judaeam venisset, ** imagines, in clypeis umbilico tenus expressas, Caesaremque referentes (προτομὰς Καίσαρος***, αἳ τοῖς σημείοις προσῆσαν,) noctu in urbem sanctam, opertas intulisse. Qua re cognita, Judaeos, magno numero Caesaream petiisse, supplicibusque precibus Pilatum orasse, ut illas imagines alio transferret: sed eum hoc pernegasse; laedi Caesaris maiestatem. Judaeos autem, quum Praesidis animum atrocem expugnare conati essent, sexto post die, a militibus circumuentos esse; eum sedisse pro tribunali, mortemque, nisi quiescerent, iis minitatum: sed Judaeos supplices se morti obtulisse, manifesto prae se ferentes, legis diuinae obseruationem vita sibi cariorem esse. Pilatum demum admiratum hanc legis tuendae constantiam, eiusque obseruandae studium, imagines Hierosolymis Caesaream transtulisse. Ex hac utriusque scriptoris narratione, inuicem comparata, liquet, Philonem negare, clypeos imagine Caesaris ornatos fuisse: Iosephum autem hoc affirmare. Ille quidem tradit, Pilatum clypeos regiae Herodis intulisse nec a filiis regiis, nec ab aliis populi Judaici principibus commotum esse, ut, quod vellent, faceret: rem adeo delatam esse ad Tiberium, et hunc, non sine vehementi obiurgatione, Pilato imperasse, ut imagines veherentur Caesaream: hic autem contendit, imagines Hierosolymis collocatas, a Pilato, Judaeorum constantia, legibus suis sanctissime obtemperandi, precibusque eorum tandem victo, reportatas esse Caesaream. Mangeius quidem (p. 589.) hanc scriptorum Judaicorum dissensionem sic conciliari posse arbitratur, si dicamus, Pilatum bis laesisse Judaeos; primo imaginibus Caesaris, deinde cum id non ferrent, clypeis, cum inscriptione in urbem inductis: alterum tentamen a Philone, alterum autem a Iosepho descriptum: hoc et colligi posse e Iosephi loco, (L. II, 8 p. 789.) e quo appareat, Pilatum initio praefecturae de Cae-
saris

* cf. Euseb. H. E. L. II, 6. p. 35. qui et locum e L. II. de B. I. c. 8. laudat.

** Intelligitur e Iosepho, cum Philone collato, Pilatum, initio procurationis prouinciae, hoc haud dubie in gratiam Tiberii fecisse.

*** v. Wessel. ad Diod. Sic I, 18. ubi λύχνου προτομὴ, cf. eun-

ſaris imaginibus dedicandis cogitaſſe; cum quo conferri vult L. I. Maccabaeorum, S. IV, 57. Mihi quidem haec ratio, fundamento hiſtorico, quod aiunt, deſtituta, non probatur. Locus Joſephi, quem Mangeius, ad opinionem ſuam probandam, laudat, eandemque rem, quam in Antiquitatibus (XVIII, 8.) narrat, continet, nihil hic efficit. Facit potius ad tempus, quo hoc factum eſt, conſtituendum, ut et monet Scaliger ille magnus in animaduerſionibus ad Euſebium (p. 172.) qui hanc rem e Joſepho repetit; (Chron. L. II. p. 158. in fragm. gr. p. 188.) „*Scribit autem ſupra dictus vir, (Joſephus,) quod eodem anno Pilatus, Praeſes, ſecreto noctis, imagines Caeſaris in templo ſtatuerit. Haec prima ſeditionis et turbarum Judaeis cauſſa exſtitit.*" De temporum confuſione apud Euſebium, quam notauit Scaliger, (in Animaduerſſ. p. 172.) item de Pilato, qui, ſecundum Joſephum, imagines in ipſo templo collocaſſe dicitur, poſt tanti viri admonitiones, non eſt quod dicamus. Quum itaque nec e Joſepho, nec ex Euſebio, alioue ſcriptore euinci poſſit, Pilatum iteraſſe hoc impium facinus; alia ratione in explicanda hac re, diuerſe a Philone et Joſepho commemorata, utendum eſt. Primum quidem idem eſt facinus Pilati, uno tempore patratum, non duplex, ut e comparatione horum ſcriptorum facile elucet, licet in quibusdam rebus diſcrepent. De diſſenſu quidem horum binorum ſcriptorum, Joſepho haud dubie plus hic tribuendum, quam Philoni, qui, ut in aliis, rem declamatorie eleuat. * Philo argumentatur fere ita: „ſi Judaei clypeos, pictura carentes, ** nullo modo tolerare poſſunt; quanto minus ſtatuas coloſſeas." Quae omnia produnt declamatorem, non ſibi conſtantem, ſed rem impiam callide extenuantem. Clypei enim ἄγραφοι Judaei aſpectum violare non poterant. Alexandriae quidem, ut ipſe Philo ait, (Leg. 1011.) in Proſeuchis, inter caetera ornamenta Imperatorum exſtiterunt clypei, coro-

* Simili modo Cicero Tib. Grachi ſcelera minuit, quem mediocriter rem publicam labefactaſſe dicit. (Cat. I, 1.)

** Ἀσπίδας μήτε μορφὴν ἐχούσας — paulo poſt: ἀις οὐδὲν ἐνεζωγράφητο μίμημα ſcil. φύσεως, quod verbum p. 1035 iungit μιμήματι. Poſſes etiam interpretari has ἀσπίδας imagines, in forma clypei expreſſas, vid. alm ad Scriptt. H. A. p. 355. Καίσαρος εἰκόνες σημαῖαι καλοῦνται, (L. II de B. I. p. 789.) aut

coronae, ſtatuaeque auratae cum titulis. Quidni Judaei Hieroſolymis tulerint clypeos aureos cum ἐπιγραφῇ? cum templum Hieroſolymitanum ornatum fuiſſe conſtet a regibus barbaris, clypeis, coronis, arboribus aureis? (v. Joſeph. XV. c. 14. p. 543.) Legati ſaltem Judaeorum, veluti Alexander Jaſonis, Numenius Antiochi, et Alexander Dorothei, in ſignum ſocietatis cum Romanis initae, clypeum aureum attulerunt, ut refert Joſephus (XIV. 8.) Simon, Pontifex et princeps Judaeorum, legatos quoque Romam miſit, qui clypeum aureum, mille minarum pretio, offerrent, ut auctor L. I. Maccabeorum S. XIV. 24 tradit. (cf. Scalig. anim ad Euſeb. p. 172.) Quid? Herodes ſpolia barbarica circa templum iuſſit affigi cum recentibus Arabicis: (Joſ. p. 544.) qui mos ductus eſt a Romanis, apud quos ſpolia, templis ſuſpenſa, conſecrabantur, ut pluribus explicauit Perizonius, in animaduerſſ. hiſtoricis (p. 248. Ed. Altenb.) Haec ſatis demonſtrant, opinor, Philonem hac in re, non audiendum eſſe. Maior ſane res eſſe debebat quae animos Judaeorum exacerbaret. Clypei erant, ut veriſſime Joſephus ſcripſit, imaginibus Caeſaris Tiberii picti ornatique, quae ſimulacra poterant irritare Judaeos: haec pro religionis ſuae ſanctitate adorare aut venerari nequibant. Hoc profanum erat ſpectaculum, quod offenderet oculos animosque Judaeorum ſeueritati diſciplinae ſtudentium: * illud autem minime poterat quod quotidie oculis uſurparent. Cauſſam Joſephi, qui rem, ut erat, ſimpliciter narrat non autem, ut Philo, picto orationis genere utitur, iam egit magnus ille Scaliger ad Euſebium (l. c.); pluribus Weſſelingius, ** in Obſſ. (I, 17 p. 64.) qui Baronium, Philonem Joſepho hac in re praeferentem, reprehendit cum magno Caſaubono (Exercit. XII.) quorum ſententiam ſuo aſſenſu contra Lipſium (Excurſ. ad Tac. A. L. II. 83.) comprobauit ſumme venerandus *ERNESTI*, ad locum Taciti laudatum: (cf. Cl.

* Joſ. L. II. de B. I. 8. p. 789. ὐδὲν ἀξιῶσιν (Ἰυδαῖοι) ἐν τῇ πόλει δείκηλον τίθεσθαι.

** Cur Joſephus rem aliter, ac geſta eſt, naraſſet? In Joſepho quidem nihil cauſſae inuenio. Rex Agrippa rem extenuaſſe videri poteſt, ut hoc modo gentis ſuae odium, quo in ſimulacra flagrabat, oſtenderet, vinceretque, ſine religionis patriae intertrimento, ſtatuam Caii

Cl. Krebs, ad Decr. p. 130.) Philonem et illud exaggeraſſe putem, rem a Judaeis, in quorum ignominiam facta erat, Tiberio eſſe delatam, qui, quamuis irae alias moderaretur, tamen Pilato audaciam vehementer exprobrauerit, ut eum confeſtim clypeos Caeſaream deportare iuberet. Joſephus de hac re plane ſilet: ſponte ſua enim Pilatum, ſine iuſſu Caeſaris, hoc feciſſe commemorat.

Expoſitis utcunque his rebus, χρηστομαθείας, h. e. locos maximè illuſtres et memorabiles, quos facere vel ad partem aliquam antiquitatis firmandam, vel illuſtrandam arbitramur, excerpere, et obſeruationibus breuibus explicare conati ſumus.

I) Philo quinque libros Legationis ſcripſiſſe fertur, ut intelligi poteſt ex Euſebio, (H. E. L. II, 5. p. 31. Gen) ubi etiam de eius genere et doctrina ſtrictim et accurate agitur. Unde in Chronico, (p. 158.) librum ſecundum Legationis laudat, item H. E. L. II, 6. v. Scalig. ad Euſeb. p. 173. Memorabilia de hoc libro narrat H. E. L. II, 17. p. 63.

II) Tiberius, Imperatoris Tiberii nepos, eiusque ſucceſſor deſignatus, (v. orat. in Flacc. p. 966. Leg. 996. Joſeph XVIII, 8.) Caiique patruelis, latinis, veluti Suetonio, (Cai. 23.) uſu loquendi ſatis noto, vocatur frater Caii. (v. Periz. Anim. H. p. 406.) Miror Fabricium τὸν πάνυ, ad Dionem, (T. II. p. 902. 909.) Suetonium parum accurate ſic locutum putaſſe: Tiberium enim rectius fratruelem, vel, propter adoptionem, filium dicendum fuiſſe. Sed res ſatis hodie nota, ut monuit Ven. Erneſti ad Suetonium (Cai. 23.) Hanc rationem loquendi latinorum imitatus eſt Philo, (Leg. p. 1044. (558. M.) et Dio, (L. LVIIX. p. 909 Reim.) graecis veteribus, quod equidem ſciam, minime ſollemnem. Hi enim ἀδελφὸν non patruelem dicunt (v. Periz. A. H. p. 109.) Caeterum patet ex Caſſio Dione, (L. LVIII. p. 895. Reim.) cum quo Suetonius eſt conferendus, (Tib. 62.) hunc Tiberium, ab Imperatore Tiberio primo neglectum eſſe, non modo propter aetatem, Caius enim eum vocat apud Philonem (p. 996. 549. M.) νήπιον, et alio loco, (p. 1004.) ἐν ἀκμῇ τῆς πρώτης ἡλικίας, quamquam ſeptendecim circiter annorum fuit, Caſſius Dio παῖδον, (p. 895. et 901.(mox tamen (L. LVIIII. 909.) principem iuuentutis, quo honore, ephebus factus, dignus eſt habitus; ſed et inprimis propter matrem Livillam, Druſi coniugem perfidam, adulterii cum Seiano commiſſi compertam. Dio quidem de hoc Tiberio: (p. 901.) οὐ γὰρ ἐπιστεύετο τοῦ Δρούσου παῖς εἶναι.

III) Patris in filium poteſtas, romanis legibus, eſt infinita, (ἐξουσία παντελής) item Imperatoris, a quo nemo rationem poſcere audet, nec valet. (Leg. p. 996.) Prior lex nititur inſtituto Romuli, ut ſatis notum e Dionyſio (L. I. p. 96. Sylb.) qui hanc patris poteſtatem deſcribit. Illuſtre exemplum eſt Manlii Torquati.

Dio.

Dionyſ. VIII. 546. „Si pater filiúm ter venunduit, filius a patre liber eſto. (v. Lipſ. Legg. reg. apud Dionyſ. Sylb. p. 781.)

IV. Aui apud Romanos, nepotes, poſt parentum obitum, pro filiis habent. (Leg. p. 996.)

V) Patres priuati, filiis ad magiſtratuum dignitatem euectis, cedunt ultro primatu, ſecundis partibus contenti. (Leg. 1002.)

VI) Philo, Caii faſtum, quo ſe Deum coli voluit, eleganter ἐκθέωσιν vocat, (Leg. 1003.) quem furorem paullo ante ſic exprimit: σπουδάζων θεὸς νομίζεσθαι, item (p. 1004.) ἔδοξας γεγενῆσθαι θεὸς, et (p. 1023.) ἐν θεοῖς γράφειν ἑαυτὸν. Quae commutata dicendi ratio ſatis declarat, quae vis voci ἐκθεώσεως ſit ſubiicienda. Euſebius itaque (Chron. p. 189.) parum ſubtiliter de eadem re voce ἀποθεοῦν utitur; Γαῖος ἑαυτὸν ἀποθεοῖ. ἀποθέωσις enim, quae eſt conſecratio, ad mortuos pertinet. v. Scalig. p. 173.

VII) Alexandrinorum vulgus, auctore Philone, (p. 1009. 1012. 1015.) fuit mixtum et confuſum, (μιγὰς et συμπεφορημένος ὄχλος, et ad tumultus ciendos procliue. In primis notantur Alexandrini religionibus deditiſſimi, quod cum reliquis Aegypti incolis, beſtias aquatiles et terreſtres inter numina retulerunt, ibesque et venenatas aſpides, ferasque immaniſſimas, diuino cultu proſecuti fuerint. Gemina his profert Philo in Tr. de decem oraculis, (p. 755. ſ. 93. Mang.) et Poeta, ſatis noto loco:

Quis neſcit — qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibin,
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci. —

Carpit Aegyptios hoc nomine Cicero, (de Nat. Deor. III, 19. cf. L. I, 36.) et, ſi quis plura deſideret, dabunt Interpretes ad Minucium Felicem Ouzelianum (p. 262.) Philo quidem omnino Alexandrinorum mores ponit in praeſtigiarum, aſſentationum, et ſimulationum artificio, qui ſoluto atque effrenato ore ad omnia turbanda fuerint faciles. (cf. Dion. L. LI. p. 648. Reim.) Quae omnia conſentiunt cum aliis ſcriptoribus, qui Aegyptiorum aut Alexandrinorum mentionem faciunt, quorum loca repetere ſuperſedemus.

VIII) Sebaſtion fuit templum Alexandriae magnificentiſſimum, Caeſari Auguſto, nauigantium praeſidi (ἐπιβατηρίῳ) dicatum, et e regione ſtationis portuoſiſſimae ſitum. Fuiſſe autem dicitur ſublime, ingens, atque conſpicuum, quale nusquam alibi, plenum donariis, pictis tabulis et ſtatuis, nec non auro argentoque circumquaque ornatum, ſpatioſum porticibus, bibliothecis, conclauibus, lucis, veſtibulis, atriis, ambulacris, omnibus ad ſumtuoſiſſimum ornatum compoſitis, ſpes ſalutaris ſoluentium et appellentium. (Leg. 1014.) Suetonius quidem (c. 52. Aug.) Auguſtum dicit in nulla prouincia, niſi communi ſuo Romaeque nomine, templa recepiſſe: veluti hoc fieri paſſus eſt in Bithynia, Nicomediae, et Pergami, in Aſia: (Dio, L. LI. p. 652.) ſed ex hoc Philonis loco, ut et ex aliis, intelligitur, Auguſto ſoli quoque templa conſecrata eſſe. (v. Torrent ad Suet. Aug. 52.) Quin, ut Tacitus

IX) Capito, quaestor Judaeae, exigendis tributis praefectus, (φόρων ἐκλογεύς) calumniis aduersus Judaeos fingendis, Caii animum exasperauit, in societatem sceleris assumtis, Helicone Aegyptio, Apelle Ascalonita, proiectae audaciae hominibus, quorum consiliis pessimis Caius obsequebatur. (Leg. 1020.) Apellem fuisse ea aetate tragoedorum principem, intelligitur ex Dione (L. LIX. p. 906. R.) et Suetonio (Cai. c. 33.)

X) Jamnia, urbs Judaeae celebris et copiosa, alio nomine Jabne dicta, et postea illa schola illustrior fama, (v. Cellar. G. A. T. II. p. 605.) a multis inquilinis habitata fuit, qui quod Judaicos ritus atque caerimonias omni modo turbarent, indigenis multa negotia facessebant. Hi sordidi homines, ac vilissimi adulatores, Caio, de consilio et auctoritate Capitonis, aram lateritiam extruxerant, quam a Judaeis, legis diuinae aemulis, euersum iri, facile coniectura consequi poterant. Itaque Judaei fecerunt. Qua re cognita, Caius, auctoribus Apelle et Helicone, colossum inauratum, in templo Urbis, in Judaeorum contumeliam, poni collocarique iussit. Haec fuit caussa prima, qua Caii animus erga Judaeos ira inflammatus est, qui facile, ob saeuitiam et fastum naturalem, irritari poterat. Sed hi scelesti Judaeorum aduersarii mox iustas poenas dederunt: alter enim, Apelles, ferreis compedibus vinctus, propter alia crimina, alternis contortus et in rotam actus est; Helicon autem a Claudio interfectus. (Leg. 1022.) Apellem quidem Suetonius, (Cai. 33.) flagellis discissum scripsit, quod cunctatus esset pronunciare, uter, Caiusne an Jupiter, illi maior videretur: sed Philo, aequalis Apellis, quod accuratius rem scire poterat, potius audiendus videtur, nisi rem more declamatorum exaggerauit. Difficile videtur ad iudicandum, in talium scriptorum dissensu, quales sunt Philo atque Suetonius, quis alteri sit praeferendus. Hic quidem parum refert, hic nebulo sic an aliter supplicio affectus sit; in eo certe consentiunt ambo scriptores, Apellem male mortuum esse.

XI) Judaei nihil religiosius colunt quam templum, quod et inde patet, quod, qui septa interiora ingressi sunt, (εἰς τοὺς ἐντὸς περιβόλους) praeter gentiles, (ὁμοεθνῆ) certissimam mortem subierunt. Interiora septa haud dubie sunt tria illa atria in ἱερῷ, (quod, ut notum est, differt a ναῷ, adyto,) mulierum, Israelitarum, et Sacerdotum. (v. Wolf. Cur. T. I. p. 302.(Huc praeter Judaeos, nemo accedere poterat: sacra enim ibi fiebant. Unde arcebantur profani, et omnino ii, qui sacris Judaeorum non initiati erant. Hic locus Philonis (p. 1023.) illustrat locum Lucae, in Actis Apostolorum, (XXI, 28.) ubi Paullus intromisisse Graecos in ἱερὸν incusatur.

XII) (Leg. p. 1031.) Hierosolyma non modo urbs primaria Judaeae fuit, sed et multarum regionum, propter colonias inde in alias regiones deductas, veluti in Aegyptum, Phoenicen, Syriam omnem, et eam, quae Coele nominatur, Pamphiliam, Ciliciam, plurimasque Asiae partes, ad Bithyniam usque, et Ponti sinus intimos. Abiisse quoque colonos, Philo auctor est, in Europae prouincias, Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam,

At

Atticam, Argos, Corinthum, partesque Peloponnesi praecipuas, insulas Euboeae, Cyprum, Cretam. Excepta parua parte Babylonis aliarumque praefecturarum, omnes urbes, ubertate soli claras, Judaeis impletas fuisse. Unde effici vult Philo, Judaeos, plurimis in ciuitatibus, in Asia, Africa, et Europa sitis, versari. Sed, quae de Hierosolyma, tanquam alma matre, e qua tot coloniae exierint in peregrinas regiones, praedicat, non ad viuum resecanda esse arbitror. Fuit enim contra instituta Judaeorum, vel potius praecepta diuina, ut in barbaras regiones deduxerint suos populares. Primum omnium Judaei, qui extra terram sanctam in urbibus peregrinis habitabant, poenis obnoxii meritis, extorres et eiecti patria, Salmanassaris et Nebucadnezaris iussu, in prouincias, horum regum imperio subiectas, erant distributi. Postea migrauerunt in alias urbes, ubi in primis rei suae faciendae caussa, quae opera et hodie Judaeos exercet, tutius ac commodius versari poterant. Quod graeca Christi temporibus, et postea in omnibus fere gentibus, legebantur, plurimi Judaei, οἱ ἐν διασπορᾷ, quos Jacobus atque Petrus vocant, * ἑλληνισταὶ in Noui Foederis libris dicti, hac lingua utebantur. Ex quibus intelligitur, Agrippam apud Philonem improprie magis ἀποικίας dicere, quam vere. Hos Judaeos quidem non exules dicam, quod valde impugnat Salmasius, (de L. Hell. p. 207. sed tamen exulum posteros: ἄποικοι certe non fuerunt. Ceterum et hunc Philonis locum laudauit Salmasius, in elegantissimo de lingua hellenistica libro (p. 207.) Mangeius mouet hic scrupulum contra verba Agrippae, dicentis: urbes felicitate soli celebres, excepta parua parte Babylonis, et reliquarum praefecturarum, a Judaeis incoli, quasi repugnent superioribus, (p. 1023.) ubi Philo Babylonem, et multas regiones circa, a Judaeis teneri dixit. Vult itaque legi pro Βαβυλῶνος, Βαβυλὼν, e MSS. Med. Aug. Coll. N. Equidem, si recte capio locum, nullam repugnantiam mihi animaduertere videor. Non enim rex excipit urbem Babylonem, sed partem tam vastae urbis, et quarundam praefecturarum, quae vacuae fuerint Judaeis. Forte respexit Agrippa ad Judaeos, Babylone circa illa tempora, propter seditionem, expulsos, et, ne extrema paterentur, Seleuciam fugere coactos, ut tradit Josephus (L. XVIII. 12.) Praeterea Mangeius pro ἄλλων σατραπειῶν, legi mallit: τῶν ἄνω σατραπειῶν: sed nulla ratione addita, haud dubie quod nullam in promtu habebat.

XIII) Male Baronius, in Annalibus, (A. C. I, n. 15. p. 59.) contendit, Augustum Judaeis, ante Christum natum, infensum, cognito autem eius aduentu, facilem fuisse, eosque summis beneficiis ornasse. Traxit huc locum Philonis in Legatione (p. 1014.) et in primis laudat Augusti clementiam, qua Judaeis permiserit, ut transtiberinam urbis partem incolerent. Quae obseruatio si vera est, Judaei, post Christum natum demum trans Tiberim Romae habitarint necesse est. Quam crassus sit error Baronii et hac in re, facili negotio demonstrari posset, nisi eum iam dudum magnus Casaubonus castigasset, Exerc. II ad A. E. Bar. p. 130, 31.

* v. Salmas. fun. L. H. p. 101.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Julii Anno MDCCLXXIII

NOVAE TABULAE BAROMETRI AESTUSQUE maris, a JOSEPHO TOALDO, in Patauina Uniuersitate Astron. Geograph. ac Meteorol. Professore, digestae.

Patauii CIↃIↃCCLXXIII. 7 plagg. cum 1. tab. aenea in quarto majore.

Telluris atmosphaeram a Luna commoueri non minus, quam Oceani aquas in introductione ad tabulas, auctor quidem ostendit, sed ambiguum esse monet, utrum istae atmosphaerae motiones a Luna inductae eiusmodi sint, ut Barometrum afficere possint. Quod si demonstrari deberet, certe ex recte instituta obseruatione atque experientia, quae procul dubio vera est ratio quascunque quaestiones physicas dirimendi, istud deduceretur. Verum in hoc negotio non facile est idoneas obseruationes paratas habere, easque ita quodammodo interrogare, ut ipsarum testimonium legitimum, clarum, ac certum sit. Primum enim ponderis variatio a Luna in atmosphaeram inducta, quaecunque sit, valde exigua est, ita ut ei respondens variatio in Barometro facile sensus fugere possit. Deinde tot aliae caussae peculiares et incertae ad Barometrum turbandum concurrunt, ut difficile sit discernere, num mutatio aliqua Barometri actioni Lunae sit tribuenda. In tanta subtilitate atque obscu-

ritate rerum, necessaria inprimis diurna obseruationum series videtur, ut causa perpetua ac generalis effectum suum, licet exiguum, tempore tamen quasi cumulatum, manifestare possit. Deinde obseruationum ipsarum circumstantiae eiusmodi eligendae, quae ad hanc Lunae in atmosphaeram vim atque actionem, si qua sit, prodendam atque detegendam aptae sint. Praesto auctori erat series insignis duodequinquaginta annorum, quibus fidere satis tutum videbatur. Methodum vero, qua obseruationes easdem ipse discussit atque contulit, sequentia, una cum tabulis inde concinnatis, docebunt. Antequam vero de Barometro obseruata profert, futurum credit non ingratum, cognoscere obseruata quaedam similia ad aestum maris pertinentia, quae ad obseruationes Barometricas viam sternent, et ad Tabulas hinc elicitas rectius intelligendas lumen quasi ac fundamentum praebebunt.

Tabula prima exhibet mensuras quasdam aestus maris, Venetiis ab anno 1751. ad annum 1755. obseruati; quibus in obseruationibus duo desiderantur: numerus annorum amplior, ut saltem nouennalem Apogaei lunaris reuolutionem integram complecteretur, et utriusque accessus diurni obseruatio; notum quippe, duos aestus diurnos plerumque inter se esse inaequales. Tabula prima exhibet summas aestuum, Lunae Apsides, Syzigias, et quadraturas obeunte, quinque diebus circa singulos hosce situs, in pedibus ac pollicibus mensurae Venetae, quae ad Parisiensem se habet ut 154. ad 144. Tabula haec duabus partibus constat, prima exponit peculiares summas singulorum mensium anni 1751, e quibus numerus eius anni medius elicitus est; quem in modum etiam quatuor sequentium annorum numeri collecti, atque ad extremum medii mediorum expressi,

Ae-

Aestus Maris in quinque Annis.

		Luna in Perigaeo Ped. Poll.	In Apogaeo Ped. Poll.	In Novil. Ped. Poll.	In Pr. Quadr. Ped. Poll.	In Plenil. Ped. Poll.	In Ult. Quadr. Ped. Poll.
Aestus Med.	1751	2. 1, 5	1. 10, 0	2. 4, 5	1. 5, 4	2. 3, 1	1. 6, 4
	1752	1. 8, 5	1. 7, 1	2. 3, 6	1. 4, 2	2. 5, 8	1. 3, 5
	1753	2. 4, 1	2. 0, 6	2. 7, 6	1. 5, 9	2. 5, 8	1. 4, 2
	1754	2. 5, 5	2. 1, 5	2. 4, 2	1. 1, 3	2. 3, 8	1. 4, 1
	1755	2. 0, 9	1. 10, 8	2. 0, 6	1. 5, 8	2. 4, 0	1. 4, 1
Aest. med. 5. annor.		2. 1, 2	1. 10, 1	2. 4, 1	1. 4, 1	2. 4, 5	1. 4, 5

Circa Perigaeum, ob accessum Lunae ad Terram, ceteris paribus, maiores maris aestus fiunt, quam circa Apogaeum, nisi si Apogaeum coierit cum aliqua Syzigia, vel sit prope alterutrum Aequinoctium. In Syzigiis, ob coniunctas Lunae Solisque vires, accessus fieri maiores debent quam in quadraturis. Aestus quadrantum mensibus aestiuis Sizygiarum aestubus aequales, aliquando etiam maiores reperiuntur. Aestiuo enim tempore Luna circa plenilunium percurrit arcus breuiores supra horizontem parallelorum australium; atque ita aestus plenilunii minimos iis mensibus tabella ostendit. Ex tabula patet, aestum Perigaeum esse digitorum 25, 2, Apogaeum 23, 1, ideoque excessum Perigaei esse tantum digitorum 2, 1, quae est octaua pars totius, quanta fere est differentia apparentis diametri lunaris a Perigaeo in Apogaeum: aestus vero Syzigiarum esse digitorum 28. 3. quadrantum 16, 3; ita illi elatiores sint digitis 12, et ad hos se se habent ut 7 ad 4; in quo tamen excessu partem sibi vindicat actio Solis.

Tabula prima aliam tabellam aestus maris secundum XII. signa Zodiaci, quatenus refertur ad Lunam, exhibet. Differentia declinationis Lunae differentiam aestuum inducit, ratione simul habita latitudinis geographicae; quare ceteris paribus maiores fieri debent aestus in climatibus bo-

realibus, dum Luna percurrit ſigna borealia. Maioris euidentiae cauſa expreſſit Auctor numeros Tabellae per curuam quandam regularem, conchadi ſimilem, in qua aeſtus ſingulis ſignis reſpondentes per ordinatas, progreſſus Lunae in ſignis per axem expreſſi ſunt.

Aeſtus maris medii ſecundum XII. ſigna Zodiaci, numeri quinque annorum medii ſunt ſequentes:

	Aries Ped poll.	Taurus Ped poll.	Gemini Ped.poll.	Cancer Ped.Poll.	Leo Ped.Poll.	Virgo Ped.Poll.	Libra Ped.Poll.
Aeſt. med.	1.11,27	1.11,30	1.10,70	1.11,49	2.0,12	2.1,03	2.0,14
	Scorp. Ped.poll.	Sagitt. Ped.poll.	Capric. Ped.poll.	Aquar. Ped.poll.	Piſces Ped.poll.	Aeſtus annuus	
Aeſt. med.	1.11,04	1.10,73	1.9,55	1.11,15	1.11,20	1.11,67	
Locus Apog. Lunae	1751 Scorp. Sagitt.	1752 Sagitt. Capric.	1753 Capric. Aquar.	1754 Piſces Aries	1755 Aries Taurus		

Ex his ſequitur: 1, ut minimus aeſtus exiſtat Luna Capricornum obeunte; 2, ut ſignorum auſtralium aeſtus minores ſint, quam borealium; 3, ut aeſtum Cancri, et auſtralium omnium, excepta Libra, et Borealium quoque aſcendentium, maximus ſit; ſed 4, ſuperetur ab aeſtu trium ſignorum deſcendentium, Leonis, Virginis, ac Librae. Indicat Auctor, adnotato Apogaei loco ſingulis annis, oppoſitum Perigaeum motu ſuo altiores aeſtus ſecum quaſi trahere a ſigno in ſignum: e. gr. a Tauro ac Geminis (1751.) ad Cancrum (1752.); ad Leonem (1753.); ad Virginem ac Libram (1754.); ad Scorpionem.) Simile quid videbimus accidere in Barometro. Ex obſeruationibus Dni Temanzae pro annis aliis, aeſtum tantum annuum adfert quique inquit, aeſtus, ſi obſeruationibus fidendum ſit, confirmaret

ho-

hominum querelam, aestus hisce annis proximis aliquantum Venetiis decrescere.

Aestus Annuus

Anno	1760.	ped.	2	dig.	1, 11.
—	1764.	—	2	—	3, 32.
—	1765.	—	2	—	0, 57.
—	1766. Jun.	—	2	—	0, 16.
—	1769.	—	2	—	1, 13.

Succedit similis tabella pro Sole, quatenus referuntur aestus ad stationem solis in signis; quae tabula ostendit, aestus hyemales maiores esse aestiuis quod ex alia causa repeti nequit, quam a vicinia maiore solis in Perigaeo constituti, fortasse etiam ab incitatione motus Telluris cum illa coniuncta, ex quibus etiam in Atmosphaeram impressiones ac turbationes quasdam maiores fieri verosimile est.

	Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo	Libra
Aest. med.	1. 9, 2	1. 9, 5	1. 10, 7	1. 10, 3	1. 8, 7	1. 8, 7	1. 10, 4

	Scorp.	Sagitt.	Capric.	Aquar.	Pisces	Aestus annuus
Aestus med.	2. 1, 6	2. 1, 9	2. 1, 7	2. 1, 7	1. 11, 9	1. 11, 1

Tabula secunda.

Haec et duae sequentes tabulae numeros continent pro Barometro, similes iis, quos prima pro aestu maris, sed ad tempus multo magis longinquum, nempe ab anno 1725. ad 1772. Scala Barometri est in digitis atque centesimis digiti partibus mensurae Londinensis. Sumpsit vero Auctor tantum excessum supra pollices 28, quantitatem omnium com-

vero annis, qui aberrationem coniunctam habent cum situ apsidum prope signa solstitialia, animaduertendum, Syzigias celebrari in quatuor signis aequinoctialibus, quae ad altitudinem Barometri augendam conferunt: quatuor aliis mensibus Syzigiae quidem occupant signa solstitialia; sed ipsarum alterutra, quoad vim prementem, quodammodo corrigitur ab Apogaeo, quicum coit, idque validius si circa Cancrum situm illud sit, ut vult obseruatio. Quaecunque vero sit, laudatus ille vir inquit, harum aberrationum causa, fluit ex iis tamen hoc, tanquam corollarium, Apsidibus Lunae, signa aequinoctialia ac solstitialia obeuntibus, iis annis anomalias accidere in aestubus atmosphaerae, ex quo anomaliae quoque in anni ac tempestatum constitutione expectandae sint; quod reuera contingere, saltem in annis intemperantia pluuiarum laborantibus, longa exemplorum inductione probari potest.

Tabula tertia altitudinum Barometricarum Summam singulis Zodiaci signis respondentium, pro numero dierum, quibus in iisdem morata est luna A. 1725, profert. Quum apsidum lunarium vis ad atmosphaeram afficiendam a situ ipsarum in Zodiaco quadantenus pendere videatur, ipsa Zodiaci signa aliquo sensu in Barometrum influere posse videntur, quatenus scilicet magis vel minus obliquam reddunt actionem Lunae, praesertim quoad peculiaria climata. Itaque Auctor altitudines Barometri singulis Zodiaci signis respondentes explorauit, et tabulam hanc condidit. Methodum eius conficiendae, ab Viro hoc celeberrimo descriptam, in aliorum usum uberius explicare studemus. Specimen laboris praebebit annus primus 1725, cuius tabella expansa haec est:

1725.

1725 Menses	Aries Dies	Aries Summae Alt. Bar.	Taurus Dies	Taurus Summae Alt. Bar.	Gemini Dies	Gemini Summae Alt. Bar.	Cancer Dies	Cancer Summae Alt. Bar.	Leo Dies	Leo Summae Alt. Bar.	Virgo Dies	Virgo Summae Alt. Bar.
Januar.	2.	423	2.	408	2.	375	2.	295	2.	432	3.	670
Februar.	3.	422	2.	428	3.	631	2.	410	2.	420	3.	636
Martius	2.	541	2.	345	2.	348	2.	396	2.	340	2.	338
Aprilis	2.	341	2.	340	2.	328	2.	284	2.	310	3.	450
Maius	2.	350	2.	359	2.	375	2.	375	3.	488	2.	320
Junius	2.	298	2.	350	2.	347	2.	347	2.	355	2.	376
Julius	2.	350	2.	316	2.	326	2.	326	2.	370	2.	360
August	3.	334	2.	322	3.	498	2.	336	2.	326	2.	370
September	3.	472	2.	352	2.	346	2.	336	2.	290	2.	294
October	2.	363	2.	364	2.	370	2.	342	2.	250	3.	440
Nouember	2.	336	2.	344	2.	418	2.	380	3.	543	2.	285
December.	2.	405	2.	343	2.	325	2.	350	2.	350	2.	359
	3.	528	2.	263	2.	265	2.	142	2.	315	2.	305
	2.	294										
Summae	31	5460	26	4534	28	4952	26	4385	28	4789	30	5203
Mediae		1, 761		1, 744		1, 769		1, 683		1, 710		1, 732

Ex tabula tertia hic in medium proferimus singulas annorum medias Barometri altitudines annuas, una cum loco Apogaei lunaris, atque medias octo annorum altitudines Barometri pro XII. signis Zodiaci, relatas ad Lunam. Qua ex Epitome explorari potest, an Luna in atmosphaeram, simulque in Barometrum agat. Nam si agit, Barometri variationes ordinem quendam iuxta Zodiaci signa ser-

uare debere videntur, quae cum Lunae declinatione obliquitatem ac directionem virium, et cum directione efficaciam moderantur ac regunt.

Libra		Scorp.		Sagitt.		Capric		Aquar.		Pifces	
Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.
2.	450	3.	662	2.	438	2.	405	3.	504	2.	418
2.	400	2.	413	3.	577	3.	634	2.	428	2.	438
3.	488	2.	309	3.	400	2.	310	2.	352	2.	396
2.	290	3.	408	2.	335	2.	334	3.	572	2.	370
2.	312	3.	464	2.	298	3.	468	2.	284	2.	288
3.	522	2.	325	3.	498	3.	465	2.	357	3.	481
3.	510	3.	532	2.	324	2.	328	3.	491	2.	336
2.	342	3.	404	2.	338	2.	302	3.	453	2.	335
3.	550	2.	361	3.	545	3.	470	2.	314	2.	305
2.	316	2.	390	3.	595	2.	348	3.	558	2.	361
2.	296	3.	540	2.	335	2.	405	3.	619	2.	345
2.	365	3.	512	2.	280	3.	561	2.	428	3.	621
3.	574	2.	352	3.	595	3.	420	2.	334	2.	348
						2.	293	3.	452	2.	343
31.	5413	33.	5672	32.	5558	34.	5741	35.	6196	30.	5388
	1,746		1,719		1,737		1,689		1,689		1,738

Anni

Anni	Media Annua	Locus Apogaei Lnn.	Anni	Media Annua	Locus Apogaei Lun.
1725	1. 7374	Sagitt.	1749	1. 8064	Leo, Virgo
1726	1. 6805	Capr. Aqu.	1750	1. 8491	Libra
1727	1. 6833	Aqu. Pisc.	1751	1. 7767	Scorp Sagitt.
1728	1. 6887	Aries	1752	1. 8337	Sagitt. Capr.
1729	1. 7006	Taur. Gem.	1753	1. 8163	Aquarius
1730	1. 7368	Gem. Canc.	1754	1. 8493	Pisces
1731	1. 7223	Leo	1755	1. 7798	Aries, Taur.
1732	1. 7237	Virgo, Libr.	1756	1. 8166	Gemini
1733	1. 8027	Libr. Scorp.	1757	1. 7650	Canc. Leo
1734	1. 7186	Sagittar.	1758	1. 7890	Virgo
1735	1. 7531	Capr. Aqu.	1759	1. 8432	Libra
1736	1. 6937	Pisces	1760	1. 7850	Scorp. Sag.
1737	1. 7645	Aries	1761	1. 8230	Capric.
1738	1. 7912	Taur. Gem.	1762	1. 7913	Aquar.
1739	1. 7282	Cancer	1763	1. 7678	Pisc. Aries
1740	1. 6981	Leo	1764	1. 7561	Aries, Taur.
1741	1. 8022	Virg. Libr.	1765	1. 7685	Gemini
1742	1. 7656	Scorp.	1766	1. 8440	Canc. Leo
1743	1. 8286	Sagitt. Capr.	1767	1. 7687	Virgo
1744	1. 7721	Aquarius	1768	1. 8220	Libra
1745	1. 7846	Pisces	1769	1. 7896	Scorp. Sag.
1746	1. 7987	Aries, Taur.	1770	1. 7991	Capric.
1747	1. 8086	Gemini	1771	1. 8623	Aquar. Pisc.
1748	1. 7781	Cancer.	1772	1. 8179	Aries.

Mediae Barometri altitudines pro XII. signis Zodiaci.

Anni	Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo
Med. 8 Annor. a 1725 ad 1732.	1. 705	1. 712	1. 738	1. 707	1. 743	1. 745
Med. 8 Annor. a 1733 ad 1740.	1. 753	1. 758	1. 707	1. 718	1. 737	1. 767
Media 8 Annor. a 1741 ad 1748.	1. 781	1. 767	1. 784	1. 807	1. 785	1. 779
Med. 8 Annor a 1749 ad 1756.	1. 812	1. 832	1. 828	1. 786	1. 793	1. 822
Med. 8 Annor. a 1757 ad 1764.	1. 798	1. 784	1. 754	1. 774	1. 784	1. 793
Med. 8 Annor. a 1765 ad 1772.	1. 842	1. 818	1. 809	1. 764	1. 786	1. 776
Summae	85511	85371	84961	84457	85027	85467
Med. Med.	1. 7814	1. 7785	1. 7700	1. 7578	1. 7723	1. 7805

Anni	Libra	Scorpius	Sagittar.	Capric.	Aquar.	Pisces	Media Annua
Med. 8 Annor. a 1725 ad 1732	1. 741	1. 685	1. 662	1. 682	1. 698	1. 691	1. 7092
Med. 8 Annor. a 1733 ad 1740.	1. 755	1. 785	1. 757	1. 741	1. 721	1. 728	1. 7438
Med. 8 Annor. a 1741 ad 1748.	1. 782	1. 790	1. 805	1. 831	1. 799	1. 797	1. 7914
Med. 8 Annor. a 1749 ad 1756.	1. 809	1. 822	1. 844	1. 832	1. 800	1. 811	1. 8160
Med. 8 Annor. a 1757 ad 1764.	1. 792	1. 00	1. 815	1. 806	1. 795	1. 796	1. 7900
Med. 8 Annor. a 1765 ad 1772.	1. 871	1. 786	1. 779	1. 786	1. 837	1. 847	1. 8090
Summae Med. Mediarum.	85991 1.7890	85345 1. 7780	85292 1. 7770	85416 1. 7795	85192 1. 7749	85363 1. 7784	1. 7767

Finitis tabellis, melius methodus illas conficiendi explicatur. Cum Luna biduo vel triduo moretur in signis singulis, cum unumquodque saltem tredecim vicibus, quaedam etiam quattuordecim, intra anni spatium, pertranseat: colligendi erant dies, quibus in quolibet signo morata est, integri, et Barometri altitudines diebus isdem adnotatae; summae dierum ex una parte, et altitudinum Barometri ex altera parte, addendae, atque his per illas diuisis obtinebantur altitu-

 dines

dines mediae pro eo anno, respondentes Zodiaci signis. Sic altitudo Barometri signo arietis respondens anno 1725. digitum unum et millesimas 761. supra digitos 28 mensurae Londinensis efficiebat. Collectis duodecim hisce mediis, Summa per 12 diuisa, habetur media Barometri altitudo illius anni: 1, 7374. = 29 dig. $\frac{7374}{10000}$ lin. eodemque pacto reliqua signa reliquorum 47. annorum parata sunt. Tabulae similis pro sole constructae exemplum profert et auctor, et altitudines Barometri medias ex omnibus, Zodiaci signis respondentes, subiecit, pro Sole

Aries	= 1, 7031.	Libra	= 1, 7934
Taurus	= 1, 7045.	Scorpius	= 1, 7789
Gemini	= 1, 7242.	Sagittar.	= 1, 8061
Cancer	= 1, 7501.	Capricor.	= 1, 8296
Leo	= 1, 7370.	Aquar.	= 1, 8337
Virgo	= 1, 8109.	Pisces	= 1, 7584
Summae	= 1052, 98	Summae	= 1080, 01
Med. aestiua	1, 7549	— hyberna	1, 8000

Excessum altitudinum Barometri pro signis australibus multo maiorem quam pro signis borealibus, vel aestiuis, tribuit frigidae tempestati; experientia enim docet, atmosphaerae densitatem ac pondus a frigore augeri, ideoque Mercurium altius surgere in Barometro, qua de causa etiam matutinae Barometri altitudines vespertinis maiores in Summa deprehenduntur. Altitudo Barometri media secundum tabulam solarem est 1, 7776 = 29 Lond. poll. 7776, quae = 27 poll. Paris. $11\frac{1}{3}$ lin. pro mensura media, Patauii.

Quum maxime erecta atque imminens in atmosphaeram agat Luna sita prope Cancrum, eleuatio aeris, ceteris paribus, ideoque minima Barometri altitudo, maxima con-

tra

tra in Capricorno esse debet; atque crescunt altitudines in signis *descendentibus*, et decrescunt in *ascendentibus*, iuxta ordinatas curuae figurae quam autor, praeeunte Cl. Lamberto, construxit. In Axe exprimuntur signorum progressus; in ordinatis altitudines Barometri ex Tabulae numeris desumptae.

Jam de caussis anomaliae barometricarum altitudinum A. differit. Non enim mirari illas debemus, cum tot caussae peculiares ad Barometrum turbandum tam saepe concurrant, ut minores altitudines sint aliquando in Capricorno, ubi debent esse maximae; et maximae contra in cancro aliisque signis borealibus: quod forte indicare videtur, vim quandam peculiarem ac veluti affixam cuique signo esse. Ad ceteras anomalias quod attinet, eas autor non inepte comparari posse putat cum inaequalitatibus graduum Meridianorum terrestrium; ut de Barometro dici possit, quod de figura terrae, regulam quidem sequi, sed non exactam. Si longior annorum series praesto esset, fortasse anomalia omnis euanesceret. Indicia vero noua praebet Tabula sequens.

Nempe Tabula quarta, ex praecedente composita, atque diuisa est, ut secunda, in duas Partes. Prima pars comparationem continet altitudinum Barometri in signis australibus in Summas collectarum, cum Summis signorum borealium. Pars altera comparationem Summarum altitudinum barometricarum respondentium tribus signis circa locum Apogaei quolibet anno, cum Summis totidem ac similibus circa Perigaeum. Prima haec pars comprobat, Summam ultimam australium superare Summam ultimam borealium; ac licet excessus diurnus $= \frac{5}{1000}$ pollicis $= \frac{1}{17}$ lin. sit exiguus, tamen et respondet theoriae, nec casu inductus videtur, cum inter tot annorum ambages ac discrimina rerum emerserit. Numerus annorum etiam, quibus altitudines australes excedunt, superat numerum annorum, quibus deficiunt;

om-

ritate rerum, necessaria inprimis diurna obseruationum series videtur, ut causa perpetua ac generalis effectum suum, licet exiguum, tempore tamen quasi cumulatum, manifestare possit. Deinde obseruationum ipsarum circumstantiae eiusmodi eligendae, quae ad hanc Lunae in atmosphaeram vim atque actionem, si qua sit, prodendam atque detegendam aptae sint. Praesto auctori erat series insignis duodequinquaginta annorum, quibus fidere satis tutum videbatur. Methodum vero, qua obseruationes easdem ipse discussit atque contulit, sequentia, una cum tabulis inde concinnatis, docebunt. Antequam vero de Barometro obseruata profert, futurum credit non ingratum, cognoscere obseruata quaedam similia ad aestum maris pertinentia, quae ad obseruationes Barometricas viam sternent, et ad Tabulas hinc elicitas rectius intelligendas lumen quasi ac fundamentum praebebunt.

Tabula prima exhibet mensuras quasdam aestus maris, Venetiis ab anno 1751. ad annum 1755. obseruati; quibus in obseruationibus duo desiderantur: numerus annorum amplior, ut saltem nouennalem Apogaei lunaris reuolutionem integram complecteretur, et utriusque accessus diurni obseruatio; notum quippe, duos aestus diurnos plerumque inter se esse inaequales. Tabula prima exhibet summas aestuum, Lunae Apsides, Syzigias, et quadraturas obeunte, quinque diebus circa singulos hosce situs, in pedibus ac pollicibus mensurae Venetae, quae ad Parisiensem se habet ut 154. ad 144. Tabula haec duabus partibus constat, prima exponit peculiares summas singulorum mensium anni 1751, e quibus numerus eius anni medius elicitus est; quem in modum etiam quatuor sequentium annorum numeri collecti, atque ad extremum medii mediorum expressi,

Ae-

Aestus Maris in quinque Annis.

		Luna in Perigaeo Ped.Poll.	In Apogaeo Ped.Poll.	In Novil. Ped.Poll.	In Pr. Quadr. Ped.Poll.	In Plenil. Ped.Poll.	In Ult. Quadr. Ped.Poll.
Aestus Med.	1751	2. 1, 5	1. 10, 0	2. 4, 5	1. 5, 4	2. 3, 1	1. 6, 4
	1752	1. 8, 5	1. 7, 1	2. 3, 6	1. 4, 2	2. 5, 8	1. 3, 5
	1753	2. 4, 1	2. 0, 6	2. 7, 6	1. 5, 9	2. 5, 8	1. 4, 2
	1754	2. 5, 5	2. 1, 5	2. 4, 2	1. 1, 3	2. 3, 8	1. 4, 1
	1755	2. 0, 9	1. 10, 8	2. 0, 6	1. 5, 8	2. 4, 0	1. 4, 1
Aest. med. 5. annor.		2. 1, 2	1. 10, 1	2. 4, 1	1. 4, 1	2. 4, 5	1. 4, 5

Circa Perigaeum, ob accessum Lunae ad Terram, ceteris paribus, maiores maris aestus fiunt, quam circa Apogaeum, nisi si Apogaeum coierit cum aliqua Syzigia, vel sit prope alterutrum Aequinoctium. In Syzigiis, ob coniunctas Lunae Solisque vires, accessus fieri maiores debent quam in quadraturis. Aestus quadrantum mensibus aestiuis Sizygiarum aestubus aequales, aliquando etiam maiores reperiuntur. Aestiuo enim tempore Luna circa plenilunium percurrit arcus breuiores supra horizontem parallelorum australium; atque ita aestus plenilunii minimos iis mensibus tabella ostendit. Ex tabula patet, aestum Perigaeum esse digitorum 25, 2, Apogaeum 23, 1, ideoque excessum Perigaei esse tantum digitorum 3, 1, quae est octaua pars totius, quanta fere est differentia apparentis diametri lunaris a Perigaeo in Apogaeum: aestus vero Syzigiarum esse digitorum 28. 3. quadrantum 16, 3; ita illi elatiores sint digitis 12, et ad hos se se habent ut 7 ad 4; in quo tamen excessu partem sibi vindicat actio Solis.

Tabula prima aliam tabellam aestus maris secundum XII. signa Zodiaci, quatenus refertur ad Lunam, exhibet. Differentia declinationis Lunae differentiam aestuum inducit, ratione simul habita latitudinis geographicae; quare ceteris paribus maiores fieri debent aestus in climatibus bo-

realibus, dum Luna percurrit ſigna borealia. Maioris euidentiae cauſa expreſſit Auctor numeros Tabellae per curuam quandam regularem, conchadi ſimilem, in qua aeſtus ſingulis ſignis reſpondentes per ordinatas, progreſſus Lunae in ſignis per axem expreſſi ſunt.

Aeſtus maris medii ſecundum XII. ſigna Zodiaci, numeri quinque annorum medii ſunt ſequentes:

	Aries Ped poll.	Taurus Ped poll.	Gemini Ped.poll.	Cancer Ped.Poll.	Leo Ped.Poll.	Virgo Ped.Poll.	Libra Ped.Poll.
Aeſt. med.	1.11,27	1.11,30	1.10,70	1.11,49	2.0,12	2.1,03	2.0,14
	Scorp. Ped.poll.	Sagitt. Ped.poll.	Capric. Ped.poll.	Aquar. Ped.poll.	Piſces Ped.poll.	Aeſtus annuus	
Aeſt. med.	1.11,04	1.10,73	1.9,55	1.11,15	1.11,20	1.11,67	
Locus Apog. Lunae	1751 Scorp. Sagitt.	1752 Sagitt. Capric.	1753 Capric. Aquar.	1754 Piſces Aries	1755 Aries Taurus		

Ex his ſequitur: 1, ut minimus aeſtus exiſtat Luna Capricornum obeunte; 2, ut ſignorum auſtralium aeſtus minores ſint, quam borealium; 3, ut aeſtum Cancri, et auſtralium omnium, excepta Libra, et Borealium quoque aſcendentium, maximus ſit; ſed 4, ſuperetur ab aeſtu trium ſignorum deſcendentium, Leonis, Virginis, ac Librae. Indicat Auctor, adnotato Apogaei loco ſingulis annis, oppoſitum Perigaeum motu ſuo altiores aeſtus ſecum quaſi trahere a ſigno in ſignum: e. gr. a Tauro ac Geminis (1751.) ad Cancrum (1752.); ad Leonem (1753.); ad Virginem ac Libram (1754.); ad Scorpionem.) Simile quid videbimus accidere in Barometro. Ex obſeruationibus Dni Temanzae pro annis aliis, aeſtum tantum annuum adfert, quique inquit, aeſtus, ſi obſeruationibus fidendum ſit, confirmaret ho-

hominum querelam, aestus hisce annis proximis aliquantum Venetiis decrescere.

Aestus Annuus

Anno	1760.	ped.	2	dig.	1, 11.
—	1764.	—	2	—	3, 32.
—	1765.	—	2	—	0, 57.
—	1766. Jun.	—	2	—	0, 16.
—	1769.	—	2	—	1, 13.

Succedit similis tabella pro Sole, quatenus referuntur aestus ad stationem solis in signis; quae tabula ostendit, aestus hyemales maiores esse aestiuis quod ex alia causa repeti nequit, quam a vicinia maiore solis in Perigaeo constituti, fortasse etiam ab incitatione motus Telluris cum illa coniuncta, ex quibus etiam in Atmosphaeram impressiones ac turbationes quasdam maiores fieri verosimile est.

	Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo	Libra
Aest. med.	1. 9, 2	1. 9, 5	1. 10, 7	1. 10, 3	1. 8, 7	1. 8, 7	1. 10, 4
	Scorp.	Sagitt.	Capric.	Aquar.	Pisces	Aestus annuus	
Aestus med.	2. 1, 6	2. 1, 9	2. 1, 7	2. 1, 7	1. 11, 9	1. 11, 1	

Tabula secunda.

Haec et duae sequentes tabulae numeros continent pro Barometro, similes iis, quos prima pro aestu maris, sed ad tempus multo magis longinquum, nempe ab anno 1725. ad 1772. Scala Barometri est in digitis atque centesimis digiti partibus mensurae Londinensis. Sumpsit vero Auctor tantum excessum supra pollices 28, quantitatem omnium

communem, et quo nunquam Patauii Barometrum descendit; decimales vero in diuisionibus extendit ad millesimas, imo ad decemmillesimas usque.

Tabula secunda exhibet altitudines Barometri medias circa transitum Lunae per Apsides, Syzigias, Quadraturas. Cl. Lambertus iam (*Act. Heluet. T. IV.*) tabellam confecerat altitudinum Barometricarum circa Apogaeum ac Perigaeum Lunae, ex obseruationibus undecim annorum Norimbergae habitis; Auctor vero insuper e longioribus obseruationibus collationem similem suscepit pro Syzigiis et Quadraturis. Si Luna atmosphaeram nostram afficit, eiusque pondus mutat, si mutatio haec sensibilis est, differentia aliqua notari debet in Barometro diebus circa transitum Lunae per Apogaeum, a diebus circa Perigaeum. In Perigaeo, ob Lunae accessum ad Tellurem, Mercurius in Barometro descendere, circa Apogaeum vero ascendere debet. In Syzigiis atmosphaera a Luna atque Sole simul affecta, Mercurium minus premit, quam in Quadraturis. Quam vero mutationem nec in ipsis articulis, vel diebus, quibus Luna haec puncta transit, nec singulis vicibus constanter rediturам, exspectare oportet; nam atmosphaerae impressiones paulatim ac sensim disponuntur, et plurimae causae actionem, praesertim modicam, saepe turbant. Itaque et dies aliquot circa singula puncta sumere oportet ad obseruationem, Lambertus septem, Auctor vero quinque tantum sumsit, et multorum annorum adhibendae obseruationes sunt, ut tandem efficacia causae generalis, quamuis exigua, et saepe a causis particularibus turbata, satis euidens emergat. Hac occasiones illorum Physicorum obiectiones, qui conatum hunc, ad mutationem quatenus a Luna producitur in aere explorandam, inanem iudicant, refutare A. studet.

Cl. Lambertus in tabula sua, Apsidibus ac paucioribus annis circumscripta, deprehendit, pluribus quidem annis altitudines Barometri apogaeas maiores quam perigaeas extitisse; sed summam excessuum fuisse minorem defectuum summa,

ma, id quod negotium turbabat. Contra in tabula secunda Autoris nostri omnia mire consentiunt: nam et anni plures exhibent altitudines maiores apogaeas quam perigaeas, (nempe 31 supra 17) et summa excessuum summam defectuum longe superat. Altitudo Apogaei media est 1, 659; Perigaei 1, 612; ergo excessus pro simplici die est $\frac{47}{1000}$ digiti = $\frac{1}{2}$ lineae, quae augeri potest per dies saltem octo, ad quos apsidum actio extendi debet. Idem ferme obtinet inter Syzigias et Quadraturas, ut in Tabula videre est. Altitudo media in Syzigiis = 1, 773; in quadraturis 1, 788: differentia diurna paulo minor quam Apsidum (longeque minor quam aestuum maris) = $\frac{15}{1000}$ = $\frac{1}{6}$ Lineae.

Hac in tabula secunda, caeterisque, in peculiari columna, singulis annis locus in Zodiaco Apogaei lunaris est adnotatus. In tabula praesenti, quoad altitudines Barometri apogaeas ac perigaeas, patet, annos a lege generali aberrantes copulari cum aliquo ex quatuor signis, Piscium, Arietis, Virginis, ac Librae, atque hunc Apogaei situm anomaliam solitum inducere: cuius anomaliae causa in illa apsidum habitudine haec esse videtur, quod Luna agat non solum grauitando, sed etiam quasi per motum, quatenus, ob vim inertiae in atmosphaera, aerem super aerem cumulat, accessus ac recessus confundendo, quod idem contingere obseruauit autor antea in aestu maris. Eandem ab causam in Tabula sequente et altitudines Barometri sunt maiores iis annis, quibus apsides tenent aequinoctia; et prope autumnale altitudines sunt maximae, ob cumulum scilicet aeris ratione situs ipsius, et a signis aestiuis quasi congesti.

Defectus vero quadrantum, qui in secunda Tabulae parte paulo plures occurrunt, ii quoque comperiuntur plerumque cum apogaeo obeunte signa aequinoctialia, aliquando etiam solstitialia, praecipue Cancri. De primis idem dicendum, quod de anomalia obseruata ratione apsidum. De iis vero

vero annis, qui aberrationem coniunctam habent cum situ apsidum prope signa solstitialia, animaduertendum, Syzigias celebrari in quatuor signis aequinoctialibus, quae ad altitudinem Barometri augendam conferunt: quatuor aliis mensibus Syzigiae quidem occupant signa solstitialia; sed ipsarum alterutra, quoad vim prementem, quodammodo corrigitur ab Apogaeo, quicum coit, idque validius si circa Cancrum situm illud sit, ut vult obseruatio. Quaecunque vero sit, laudatus ille vir inquit, harum aberrationum causa, fluit ex iis tamen hoc, tanquam corollarium, Apsidibus Lunae, signa aequinoctialia ac solstitialia obeuntibus, iis annis anomalias accidere in aestubus atmosphaerae, ex quo anomaliae quoque in anni ac tempestatum constitutione expectandae sint; quod reuera contingere, saltem in annis intemperantia pluuiarum laborantibus, longa exemplorum inductione probari potest.

Tabula tertia altitudinum Barometricarum Summam singulis Zodiaci signis respondentium, pro numero dierum, quibus in iisdem morata est luna A. 1725, profert. Quum apsidum lunarium vis ad atmosphaeram afficiendam a situ ipsarum in Zodiaco quadantenus pendere videatur, ipsa Zodiaci signa aliquo sensu in Barometrum influere posse videntur, quatenus scilicet magis vel minus obliquam reddunt actionem Lunae, praesertim quoad peculiaria climata. Itaque Auctor altitudines Barometri singulis Zodiaci signis respondentes explorauit, et tabulam hanc condidit. Methodum eius conficiendae, ab Viro hoc celeberrimo descriptam, in aliorum usum uberius explicare studemus. Specimen laboris praebebit annus primus 1725, cuius tabella expansa haec est:

1725.

1725	Aries		Taurus		Gemini		Cancer		Leo		Virgo	
Menses	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.
Januar.	2.	423	2.	408	2.	375	2.	295	2.	432	3.	670
Februar.	3.	422	2.	428	3.	631	2.	410	2.	420	3.	636
Martius	2.	541	2.	345	2.	348	2.	396	2.	340	2.	338
Aprilis	2.	341	2.	340	2.	328	2.	284	2.	310	3.	450
Maius	2.	350	2.	359	2.	375	2.	375	3.	488	2.	320
Junius	2.	298	2.	350	2.	347	2.	347	2.	355	2.	376
Julius	2.	350	2.	316	2.	326	2.	326	2.	370	2.	360
August	3.	334	2.	322	3.	498	2.	336	2.	326	2.	370
September	3.	472	2.	352	2.	346	2.	336	2.	290	2.	294
October	2.	363	2.	364	2.	370	2.	342	2.	250	3.	440
Nouember	2.	336	2.	344	2.	418	2.	380	3.	543	2.	285
December.	2.	405	2.	343	2.	325	2.	350	2.	350	2.	359
	3.	528	2.	263	2.	265	2.	142	2.	315	2.	305
	2.	294										
Summae	31	5460	26	4534	28	4952	26	4385	28	4789	30	5203
Mediae		1, 761		1, 744		1, 769		1, 683		1, 710		1, 732

Ex tabula tertia hic in medium proferimus singulas annorum medias Barometri altitudines annuas, una cum loco Apogaei lunaris, atque medias octo annorum altitudines Barometri pro XII. signis Zodiaci, relatas ad Lunam. Qua ex Epitome explorari potest, an Luna in atmosphaeram, simulque in Barometrum agat. Nam si agit, Barometri variationes ordinem quendam iuxta Zodiaci signa ser-

 uare

uare debere videntur, quae cum Lunae declinatione obliquitatem ac directionem virium, et cum directione efficaciam moderantur ac regunt.

Libra		Scorp.		Sagitt.		Capric		Aquar.		Pisces	
Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.	Dies	Summae Alt. Bar.
2.	450	3.	662	2.	438	2.	405	3.	504	2.	418
2.	400	2.	413	3.	577	3.	634	2.	428	2.	438
3.	488	2.	309	3.	400	2.	310	2.	352	2.	396
2.	290	3.	408	2.	335	2.	334	3.	572	2.	370
2.	312	3.	464	2.	298	3.	468	2.	284	2.	288
3.	522	2.	325	3.	498	3.	465	2.	357	3.	481
3.	510	3.	532	2.	324	2.	328	3.	491	2.	336
2.	342	3.	404	2.	338	2.	302	3.	453	2.	335
3.	550	2.	361	3.	545	3.	470	2.	314	2.	305
2.	316	2.	390	3.	595	2.	348	3.	558	2.	361
2.	296	3.	540	2.	335	2.	405	3.	619	2.	345
2.	365	3.	512	2.	280	3.	561	2.	428	3.	621
3.	574	2.	352	3.	595	3.	420	2.	334	2.	348
						2.	293	3.	452	2.	343
31.	5413	33.	5672	32.	5558	34.	5741	35.	6196	30.	5388
	1,746		1,719		1,737		1,689		1,689		1,738

Anni

Anni	Media Annua	Locus Apogaei Lun.	Anni	Media Annua	Locus Apogaei Lun.
1725	1.7374	Sagitt.	1749	1.8064	Leo, Virgo
1726	1.6805	Capr. Aqu.	1750	1.8491	Libra
1727	1.6833	Aqu. Pisc.	1751	1.7767	Scorp Sagitt.
1728	1.6887	Aries	1752	1.8337	Sagitt. Capr.
1729	1.7006	Taur. Gem.	1753	1.8163	Aquarius
1730	1.7368	Gem. Canc.	1754	1.8493	Pisces
1731	1.7223	Leo	1755	1.7798	Aries, Taur.
1732	1.7237	Virgo, Libr.	1756	1.8166	Gemini
1733	1.8027	Libr. Scorp.	1757	1.7650	Canc. Leo
1734	1.7186	Sagittar.	1758	1.7890	Virgo
1735	1.7531	Capr. Aqu.	1759	1.8432	Libra
1736	1.6937	Pisces	1760	1.7850	Scorp. Sag.
1737	1.7645	Aries	1761	1.8230	Capric.
1738	1.7912	Taur. Gem.	1762	1.7913	Aquar.
1739	1.7282	Cancer	1763	1.7678	Pisc. Aries
1740	1.6981	Leo	1764	1.7561	Aries, Taur.
1741	1.8022	Virg. Libr.	1765	1.7685	Gemini
1742	1.7656	Scorp.	1766	1.8440	Canc. Leo
1743	1.8286	Sagitt. Capr.	1767	1.7687	Virgo
1744	1.7721	Aquarius	1768	1.8220	Libra
1745	1.7846	Pisces	1769	1.7896	Scorp. Sag.
1746	1.7987	Aries, Taur.	1770	1.7991	Capric.
1747	1.8086	Gemini	1771	1.8623	Aquar. Pisc.
1748	1.7781	Cancer.	1772	1.8179	Aries.

Mediae Barometri altitudines pro XII. signis Zodiaci.

Anni	Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo
Med. 8 Annor. a 1725 ad 1732.	1. 705	1. 712	1. 738	1. 707	1. 743	1. 745
Med. 8 Annor. a 1733 ad 1740.	1. 753	1. 758	1. 707	1. 718	1. 737	1. 767
Media 8 Annor. a 1741 ad 1748.	1. 781	1. 767	1. 784	1. 807	1. 785	1. 779
Med. 8 Annor a 1749 ad 1756.	1. 812	1. 832	1. 828	1. 786	1. 793	1. 822
Med. 8 Annor. a 1757 ad 1764.	1. 798	1. 784	1. 754	1. 774	1. 784	1. 793
Med. 8 Annor. a 1765 ad 1772.	1. 842	1. 818	1. 809	1. 764	1. 786	1. 776
Summae	85511	85371	84961	84457	85027	85467
Med. Med.	1. 7814	1. 7785	1. 7700	1. 7578	1. 7723	1. 7805

Anni	Libra	Scorpius	Sagittar.	Capric.	Aquar.	Pisces	Media Annua
Med. 8 Annor. a 1725 ad 1732	1. 741	1. 685	1. 662	1. 682	1. 698	1. 691	1.7092
Med. 8 Annor. a 1733 ad 1740.	1. 755	1. 785	1. 757	1. 741	1. 721	1. 728	1.7438
Med. 8 Annor. a 1741 ad 1748.	1. 782	1. 790	1. 805	1. 831	1. 799	1. 797	1.7914
Med. 8 Annor. a 1749 ad 1756.	1. 809	1. 822	1. 844	1. 832	1. 800	1. 811	1.8160
Med. 8 Annor. a 1757 ad 1764.	1. 792	1. 00	1. 815	1. 806	1. 795	1. 796	1. 7900
Med. 8 Annor. a 1765 ad 1772.	1. 871	1. 786	1. 779	1. 786	1. 837	1. 847	1.8090
Summae Med. Mediarum.	85991 1.7890	85345 1.7780	85292 1.7770	85416 1.7795	85192 1.7749	85363 1.7784	1.7767

Finitis tabellis, melius methodus illas conficiendi explicatur. Cum Luna biduo vel triduo moretur in signis singulis, cum unumquodque saltem tredecim vicibus, quaedam etiam quatuordecim, intra anni spatium, pertranseat: colligendi erant dies, quibus in quolibet signo morata est, integri, et Barometri altitudines diebus isdem adnotatae; summae dierum ex una parte, et altitudinum Barometri ex altera parte, addendae, atque his per illas diuisis obtinebantur altitudines

dines mediae pro eo anno, respondentes Zodiaci signis. Sic altitudo Barometri signo arietis respondens anno 1725. digitum unum et millesimas 761. supra digitos 28 mensurae Londinensis efficiebat. Collectis duodecim hisce mediis, Summa per 12 diuisa, habetur media Barometri altitudo illius anni: 1, 7374. = 29 dig. $\frac{7374}{10000}$ lin. eodemque pacto reliqua signa reliquorum 47. annorum parata sunt. Tabulae similis pro sole constructae exemplum profert et auctor, et altitudines Barometri medias ex omnibus, Zodiaci signis respondentes, subiecit, pro Sole

Aries	= 1, 7031.	Libra	= 1, 7934
Taurus	= 1, 7045.	Scorpius	= 1, 7789
Gemini	= 1, 7242.	Sagittar.	= 1, 8061
Cancer	= 1, 7501.	Capricor.	= 1, 8296
Leo	= 1, 7370.	Aquar.	= 1, 8337
Virgo	= 1, 8109.	Pisces	= 1, 7584
Summae	= 1052, 98	Summae	= 1080, 01
Med. aestiua	1, 7549	— hyberna	1, 8000

Excessum altitudinum Barometri pro signis australibus multo maiorem quam pro signis borealibus, vel aestiuis, tribuit frigidae tempestati; experientia enim docet, atmosphaerae densitatem ac pondus a frigore augeri, ideoque Mercurium altius surgere in Barometro, qua de causa etiam matutinae Barometri altitudines vespertinis maiores in Summa deprehenduntur. Altitudo Barometri media secundum tabulam solarem est 1, 7776 = 29 Lond. poll. 7776, quae = 27 poll. Paris. 11$\frac{1}{3}$ lin. pro mensura media, Pataui.

Quum maxime erecta atque imminens in atmosphaeram agat Luna sita prope Cancrum, eleuatio aeris, ceteris paribus, ideoque minima Barometri altitudo, maxima con-

tra

tra in Capricorno esse debet; atque crescunt altitudines in signis *descendentibus*, et decrescunt in *ascendentibus*, iuxta ordinatas curuae figurae quam autor, praeeunte Cl. Lamberto, construxit. In Axe exprimuntur signorum progressus; in ordinatis altitudines Barometri ex Tabulae numeris desumptae.

Jam de caussis anomaliae barometricarum altitudinum A. differit. Non enim mirari illas debemus, cum tot caussae peculiares ad Barometrum turbandum tam saepe concurrant, ut minores altitudines sint aliquando in Capricorno, ubi debent esse maximae; et maximae contra in cancro aliisque signis borealibus: quod forte indicare videtur, vim quandam peculiarem ac veluti affixam cuique signo esse. Ad ceteras anomalias quod attinet, eas autor non inepte comparari posse putat cum inaequalitatibus graduum Meridianorum terrestrium; ut de Barometro dici possit, quod de figura terrae, regulam quidem sequi, sed non exactam. Si longior annorum series praesto esset, fortasse anomalia omnis euanesceret. Indicia vero noua praebet Tabula sequens.

Nempe Tabula quarta, ex praecedente composita, atque diuisa est, ut secunda, in duas Partes. Prima pars comparationem continet altitudinum Barometri in signis australibus in Summas collectarum, cum Summis signorum borealium. Pars altera comparationem Summarum altitudinum barometricarum respondentium tribus signis circa locum Apogaei quolibet anno, cum Summis totidem ac similibus circa Perigaeum. Prima haec pars comprobat, Summam ultimam australium superare Summam ultimam borealium; ac licet excessus diurnus $= \frac{5}{1000}$ pollicis $= \frac{1}{17}$ lin. sit exiguus, tamen et respondet theoriae, nec casu inductus videtur, cum inter tot annorum ambages ac discrimina rerum emerserit. Numerus annorum etiam, quibus altitudines australes excedunt, superat numerum annorum, quibus deficiunt;

om-

omnia igitur ſatis belle conſentiunt. Idem ſimili modo ex tabella ſecunda colligitur. Nam et Summa trium ſignorum circa Apogaeum ſuperat Summam ultimam trium ſignorum circa Perigaeum, et numerus annorum, quibus Apogaei ſummae excedunt, maior eſt numero annorum quibus deficiunt, ut 29 : 19. Ex hac Tabula fluit veluti corollarium, circuitum quemdam fieri in conſtitutionibus annorum atque tempeſtatum, quod fuſius auctor in diſſertatione ſua *de recurſu annorum* probauit.

Differentiae altitudinum barometricarum paruae ſunt, et quidem primum conſtantes, deinde diurnae, quae per aliquot dies iterari, multiplicari, et quaſi cumulari debent. E. g. vis Apogaei = $\frac{1}{8}$ Lin. extendi ſaltem debet ad dies 8, quibus proinde Barometrum ſaltem linea integra attolletur. Integra item linea habebitur interuallo 15 dierum, quibus luna ſigna auſtralia percurrit. Si aberrationes in hac ultima tabula occurrentes comparentur cum loco Apogaei, reperies, Apogaeum ex annis 22 duodecies fuiſſe in ſignis auſtralibus, octies in borealibus; et rurſus ex annis 19 aberrantibus a regula undecies, fuiſſe in ſignis iisdem auſtralibus, octies in borealibus, ut dicendum ſit, obliquitatem Apogaei ipſius vim atque actionem in atmoſphaeram noſtram imminuere; cuius rei cauſa non eſt obſcura, ex ſuperioribus ab Auctore enarratis.

Sub finem in Tabula tertia adhuc nonnulla animaduertenda auctor proponit. I. Media Barometri altitudo Patauii eſt = 1, 7767, quae minus quam $\frac{1}{1000}$ differt ab ea, quam Tabula Solis ſupra praebuit; quae = 27 poll. $11\frac{3}{5}$ lineae menſurae Parienſis. II. Altitudines fere aequales, etiamſi annuae, non parum inter ſe differunt, exactis 8 vel 9 annis (ſecundum Apſidum reuolutionem) redeunt, velut annis 1733, 1741, 1750, 1759, 1768; item 1732, 1739; 1757, 1765; 1738, 1746; 1762, 1769, etc. citius adhuc anno

anno quarto, vel quinto, ut 1736, 1740, 1750, 1754; 1763, 1766 etc. III. Huiusmodi Barometri altitudines annuae, ordine recurrentes, respondent eidem fere vel aequipollenti habitudini Apogaei lunaris. IV. Altitudines Barometri mediae ab anno 1725, usque ad annum 1756, ab octennio in octennium, semper et gradatim crescunt; incrementum maximum ab anno 1740 ad 1748 deprehenditur; sed crescunt postea usque ad 1756, ubi quasi ad *maximum* pertingunt. Annis octo sequentibus amittunt paruum proximi octenni incrementum; sed ultimo octennio rursus crescunt, ut anno 1751. altitudo omnium maxima notata sit. In Summa priorum 24 annorum altitudo media est = 1, 7481; 24 posteriorum = 1, 8052. Horum ergo excessus est $1\frac{571}{10000}$ digiti = $\frac{7}{10}$ lineae pro diurna altitudine, quae differentia pro rei conditione certe ingens est habenda. Sepositis huius mutationis caussis aliis, auctori pondus aeris ipsius auctum fuisse videtur, cuius aucti ponderis caussam frigus increscens esse statuit; quam hypothesin obseruationibus Domini de Luc, Scheuchzeri, atque suis meteorologicis corroborat. Effectus alii grauissimi simul obseruati reticeri non possunt: videlicet, dies turbidi ac pluuii, quotannis multiplicati, venti frigidiores ac turbulentiores; et morbi vel noui, vel maligniores atque frequentiores; terrae sterilitas aucta; frigus ab anno in annum auctum, etc. Illud tandem cum Auctore celeberrimo, obseruationibus persuasi, credimus ac opinamur, et frigus, et quae ab eo progignuntur incommoda, omnemque intemperiem, periodos quasdam, legis participes vel expertes, longiores aut breuiores, habere.

PLUTARCHI CHAERONENSIS, QUAE superſunt, omnia, Graece et Latine, principibus ex Editionibus caſtigauit, virorumque doctorum ſuisque annotationibus inſtruxit, JO. JACOBUS REISKE.

Lipſiae, impenſis Gottl. Theoph. Georgi, CIↃIↃCCLXXIV. 8. 2 Alph. 8 pll.

Quod votis optarat nuper eheu! noſter Reiskius, ut ſibi liceret heroas, hoc eſt ſcriptores veteris aeui colere, ingenii eorum monumenta, vix a quoquam aſſequenda aut aequanda, aemulari, in ſinu geſtare, inſeneſcere his ſuauibus ac immori denique *) amicis; id ei contigiſſe, ſi negemus, iniqui ſimus. Nam quem ſponte ſua ab omni tempore acerrimum iſtius ſtudii, quod in legendis interpretandisque Graecis et Latinis ſcriptoribus verſatur, amorem ſuſcepiſſet, et prodendis ſcriptis plurimis et eximiis declaraſſet, admotus muneri, quo ingenuis adoleſcentibus utriusque linguae Auctores antiquos explicare iuberetur, recentem quotidie occaſionem eius alendi acuendique nactus eſt. Acceſſit ad ſtudia doctrinae facilius perſequenda auxilium rarum et ſingulare, oblata ipſi thori vitaeque pariter ac ſtudiorum ſocia, uxore, quam a ſe graecis litteris imbutam fidam ac commodam in legendo commentandoque adiutricem omni tempore habuit. Extremam votorum partem utique deſtitutam euentu, merito querimur. Nam vix ultra mediam aetatem progreſſum, valetudine, nimia contentionis aſſiduitate contracta, ac corpuſculo miſere affecto fractoque, extinctum lugemus. Induſtriae tamen pertinaciſſimae monumentis tot ac tantis, quot quantaque vel longiſſimi aeui homines, nec rudes illi aut ſegnes, vix prodere ſolent, ab ipſo quantumuis

*) vid. Carmen Annotationibus in Sophoclem praemiſſum.

tumpis breui aeuo confectis, viuit ac viget in eruditorum quorumcunque locorum ac temporum memoria et ore; nobis hoc unum optantibus, ut aequi mortuo contingant et memores meritorum aemulique virtutis quamplurimi.

Plutarchi nomen et fama semper tanta fuit apud omnes antiquae grauisque doctrinae cupidos, ut quidam siue quod est, siue quod ita putabat, ad ingenium alendum, ad variarum rerum scientiam augendam, ad animum emendandum, vel ceteris libris destitutus, hoc sibi relicto se satis instructum esse diceret. Hunc integritati restitutum, sibique redditum, ab negligentiae inscitiaeue maculis purgatum, curiose diligenterque cultum et expolitum, morti proximus nobis obtulit tradiditque Reiskius. Eximium vero donum, ambabus ulnis excipiendum! Utinam modo tota quatuor vel quinque volumina, vitas a Plutarcho conscriptas complexa, non unum tantum ipso superstite e prelo exissent!

Etenim sunt qui satius esse dicant, telam non pertexendam non attigisse, nihil promisisse, quam nunc hiantes repente destituere. Neque nos ii sumus qui Reiskii curam ita spernamus, ut non cum hoc Opere aeque ac cum reliquis, quibus Apparatu Demosthenico propemodum perfecto adornandis incumbebat, cum Dionysio Halicarnassensi, et cum ceterorum spe ac votis melius actum fuisse largiamur, si sui laboribus superesse, ac ultimam manum scriptis accommodare ipsi licuisset. At, qui Reiskium hoc in genere bene nouimus, tanto eum candore tantaque simplicitate fuisse confirmamus, ut sibi religioni duceret, opus aliquod moliendum condicere, quod non absolutum iam penes se ac repositum seruasset diu ante, quam euulgandum daret. Ergo sine ulla vel librarii, vel emtorum fraude atque damno, non solum institutorum operum alterum semper alteri Volumen sine mora succedet; sed adhuc alia noua, inprimis Libanium, quippe iam, ut superiora, prelo paratum, consequemur.

Erunt fortasse alii, qui sibi suspectam dicant operam, festinanter et tumultuarie susceptam. Demus horum aliquid sollicitudini, dum caussam edocti rectius iudicent. Largimur id, quod bene editor ipse fatetur, repentinum ac subitum consilium Plutarchi edendi intercessisse sibi aliis laboribus distracto: neque tamen id sponte captum, sed librarii, quem Reiskium librorum per se recudendorum potissimum moderatorem habere iuuaret, precibus et flagitatione denique obiectum et expressum. Destitutum se sua culpa ab apparatu critico in Plutarchi scriptis recensendis fuisse, ingenti cum dolore queritur, codice manuscripto Demosthenis orationes, adiunctis Plutarchi Vitis, complexo, Monachium, unde fauente fortuna ad aliquot annorum usum acceperat, ut taedio dominorum, suam rem diutius abesse aegre ferentium, occurreret, sine ulla huic quidem labori profutura usura remisso. Nec dissimulamus, quod ipse prodit, qui Plutarchi scripta moralia crebro nec perfunctorie iam dudum legere coepisset, Vitarum tamen ad lectionem adhuc neglectam, nunc demum tradito sibi editionis earum gubernaculo accessisse. Arduum nimirum etiam ei, qui hoc unum agat, est, omnem numerum bonorum scriptorum legendo percurrere: aliquanto difficilius, omnia eorum sic legere, ut fructus illius lectionis cum tibi constet, tum aliorum ad utilitatem exuberet. Nec ullos umquam ea res contemtores habuit nisi eos, quos alieniores ab omni humanitate vel natura formasset, vel institutae vitae tenor effecisset.

Quidquid est cauti et recti amantis utilitatisque rei litterariae publicae cupidi, in hoc toto negotio is laudem tuetur. Primum quidem nefas illud prohibendo, quo minus alius quisquam ad quiduis audendum paratus et proiectus, ad id quod ad laudem suam et ad utilitatem communem valiturum sit, tardus et ineptus, lucro inhians, condicta subito opera, Plutarchi scripta nihilo quam olim meliora ornatioraque, quin etiam turpiora deterioraque, in publicum protruderet, eaque vanitate leuitateque doctiorum in hoc scriptore

per-

perpoliendo conatus ad longum tempus retardaret et sufflaminaret. Deinde paratis opibus, pro temporis et consilii ratione, ita utendo, ut eum decebat, qui in angustias quamuis arctas compulsus, tamen, utpote nec rudis, nec inexercitatus, quid res, quid ratio exigeret, obseruare meminisset.

Quaerat igitur aliquis, quibus demum opibus ad ista paranda sit usus, quidue iis effectum sit. Paucis utique, quis neget, iis nimirum quae Bryanus et Solanus coegissent: tum vero etiam Juntinae et Aldinae editionis collatione: ingenii denique felicis sagacitate et acumine, quo paratissimum eum fuisse nemo dubitet. His effectum est id quod sibi proposuerat, ut Plutarchi scripta, aberrationibus deprauationibusque per annorum centurias aliquot obsita, hac vice correctiora integrioraque haberemus: quod et in Praefatione exposita quaedam specimina ostendunt, et adnotationes ad calcem cuiusque Voluminis collocandae demonstrant.

Nimirum, quarta haec est Plutarchi Vitarum editio, quae tribus antiquis, Juntinae, Aldinae, Stephanianaeque successit; cum eae omnes, quae tantum imitamenta sunt alicuius superioris, nec quidquam nouae laudis ac propriae afferunt, editionum nomen tueri vix possint.

Juntina princeps, anno aerae christianae 1517. Florentiae excusa, praefationem sibi habet praemissam Juntarum, gratias agentium Marcello Vergilio, quod eius auctoritate ista editio prodita sit et ex optimo exemplo ducta; unde intelligitur, istum virum cuius latina Dioscoridis interpretatio nota est, suum codicem Juntinis operis exprimendum obtulisse. Inter alia his verbis utuntur: „hoc tamen ausim affirmare, „qui has Plutarchi Vitas nuper excusas legerit, scatebant e„nim ante plurimis mendis, et ideo multis locis non poterat „verus sensus elici; propter infinita tot illustrium romano„rum graecorumque virorum exempla, quae in illis passim „inueniuntur optimum vitae suae institutum esse acquisi„turum.“ Haec, quamquam hiulca fere in ceteris, et parum latina, tamen sententiam non prorsus imperuiam fundere

nobis quidem videbantur, si *nuper excusas* Plutarchi Vitas accipiamus pro nunc demum excusis, ut adeo modo curata ista Juntina editio intelligatur. Nam V. Cl. referebat ad editiones paullo ante editum Juntinum exemplar curatas. Quamquam, cum Graeca editio hac prior non exstet, reliqua, in quibus de mendis est, quae superiores occupent, ad latinas interpretationes commode applicantur.

Aldina, cui praefuit M. Musurus, biennio post Venetiis expressa successit. Qui, quamquam in Codd. Venetis, quos ad illud opus castigandum adhibuit, tractandis, satis accuratus ac diligens fuisse videatur, tamen, quas lectiones e codicum auctoritate, quas ex ingenii lubricitate proferat, qualia eum multa inseruisse suspicione non caret, obscurum est; consuetudine istorum temporum sic ferente, ut absque longiori indagatione securos hoc alios latere vellent. Haec igitur, quamquam emendatior ac plenior, tamen, deficiente nonnumquam recto iudicio, multo minoris quam Juntina pretii lectiones exhibet. In ordine vitarum digerendo, ab altera harum editionum altera differt. Juntina ordinem temporum negligit: Aldina seruat, nisi quod vitiose cum Aristide Catonem Uticensem, cum Phocione Maiorem Catonem iungit; nam inuerso ordine cum Aristidis Vita Catonis Maioris, cum Phocionis Catonis Minoris seu Uticensis comparanda erat, ut in Juntina factum est. In Praefatione Asulanus Euagoram et Agesilaum omittendum fuisse scribit, quod ille Isocratis sit, hic Xenophontis; in quo altero falsus est, nam Agesilaus Plutarchi sane genuinus est fetus, et diuersus ab Xenophontio. Quod vero in Demosthene factum est, ut ex eadem officina Aldina, eodem anno, duo diuersae eiusdem libri prodirent editiones, idem, ne in Plutarcho factum esset, iam dudum suspicabatur V. Cl. donec tandem in eos Bryani adnotationum locos incidebat, in quibus utraque Aldina diserte laudaretur. Post certis indiciis cognouit, penes se iuniorem Aldinam esse; discrimen autem, quo utra-

que

que ab Juntria differt, in iuniore maius quam in vetere videri.

Hanc sequitur Basileensis, quae, praeterquam quod illud Aldinae in digerendis Vitis memoratum vitium correxit, leuicula etiam quaedam eiusdem operarum errata emendata reddit. Sed eius tantum in partibus et obiter inspectae certum se laudatorem praebere non sustinet V. Cl. qui etiam, posteriorne Basileensis 1560. prodita, qua prorsus caruit, utrum quaedam nouarit, an priori fideliter conformata sit, in medio relinquit.

Stephanus, cuius editio a. 1572. per tredecim minoris formae volumina distributa Geneuae prodiit obtinuit, ut quam Plutarcho formam dedisset, ea ipsi adhuc semper integra maneret, editoribus, qui ei succederent, quasi ex pacto, ab inducta per eum lectione ne latum quidem unguem discedentibus. Atqui is nonnumquam antiquas et probas lectiones suo arbitratu mutarat, v. c. T. V. ed. Lond. p. 309. 3. pro δικαςὰς καθίσας, quod verum et probum, δικαςὰς καθιςὰς est commentus; et in iis, quae vel ex Codd. adsciuisset, vel ex se protulisset, indicandis, non fidus satis et candidus fuerat. Nam, quod satis constat, et a Bryano quoque admonitum est, silens mutauit, quae olim rectius haberent. Qua in re inter reliquas laudes iustissimas, parum laudabiliter egit. Suspicio est, eum parum vel numquam Juntinam et Aldinam editionem inspexisse. Mirandum tamen, cur ab Aldina ad Juntinam, a nemine eo tempore visam, deflectat. Quoniam autem Stephanum, exemplar Basileense a se castigatum operis suis recudendum dedisse scimus, intelligitur, Aldinam, e qua exemplar Basileense ductum, nostrarum esse editionum fontem.

Sed, ut, unde degressi sumus, reuertamur, habentur in hac Lipsiensi editione Animaduersiones, sicut ex Parisina, Rualdi, in quibus si quid a Plutarcho vel in historicis, vel in antiquitate, vel in alio quo genere grauius esset peccatum, id cum aliorum Scriptorum auctoritate comparatum, ne te-

mere

mere arripiatur, ostenditur; ita ex Londinensi Bryani integrae, cui editioni et ipsi sua vitia non desunt. Praeterquam enim quod Parisinum exemplar ante quam operis suis traderet exprimendum, perlustrare, et, quibus scatet, mendas eliminare non curauit, Variarum quoque Lectionum congeriem ex eiusdem editionis instrumento, non solum integram seruauit, sed etiam eadem, ut bis praeter necessitatem legenda essent quae illic legantur, in notis quoque interdum retulit. Id ut emendaretur cura fuit, simul Codicis Sangermanensis lectiones paullo serius Britannis transmissae suis loculis inseri coeptae. Opera quoque data est, ut incondita moles Vulcobianarum lectionum, editioni Francofurtanae primum ex Aldinae editionis exemplo, cui Vulcobius adpinxerat, annexa, aut prorsus eliminaretur, aut valde pauca eius remanerent. Nam quod in hoc primo Volumine huic consilio nondum plane satisfactum est, cum quam parum bonae frugis ista merx praeberet minus adhuc esset cognitum, id ut in ceteris fieret prouisum est. Arguta sunt, quibus Cel. Editor suum de his lectionibus iudicium declarat. „Cum non mirer, scribit, bestiam fuisse humana forma „indutam, quae mendarum ista monstra in chartas euomeret, tum miror Vulcobium, seu quisquis alius fuit, ita fuisse „stomachi validum, ut ista lamberet, et editores miror, qui „a Franckfurtanis accepta, per Parisios, per Londinum circumgestata, tandem tantos post circuitus et orbe ducentorum pene annorum peracto, Lipsiam quoque pertulerunt. — „Solent Graeci Romana praenomina nominibus postponere, „E. c. pro M. Lucullo dicunt Λεύκυλλον Μάρκον. Ex hoc nomine librarius ille, cuius calamus codicem exarauit, unde „tot mendarum plaustra Vulcobiana sedulitas, male quidem „illa feriata, conuexit, Λεύκυλλον μάρτυρα effecit. Habete „vobis, vos Bollandistae, nouum hunc Sanctum, nouum martyrem Lucullum, ἀγαθῇ τύχῃ adscribite choro vestro, in „Acta eius inquirite.“ Porro in variarum lectionum indicibus saepe recursitans A litera, Amioti ne, an Aurati, an

Ano-

Anonymi interpretationem habeat, incertum eſt. Cum A-nonymi quidem verbo ſaepe eſt in hac editione iuſſu editoris ab operis permutata. Sunt autem bonae notae plerumque, nam aliae quoque diuerſi generis. An ex Mſſ. quaedam ſint illuc relata, dubium; at multae inſunt coniecturae, ut videntur Aurati, in praelectionibus ſuis in optimos quosque Auctores Graecos, Pariſiis publice habitis, propoſitae; e quibus Scaliger, Muretus, Canterus, Stephanus, alii, profeciſſe dicuntur, ſiue, ut ſcite V. Cel. ſcribit, Aurati pallium dilaniaſſe. Quae ex exemplo Plutarchi litera A ſignato, referuntur lectiones, eaedem eſſe cum iis perhibentur, quas Dorvillius reperit in exemplari, quod olim penes M. Muretum fuerat, nunc in Bibliotheca Leidana publica ſeruatur.

Codicibus Britannicis quibus Bryanus uſus eſt, reliquisque, quos VV. DD. inſpexiſſe ſcimus, parum Editor adiumenti ad elimationem Plutarchi tribuit, veretur que ut plures bonae notae codd. praeter eos, quos Junta et Aldini uſurparunt, uſquam exſtent.

Actum etiam illud eſt, ut Annotationes Stephani, Cruſerii, Xylandri, Palmerii, non ſic ut a Bryano mutilatae, ſed integrae et plenae redderentur. Placuit quoque in interiore quaque pagina numeros paginarum editionis Londinenſis ſeruare, ut quos Bryanus et Solanus laudant numeros qui mutari non poterant paginarum non eſſent inutiles hac ſola editione utentibus.

Adnotationum conſcribendarum prima quidem lex fuit haec, ſi quid a vulgata, hoc eſt ab exemplo Londinenſi, diſceſſum eſſet, cauſſa facti indicaretur, ſiue illa in Juntinae Aldinaeque editionis auctoritate poſita, ſiue ad coniecturam referenda. Altera, ut coniecturae quidem euidentioris cer-

titudinis in Graecam Plutarchi orationem illatae, propoſita quoque priore lectione, commemorarentur, ut cuique eligendi et iudicandi poteſtas foret. E quo genere eſt, cum in Camillo c. 4. Plutarchus commemorat ἄνθρωπον ἔμπειρον τε λόγων παλαιῶν κὶ τι πλέον εἰδέναι τῶν ἄλλων ἀπὸ μαντικῆς δοκῦντα, ubi dedit λογίων, quod hic de vaticiniis ſermo ſit; ſed illud tamen ſeruandum putet, qui ad famam vetuſtam etiam vetuſta oracula referri cogitet. Sic in Themiſt. c. 31. init. pro εἶδε δὲ καὶ ἐν Μητρὸς ἱερῷ repoſuit ἐνδὲ καὶ ἐν Μητρὸς ἱ. Eleganter, de quo nemo dubitet, ut ſententia haec ſit: in his ſimulacris dedicatis etiam ſpectauit in fano Matris Deum. In Pericl init. ſublatum turpe mendum, quod adhuc omnes editiones obſederat, quo poſt verba ἀρ' ὧν ἐπεὶ addebatur κυνῶν τέ καὶ πιθήκων ἔκγονα, quae nihil aliud ſunt quam varians lectio vocabulorum illorum quae prima ſtatim linea huius vitae leguntur, κυνῶν τέκνα κὶ πιθήκων. In Poplicola p. 435. legitur nunc: κὶ μὴν καὶ πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις προσῆλθεν, antea enim προῆλθεν, quod tamen et ipſum eſt: acceſſit ad rempublicam. Nam ad rempublicam accedentes debent prodire in concionem, agere cum populo, idque eſt προέρχεσθαι, verbo proprio. Quae vero coniecture nonnihil dubitationis habiturae viderentur, in annotationes ſolas coniectae reperiuntur. Sic in Themiſtocle c. 10. σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμὺς ἐπῆγεν αὐτοῖς, ambigit, an cum ἐπῇδεν, occinebat, permutandum ſit. Nobis ἐπῆγεν non mouendum, et maiorem vim ab illo adhibitam indicare videbatur. C. 11. αἴρειν δὲ βυλομένου, malit ἀπαίρειν. Atqui etiam αἴρειν pro *aliquo abire* ſaepe obuium, et in Gloſſariis antiquis hoc per alterum explicatur. In eadem vita c. 26. ubi commemoratur ſomnium Themiſtoclis quo ſibi viſus eſt apparere ſerpens circumplexus collum γενόμενον δ' ἀετὸν ὡς ἥψατο τοῦ προσώπυ, qui ſimulac os tetigiſſet, *veniſſe aquilam*, unde legendum putat παραγενόμενον. Sed etiam γίνεσθαι ſaepe ponitur pro altero παραγίνεσθαι, pro Venire, Aduenire, paullo exquiſitius.

Quod

Quod ad tertiam legem notarum attinet, quae pertinet ad locorum verborumque illustrationem, breuitatis studio addictus, et temporis angustiis constrictus, iis, quae viri docti in scriptis passim ad Plutarchi illustrationem attulissent, proponendis et diiudicandis, eas dilatare et instruere non sustinuit, nec pluribus exemplis congerendis operosiores illas quibus nonnulli se iactant, diuitias exstruxit. Nam huic generi commentandi se per omnem vitam exosum fuisse profitebatur; et, quamquam non ineptus ad illud etiam usurpandum, nec ita destitutus a copiis, quidquid luxuriantius se efferre et latius diffundere putaret, consulto recidebat. Sic cum λαβεῖν δίκην in Solone c. 18. tuetur contra Salmasium, qui λαχεῖν δίκην emendarat, simpliciter monet, λαχεῖν τινι δίκην, *iure cum aliquo contendere*, sententiam loci non admittere: sed λαβεῖν τῷ ἀδικουμένῳ δίκην, *contendere ut vim passo, ab eo qui vim obtulisset, satisfiat*, id quidem ad rem facere. In quo tamen aliquis doceri velit, an λαβεῖν δίκην τινι formam Graeci agnoscant, praesertim cum eius interpretatio a sententia illius formae nullo modo, nec a conuenientia orationis, abhorreat. Quae autem ad superiorum interpretum sententiam refellendam pertineant, non nominatis diuersae opinionis auctoribus, passim inmiscuit. In Theseo c. 20 μικροὺς ἀνδριαντίσκους defendit contra Bryannum, qui μικροὺς ἀνδριάντας praeferebat; e Cato. Mai. c. 1. fin. ubi μικρὸν ὀνάριον, et Paeanii Metaphrasi Eutropii init. ubi ἐλάχιστον πολίχνιον habetur. Deminutiuis nomina adiectiua, ad magis minuendum, a Graecis addi solere, pluribus poterat magisque idoneis exemplis doceri; quae qui desideret, videat Cl. Fischeri Animaduers. ad Vuelleri Grammat. p. 133. sed id non agebat. Bryano tantum occurrere volebat. De Celtis usurpatum κειρόμενοι a Simulo poeta, in Romulo c. 17. ita tuetur, ut sit omnino *lugere*: nam potuisse poetam barbaris illis, arbitraria fictione, tribuere suae gentis morem. Multum iuuerint ad illustrandam hanc rationem Virgiliani loci, qui hoc mo-

do unice intelligendi, et ab Interpretum argutiis vindicandi sunt, ut monitum meminimus ab accuratissimo Heynio; sed Bryanum istis petebat, qui, quod in hoc loco offenderet, κτεινάμενοι legendum existimabat.

Ac breuitatis quidem ubique fere tenacem, nonnunquam tamen praeter necessitatem verbosiorem reperias. Talem videmur nobis agnoscere, cum verbum γνωρίζειν explicat p. 785. ubi, iam non contentus scripsisse significare: aliquem alteri notum facere: exemplo insuper sutoris calcearii, vel sartoris vestiarii, filium ad ludi litterarii rectorem adductum, disciplinae scholasticae commendantis utitur. Et quo loco vocabulum ὀροφὴ intelligendum esse monet, non de tecto domus totius, sed laqueari, siue de tabulatis, oecos et triclinia inumbrantibus, p 804. germanicis eadem verbis repetit.

Quae leguntur in Romuli vita c. 23. verba: οἱ δὲ ὡς Θεῷ χρώμενοι, εἰς πᾶσαν εὔνοιαν θαυμάζοντες διετέλουν, ea non expedit. Dictionem duram et obscuram esse sentit, et, quid est, ait, Θεῷ χρῆσθαι εἰς πᾶσαν εὔνοιαν; quid εἰς πᾶσαν εὔνοιαν θαυμάζειν; expediant alii. Coniicit autem, vel, καὶ πᾶσαν εὔνοιαν sc. αὐτοῦ, Romuli, θαυμάζοντες διετέλουν, vel καὶ εἰς πᾶν, i. e. ἐν παντὶ σὺν εὐνοίᾳ θαυμάζοντες διετέλουν. Nobis videbatur, saluis, quae adhuc leguntur, verbis, εἰς πᾶσαν εὔνοιαν θαυμάζοντες διετέλουν significare, eum, Romulum, propter summam lenitatem, amorem, et beneuolentiam, constanter colebant. Nam εἰς est *propter*: ut in illa forma, ἐπαινεῖν τινα εἰς τὸ κάλλος: εὔνοια, *amor*, *beneuolentia*, apud Aristoph. Plut. 785 in scholio Codicis Dorvilliani explicatur ἀγάπη. Cf. Bergler. ad Alciphr. p. 390.

Dubitauimus etiam de interpretatione verbi ἐπιθειάζειν. In vita Camilli c. 31. verba sunt: — καὶ τόπων ἁγίων ὡς βωμύλεις

Γαμόλος ἢ Νυμᾶς ἤ τις ἄλλος ἀυτοῖς τῶν βασιλέων ἐπιθειάσας κα;έδωκεν, haec explicat: „cum inuocatione atque obtestatione numinis, prosperitatem rerum omnium iis largituri sacra illa salua et inuiolata seruantibus, contra vero saeuam ultionem in eos exsecuturi, si qui sacra illa culpa sua violari aut perire sinant.“ Nobis, ἐπιθειάσας non plus indicare videbatur, quam *instinctu diuino, monitu, iussu diuino.* Certe sic aliquoties est apud Philonem in libro de Vita Mosis tertio, v. c. p. 692. ἐπιθειάσας, φησὶ, i. *deo plenus, motu diuino agitatus: oracula fundens* etiam p. 694. ubi permutatur cum θεοφορηθείς. Quo verbo θεοφορεῖσθαι Grammatici veteres utuntur ad explicandam, quae eamdem vim habet, formulam ἔνθεον εἶναι. Ibidem mox sequitur: λόγιον — ὅπερ ἀυτὸς πάλιν κατασχεθεὶς ἀνεφθέγξατο.

Neue gesellschaftliche Erzählungen rc.

i. e.

NOVAE RELATIONES AB AMICORUM SOcietate collectae, et scientiae naturalis, oeconomicae, medicae et morum cultoribus dicatae.

In 8. maiori Pars I—IV. 4 Alph. 8 plagg. cum 12 tabb. aeneis, 4 Voll. Lipsiae apud Ad. Henr. Holle, A. 1759—1763.

Hamburgi quatuor Voluminibus ante plures annos confectae *relationes sociae, nouarum sub* quidem titulo prodeunt, nihil tamen continent, nisi quod illarum fuit summa, hoc est utile ac iucundum in physice, in oeconomia, in arte salutari, atque in ethice. At earum tamen editori, *JO. DAN. TITIO,* apud Witebergenses primum Mathematum,

iam vero Physices Professori, placuit, huius instituti fines aliquo modo emendare, ita ut, quae ad physicen pertinent, principem locum obtineant; ut, quaecunque proponuntur ac tractantur archetypi sint, et peregrinorum praecepta aut inuenta in linguam patriam non quidem conuersa, sed potius strictim et in compendio; et si quis commentarius, ad oeconomiam pertinens, scitu necessarius atque utilis, in libris theotiscis iisdemque obsoletis reperitur, exhibeantur; denique, ut narrationes siue ex historia, siue ex ethice depromtae, narerentur atque interdum inserantur. Secundum has regulas quatuor composita sunt Volumina, quorum argumenta breuiter strictimque commemorare lubet Primum naturales causae deteguntur, quae impediunt, quo minus regelantia flumina sine hominum ope extra ripas diffluant. Reperiuntur autem et initio progressuque gelu, et dum glacies dissoluitur. Illud fit, quando frigus incipit, et nix simul cadit, quando una cum frigore sensibilis insurgit ventus, qui per aliquod saltim temporis spatium impedit, quo minus flumina stagnent, quando auster atque continui aquilones, itemque aridi venti, deficiunt, quando leniter ningit, seu rara nix cadit Hoc fit, quando temperante vento ac sicco, leniter et per aliquod continuum temporis interuallum glacies soluitur, quando fluuius ipse non stagnat, quando ventorum flatus ipse fluuio non aduersus est, quando regelando procella non oritur, quando fluuius ipse nec siccus est, nec quibusdam in locis angustus, nec sabulo obrutus. Gedanensis Philosophus, nuper pie defunctus, *Hanouius*, in eburnei dentis, cui globulus aeneus infixus haesit, naturam inquirit. Pluuiam raram, at spissam, at lenem, at continuam, maiorem prae imbre adferre utilitatem, partim ex foecunditate eius, id quod ex gutturnii atque fontis salientis manualis usu euidentius fit, partim ex obseruationibus demonstratur, quae declarant, pluuias raras maiorem guttarum multitudi-

nem

nem ac m[illegible]udinem in se continere. Variae Sacchari in potu The[illegible]i mutationes, itemque quid in euaporationibus aquae e[illegible]dem potus obseruatum fuerit, commemorantur. Quid scientiae actiuae in arte tormentaria excolenda et demonstranda praestent, variis exemplis, uti ab glandibus plumbeis, pilisque ferreis puluere fartis nitreo, depromtis, ab ill. *KAESTNERO*, Consiliario aulico et Professore Goettingensium celeberrimo, docetur. Simulacra variarum herbarum, uti utriusque filicis adianti, lonchitidis, callitrichi, pariter ac quarundam arundinum, earumque culmorum in lithanthracibus impressorum, itemque frustra morum ac radicum transmutatorum in lapides, quae in pago Reinsdorff, propter Zwiccauiam, olim reperta fuerunt, Cl. *Schultzius*, med. practicus Dresdensis, fato iam functus, depingit. De lapidum atque arenae characteribus iuxta ac origine accuratius agitur; methodus, qua lapides percipi et dignosci possunt, sentibus commendatur; arenam seu argillam lapidum originem esse negatur, probatur potius quoddam terrae genus. Quaedam de vento paschali praeiudicata opinio impugnatur. Amiilum sub libero coelo in aere non grauius fieri asseritur. In ventre, in extis, in intestino recto bestiarum quarundam, ut vitulorum, vaccarum, equorum, pilas crinitas, seu aegagropilos, repertas esse, quae lambendo oriuntur, commemoratur. Anatem quamdam, quae Lumme vocatur, describit Cl. Hanouius. Natura atque indoles siliquae dulcis exponitur. Clarissimi olim *KLEINII*, Secretarii Gedanensis, stemmata auium edenda indicantur, atque accipitres exempli loco proponuntur, exquibus aquila in tabula aenea sistitur. Variae ad physicen remque oeconomicam pertinentes obseruationes interseruntur. Qua ratione pinus semen maiori fructu, quam Anglus Trowellius suasit, seminari possit, docetur. Supra laudatus Schultzius quasdam lapidis Bononiensis attributiones detegit. Lixiuium ex sarmentis,

tis, ouum recens, et si haec desiderentur, quodlibet lixiuium, aut fortasse urina, tanquam remedium contra panaritium laudatur. Iterum laudatissimus Schulzius singulare prorsus vulnus in sinistro lacerto, quod ex bombardae manuariae ictu ortum erat, describit, atque in tabula aenea depingit. In pago Colochauia, prope Wittebergam, stramineum fasciculum, viridia tibialia, atque genualia rubra sericea, inconsumta post 70 annos in sepulchro fuisse reperta, refertur. Laricem igne consumi, contra communem opinionem, demonstratur. Lapides, trochleis similes, quos Robertus Plot, Anglus, describit, recenset, eorumque originem exponit Schulzius. Secundum Linnaei Systema Naturae nullum verum naturalium musaeum condi, ex scriptis, *FISCHERI*, Professoris antehac Regiomontani, ostenditur. Quaedam in lagena vitrea congelatae aquae phaenomena explicantur, et nonnulla experimenta cum lixiuio cinerum clavellatorum, atque aliis liquoribus fortioribus, in frigore institutis, commemorantur. Raram ardeam, cristam in capite gerentem, describit Hanouius. Pisces in piscina ut hieme possint conseruari, remedia commendantur. Basaltem, eius columnas, quae in variis terrae Saxonicae locis reperiuntur, describit Schulzius. Et urtica marina, et paedam rubra penna marina, depinguntur. Praeter moxam, puluis ex chamaepytide, itemque artemisiae lana, tamquam remedia contra podagram commendantur. Qui cerae candidentur, atque optima terra ad alendos flores praeparetur docetur. Lunae lumen calefacere, negatur. Quaedam spuriorum genera, praesertim in mulis, commemorantur, et regionis Dresdensis nonnulla naturae singularia. Cornicem coerulean Hanouius describit. Ex radicibus Solani esculenti farinam parari salutarem, panemque candidum pinsi posse, a Titio docetur. Schulzius obseruat, polypos brachiis similes, seu brachiis multis instructos. Demonstratio exsistentiae Dei ex perfectissimi entis notione desumta exa-

xa-

xaminatur, et reiicitur. Venena ſenſim necantia indicantur. Saliuatio, ut remedium contra hydropen ventris, laudatur. Indiuidua naturae qui augeantur, qui oriantur, docetur. Catalogus, Lipſiae ab anno 1717. ad 1757, Leucopetrae ab anno 1700 ad 1757. matrimonio iunctorum, natorum, mortuorumque, producitur. Rationes, cur in phyſice cognitio diſtincta acquiri debeat, et qui poſſit fieri, proponitur. Quantum Thalerus Lipſiae atque Halae, ab anno 1617 ad 1622. ac Magdeburgi ab anno 1606 ad 1612 valuerit, ex Michaelis Strauchii ſcheda profertur. Corpora ſtatum ſuum mutandi vim habere, contra Eulerum aliosque demonſtratur. *Petri Barrere*, Soc. reg. Scient. Monſpel. Socii, Ornithologiae ſpecimen nouum cenſetur, quidue in eo emendandum reſtet oſtenditur. Sed ſatis de Volumine primo.

Volumine ſecundo quid contineatur breuibus, dicturi ſumus. Motiones corporis, ut ambulare, equitare, venari, pugillare, ſaltare, canere, et talia ad conſeruandam et reſtituendam ſaepe ſanitatem medicamentis anteponuntur. *Jo. Heuelii*, Aſtronomi quondam Gedanenſis, epiſtola ad Aegidium Strauchium publicatur. Cuiusdam Hamburgenſis Oeconomici, boni ciuis, conſilium, de exterminandis medicis periodeutis, examinatur et emendatur. Interiorem erucarum indolem, ſi in vulgari aqua coquantur, cognoſci poſſe oſtenditur. Supplementum quoddam de terrae motibus datur. Quaedam Rhinocerotis ſingularia explicantur. Regionis Dubenſis, in circulo Saxoniae electorali, memorabilia naturae enarrantur, atque ad Kirchmayeri diſp. de ſaltu Dubenſi additamenta leguntur. Stellarum marinarum, genera commemorantur. Chameleonta Hanouius deſcribit, item caprimulgum, ſ. noctuam ſyluaticam Jamaicenſem. Lapis in creta repertus, durus, examinatur. Manna, anno 1757. Torgauiae reperta, examinatur. De gemmarum valore atque uſu

usu differitur. Quot ab anno 1650. ad 1757. Lubbenae atque ab anno 1568. ad 1699. Leucopetrae matrimonio iuncti, nati, ac mortui sint, enarratur. Index mercium Elbingae, in Borussia, anno 1758. adportatanum atque absportatarum indicatur. *Car. Frid. de Kregel*, viri generosi, et naturae scrutandae peritissimi, obseruationes meteorologicae Lipsiae a. 1758. institutae, exhibentur; quibus Titius sua Wittebergae subiungit obseruata nonnulla Unde fiat, quod fax sebalis fluat, inquiritur. Febrem quandam fusorum aurichalci; atque luminis borealis naturam, peruestigat Cl. Schulzius. Microscopii solaris, commoda exponuntur. Aloen pretiosum remedium contra teredines esse, perhibetur. Beati *Hebenstretii*, Prof. med. Lipsiensis, ad illustriss. Comitem *de Brühl* de mulorum infoecunditate epistola, et b. Kleinii obseruationes in illam, huiusque auiarium prussicum, itemque excellentissimi quondam *Eulenburgii* ad Titium epistola de dentibus eburneis, in quibus globuli aenei reperiuntur, insertae sunt. De glutinis romani specie, asphalto, agit Hanouius, ut qualem utilitatem in illinendis nauibus praestet, atque quomodo praeparetur, docet. Qualis ordo petrarum recte sit constituendus, docetur. De electrica inflammatione pulueris pyrii differitur. Singulares cogitationes ex physice atque Oeconomica proponuntur. Kleinii illustrationes variae ad uniuersam et singularem naturae historiam pertinentes, ex epistolis eius publicantur. Quomodo Indicum, atque ex cerebro phosphorus praeparetur, Cl. Schulzius docet. Accuratior definitio atque diuisio minerarum, itemque generalis terranum ordo proponitur. Sententia contra Galilaeum qui Copernicanum systema abiurare coactus fuit, item ipsa Galilaei abiuratio, in vernaculam translata editur. Astroiten describit Hanouius; Schulzius autem de laesione singulari membri virilis differit qu alia in dissertatione valorem argenti atque monetarum, optime ex ponderis amissione in aqua cognosci posse,

et

et quomodo id fieri debeat, tabulis nonnullis per computum erutis, eleganter docet.

In *tomo tertio* triginta tres commentationes occurrunt, in quibus ſequentes notatu digniſſimas iudicamus. Veſtigia fluxus et refluxus maris in mari Baltico, experientia et argumentis ſolidis reteguntur, auctore Titio. Vir. Cel. connotatas in portu Dantiſcano maris altitudines quotidianas per decem annos adfert, easque cum palmariis de aeſtu maris poſitionibus, ipſisque lunae viciſſitudinibus comparat, atque ſic certiſſimis rationibus, aeſtuariorum ibi, pro varietate poſitus lunaris, acceſſiones atque receſſus fieri, euincit. Hinc excellentem Neutoni aeſtus alternantis doctrinam, experimentis confirmatam et rationibus completam reddit indubiis, eo quidem in loco, quem Neutonus ipſe vacuum reliquit, ut qui maribus minoribus et clauſis, Caſpio, Baltico, et ſimilibus, aeſtum propter obſeruationum defectum prorſus denegauit. Lapidem fiſtuloſum, pumicis ſpeciem, Hanouius deſcribit, refutata illorum, qui ex fungorum petrefactione Fingites atque Spongoides naſci autumant, opinione. Idem balaenae maiori, quam unicornu marinum vocant, duplicem dentem aſſerit; et Cl. Eulenburgius, Muſaei, Electoralis Dresdenſis meritiſſimus quondam Inſpector, coronas ſ. diademata ſerpentum nullatenus capitis extuberantiam eſſe, qualem Anglorum nonnulli viſcoſam et congelatam quaſi ſubſtantiam in fronte capitis ſerpentini generari putant, ſed inter artefacta, modo ex dentibus piſcinis, praeſertim Carchariae, modo ex cochlidum marinarum ſpecie quadam, modo ex echinis marinis parata, pertinere, modo partes quasdam ſquillae arenariae externas videri, euidentiſſimis argumentis conficit; cuius rei exempla apud Sebam in theſ. Rer. Nat. T. II. p. 61. Rumphium in Muſ. Amb. apud Valentinum et Kleinium, proſtant. Silicis cornei ſiue igniarii geneſis, autore Schultzio, petrefactioni ex regno animali tribuitur, ſimili modo,

 quo

quo echinorum nuclei ex interiore animalis petrefacti substantia deriuantur; inde, cur tanta illorum copia in venis et montibus cretaceis reperiatur, facile patefcit. Quantum damni dermestes niger, Linnaei coleopteris punctis binis, pannificiis adferat ac vestimentis, nemo amplius negabit, qui Schulzii super illa re expositionem, et vermis cum scarabaeo suo descriptionem, hoc loco legerit. Naturales omnino adsunt rationes, quibus Hanouius adductus, commutationem avenae in nobiliorem frumenti speciem, in triticum atque secale, non solum dubiam reddit, sed rem ipsam, ac euentum, quos reiteratis tentaminibus corrigit, successus penitus inficiatur, non sine oculatiorum assensu. Tota enim operatio illa fallaciam prae se fert. Vitam Kleinii, Viri eruditissimi, cum indice scriptorum eius, ab Cl. Titio heic enarratam, iam actis nostris nuper inseruimus. Examina gemmarum per ignitionem, et hydrostaticas explorationes, ad methodum earum systematicam constituendam haud sufficere, Schulzius accurate perhibet, et praesertim ex duritie sequenti illas ordine collocat: Adamas, Saphyrus, Rubinus, Topasius orientalis, Smaragdus, Granatus, Bohemicus, orientalis, Topasius Saxonicus, Almandinus, Hyacinthus, Berillus, Amethystus orientalis, Porstensteinensis, et communis, silex transparens, crystallus, chrysolithus. Idem examen auri hydrostaticum exponit, subiunctis tabulis pro diuersis auri, cupri, et argenti mistionibus in aqua ponderatis. Idem methodum proponit, qua ex foliis iridis bulbosae latifoliae floribus coeruleis Bauh admixto alumine color cyaneo-viridis, pictoribus praecipue, utilis praeparari possit. Obseruationes meteorologicae Annorum 1757—59. Lipsiae a perillustri Dom. de Kregel institutae, cum lectoribus communicantur. Praeeunte Kleinio concinnam diuisionem animalium generalem Titius suppeditat a motus organo desumtam, totamque rerum animatarum congeriem, in classes, ordi-

dines, genera et species distribuendam, sequenti schemate uniuersali includit.

- Animalia viuunt et mouentur
  - vel in terra
    - pedibus solis
      - quadrupeda
        - pedibus cheliferis
        - — — digitatis
      - polypeda
        - insecta pedata
    - pedibus et alis
      - pedibus binis; aues
        - pedibus digitatis
        - — — palmatis
      - — — — quaternis
        - quadrupeda volantia
      - pluribus; insecta alata, alis membranaceis
        - diaphanis
          - anelytra
          - coleoptera
        - obscuris et coloratis, ut papiliones
    - musculis solis, pedibus destituta; herpeta
      - angues
      - vermes
  - vel in aqua
    - pinnis solis; pisces
      - pulmonibus spirantes
      - bronchiis occultis — —
      - — — apertis — —
    - dermatum testis et valuis
      - ostroeci
      - ostracodermata
    - motu indeterminato utplurimum non locali
      - Zoophyta
  - vel utrobique
    - pedibus praecipue
      - duobus
      - quaternis
      - pluribus
    - pedibus nullis; costarum musculorumque ope.

 Per

Per eam occaſionem multa ad illuſtris Linnaei ſyſtema Naturae monentur. Singularem prolificationem Calendulae, ex latere communem prolem emittentis, Hanouius in lucem profert.

Accedimus ad Tomum huius operis *Quartum*, in quo quae praecipue contineantur, iam indicabimus. Deſcriptio celebriorum in Bohemia et Hungaria metallifodinarum. Kleinius in literis ad Eilenburgium varia exponit de fluorum politione, de lapide corneo ſ. pyrite culinari, inter corallia perperam relato, de auditu piſcibus aſſerendo, de carpolithis, non fructus lapidefactos, ſed fructuum ſolummodo ſimulacra referentibus, exponit; et rurſus de petrefactis in mari baltico, praeſertim ad littora Gothlandiae; de methodo exſiccandi et conſeruandi aues, quem in finem commendat vernicem, ſiue liquorem gummatum, quo plantae et animalia, immo imagines pictae aerique inciſae, obducta, ab inſectorum damnis maxime tuta praeſtantur. Et compoſitionem: Rec. 5. Uncias Gum. Sandar. 2 Unc. maſt. praeſtantiſſ. 1 Unc. camphor. contuſa gummata cum camphora in puluerem redacta immittantur in lagenam, affundantur circiter 2 librae (i. e. triens fere noſtrae menſurae,) ſpir. vini rectificatiſſ. miſcela ſaepius agitata, gummatibusque perfecte ſolutis, vernix, ſi omnia ſatis dilute apparent, ſic parata penicilli ope in corpus conſeruandum ſubtiliter inducitur. Porro agit Kleinius in iisdem literis de methodica diſtributione et compellatione animalium teſtaceorum. Arbutum Dresdenſem curatius deſcribit Schulzius. Singulare eſt animal marinum, Islandis Oscabiörne appellatum, ab Hanouio ſuccincte deſcriptum; minutum quidem, ex parte molluſcum, ex parte chelatum, rubrum, pedibus 14, corpore caudae cancri ſimili, et membratim diuiſo; Borrichio Argus Islandicus. Memoratur de illo gelatinoſa inprimis ſubſtantia, pellucida, rubra, viſcerum loco in abdomine comprehenſa, quae poſt-

 quam

quam induruit, lapidem videtur exhibere, ab Islandis propter vires, quas ei tribuunt arcanas, singulari cultum honore. Haec omnia Auctor fuse excussit. Lunae actionem in tempestatum mutationes Schultzius contemplatur, et ill. de Kregel obseruationes meteorologicas Anni 1760. cum eruditis communicat. Index natorum et mortuorum in Urbe Electorali Dresdensi, ab anno inde 1617. usque ad Annum 1760. De lapide veterum Baetylo seu Baetulo, Hanouius agit, eumque magnetem fuisse statuit. Consensus circuitus aquarum in globo nostro terraqueo cum circulo sanguinis in corpore humano eleganter depingitur. In alia dissertatione veterum lucernae, perpetuam alentes flammam, examinantur, et ex caussis physicis earum exsistentia, sub quadam restrictione, ad loca scriptorum intelligenda, comprobatur. Hannonis periplum, in germanam linguam versum, notis illustrauit Cl. Crusius, Professor quondam Eloqu Wittebergensis, eumque pro scripto Graeci cuiusdam hominis recentioris supposito habet. Controuersiam de viribus viuis earumque mensura, inter Mathematicos feruide agitatam, allata eius historia, insigni cum perspicuitate hoc loco diiudicatam et compositam legimus. Sequuntur tres dissertationes, auctore Titio conscriptae, quarum prima hypothesin de lapidibus, diluuii uniuersalis testibus, persequitur; secunda vanitatem astrologiae declarat; et tertia argumentorum seriem astronomicorum atque chronologicorum exponit, quibus reuelationis certitudo euincitur. Quod reliquum est, si quae in his voluminibus occurrunt obseruationes, elaborationes et schediasmata nullo subscripto nomine, aut literis initialibus notatae, has sciat beneuolus lector tantum non omnes Titio auctori deberi.

P. TE-

P. TERENTII CARTHAGINIENSIS AFRI COmoediae ſex, ex recenſione FRID. LINDENBROGII, cum eiusdem Mſtorum Lectionibus et Obſeruationibus, atque Aelii Donati, Eugraphii, et Calpurnii Commentariis integris. His acceſſerunt Bentleii et Faerni Lectiones ac Coniecturae omnes, ſed in compendium redactae, item Weſterhouii in Scholiaſtas Lectiones ac Coniecturae, quibus et ſuas adſperſit M. JO. CAR. ZEUNIUS, adiecto indice in Donatum et Terentium locupletiſſimo Tom. I. II.

Lipſiae impenſis G. Theophili Georgi MDCCLXXIV. 8.

Vehementer illi falluntur, qui eam arbitrantur ſcriptorum antiquorum factam iam conditionem, ut nihil poſteris ſit relictum, quod vel intelligendis illis melius, inſeruiat, vel ad verum priſtinumque nitorem et reſtituendum et vindicandum conducat. Agnouit id, ſaepiusque eſt profeſſa eruditiſſimi cuiusque modeſtia, ſed tamen nonnumquam grauiſſimis his pronunciatis oblatrare videmus ſemidoctos quosdam, et quaſi minorum gentium deos, qui ſatis ſuperciliose atque cenſorie iubent, decernuntque, nullam hunc illumue ſcriptorem amplius cuiusdam operam deſiderare, cum omnia ſatis bene iam ſint conſtituta. Quam rem, ut valde periculoſam, immo pernicioſiſſimam, oderunt, et odiſſe debent, qui in eo litterarum poſitum eſſe ſciunt incrementum, ubi bonae indolis iuuenes, et corporis et ingenii viribus valentes, ſubinde excitentur, ut ulterius progredi audeant, neque pa-

patrum auorumque potentibus, stultis saepe, oraculis adquiescentes, contenti sint, si horum quam simillimi euasisse videantur. Praua haec consilia, si modo hoc nomine non sunt indignissima, imperant ignauiam, auctorumque antiquorum vulnera, quae passi sunt plurima, artificiose tegunt, augentque. Quodsi, quos patrum memoria tulit in litteris heroes, et hi tam male creduli fuissent, prioribusque editoribus, recensiones suas auctorum quam emendatissimas, et nescio quo alio modo ornatissimas, iactitantibus, brutam habuissent fidem profecto pro frugibus, etiamnum nos glandibus cum delectatione vesceremur. Sed licet primi qui fuerunt doctores litterarum, interpretesque et editores probabiles bonorum librorum, iure quodam suo magnam sibi laudem, quod inceperunt, immo quod ausi sunt, deposcunt: tamen, neque illi, qui horum vestigia insequuti, idem opus tractauerunt, ab laudis parte videntur excludendi, cum, quam apertam ab aliis, interdum leuiter tantum signatam, plerumque spinis et sentibus obsitam, inuenirent, viam ingressi, multo et improbo saepe labore emetirentur. In Terentio, etiam post magnorum virorum diligentes curas, satis largam restare segetem, ii norunt, qui mente et oculis paullo attentioribus hunc scriptorem tractare consueuerunt. In qua colligenda dum doctissimi Zeunii industria se exercuit, omnibus id futurum arbitramur gratissimum, qui ipsum Terentium dignum aliquo numero atque honore censent. Videamus, age, qua ratione nouam Terentii editionem instituerit vir humaniorum literarum peritissimus, prioribusque editionibus hanc efficere studuerit praestantiorem. Lindenbrogium inter paucos bene meritum de Terentio, et agnoscunt alii, et fatetur Cl. Zeunius. Nihil itaque, quod boni ille habet, in hac desideratur editione. Quia autem Lindenbrogiana a Correctoribus pessime habita, et inprimis Obseruationes corruptas atque mutilatas deprehendisset, huic vitio vt mederetur, ad-

 hi-

hibita editione Westerhouiana, studiose adlaborauit. Loca auctorum, cum more saeculi Lindenbrogiani vage essent indicata, diligenter notauit, et quae falsa erant, certius designauit. Qui labor quam sit iucundus, senserunt profecto, qui aliquando subierunt. Distinctiones et interpunctiones, rerum peritis exigua quidem illa impedimenta, tirones tamen horumque similes non raro retardant, pertubantue male inconstanterque collocatae; a quo vitio, Lindenbrogianam insidente plurimis locis, nouam editionem ita reperimus perpurgatam, ut constantia quaedam fixusque ordo studiose seruaretur. Eamdem in scribendi ratione, archaismis exceptis, deprehendimus stabilitatem. In contextu Terentiano a corruptelis scribarum emaculando, multum, et forte soli, aliquid memorandum praestiterunt Faërnus et Bentleius. Et huius quidem emendationes, siue emendandi tentationes, etsi sane multae sunt, quae videantur audaciores minimeque probandae, ita tamen fere omnes ingeniose sunt inuentae excogitataeque, ut contextui optime conueniant, ita docte illustratae, ut placeant, ita scite acuteque adstructae, ut in eis excutiendis examinandisque egregia ad iudicii vim acuendam atque poliendam sit exercitatio. Haec Bentleiana in compendium redacta, adiunxit suae editioni Cl. Zeunius. *Donati* Scholia, cum antiquitate, tum doctrina excellentia, duplici laborant vitio, interpolationis et corruptionis. In indagandis resecandisque spuriis, cum vix fieri possit ut non in alterutram partem interdum leue, interdum grauius committatur peccatum, hanc emendandi rationem, lubricam maxime, plane non attigit Zeunius de constituendis corruptis tanto studiosius sollicitus. In Westerhouiana quidem editione multis locis medela est adlata, nonnulla tamen intacta relicta. Haec Zeunius vel corrigere, vel supplere tentauit, modeste tamen, et ad analogiam linguae. Quae ipse praestitit, suo nomine distinxit, Westerhouianis in parenthesin inclusis.

Post

Post Donatum, longo tamen interuallo, sequitur Eugraphius. Huius Commentarios in Terentium, cum apud Lindenbrogium corruptos admodum et mutilos deprehenderet Zeunius, vitia studuit tollere, et deficientia explere, partim ex editione Westerhouii, partim coniecturas suas sequutus. Quibus licet non omnibus subscribamus, id enim nullus umquam coniectator sibi depoposcit; nonnullis tamen suffragandum videtur, etsi de veritate contendere nolimus. In Comoediam Heautontimorumenon, scholia Donati existimantur periisse. Resarcire videtur id detrimentum Calpurnius Brixiensis, recentior ille quidem, sed Donati tamen non omnino dissimilis. Visum itaque Cl. Editori etiam hunc adiungere, ut omnes Fabulae adiumenti quiddam ad intelligendum interpretandumque haberent. Ne autem operis magnitudo in nimium excresceret, loca aperte corrupta, et ad emendandum facilia, tacite, sine verborum multa disputatione, sunt correcta, utplurimum tamen ratione habita et veterum editionum, et linguae legum, et contexti. Tomus primus etiam habet praefixas Diatribas virorum eruditorum, quae sunt in editione Westerhouiana varia ad veteris comoediae intelligentiam spectantia capita continentes. Obseruationes et notas, quae ad ipsum Terentium proprie pertinerent, paucas addendas existimauit Cl Zeunius, praeterquam in Phormionem inde ab Actu tertio. Perpaucis autem ex Donati scholiis in hanc Fabulam superstitibus, adiecit de suo Zeunius maiorem copiam, sed tantum in locis difficilioribus, et ubi ab aliis nihil notatum inuenit. Versatur maxime in materia critica, neque tamen emendandi prurigine abripitur. Bentleii aliorumque coniecturas sub examen interdum vocat, et in nonnullis modeste reiicit. In fine operis triplex adiectus est Index. Primus, qui res et verborum explicationes in Donati scholis obuias continet, repetitus est ex e-

ditione Westerhouiana. Alter desumtus est ex editione Bentleii, quae in Batauis prodiit, cum aliqua tamen mutatione. Classes enim et loca, quae inutilia et superuacanea videbantur, omissa sunt. Seruata etiam est in hoc indice scribendi ratio Bentleiana. Tertius, ab ipso Zeunio confectus, habet auctores, quorum loca vel a Scholiastis vel a Lindenbrogio adferuntur. In animo etiam habuit Zeunius, idque ab initio promisit, addere Diatriben, in qua breuiter et summatim enarraret, quidquid a viris doctis super metris Terentianis subinde scriptum fuit. Quod laudabile consilium, ob otii defectum. Bibliopolaeque rationes, ad effectum non potuisse adduci, est quod valde doleamus. Ut autem et in hoc genere cupientium voluntati aliquo modo satisfaceret Zeunius, adiunxit Diatriben Bentleii, in qua metri rationem perspicue, breuiter, ac satis probabiliter tractatam videret.

NOVA LITTERARIA.

Antiquitatum studiosis non putamus ingratam futuram eruditissimi Cortonensis Academici, Matthiae Zarilli, scriptam ad illustrissimum Alfanium, Epistolam, quae potest esse commentarii loco in Inscriptionem antiquam, repertam in canali plumbeo, qui erat in Bibliotheca Nouitiorum Jesuitarum Romae. Inscriptio ita habet:

IMP CAES TRAIAN HADRIANI AUG
SUB CURA RESTITUTI AUG LIB PROC.


Tenor Epistolae super his verbis hic est. ,,Hadriani titulus, de quo nuperas litteras tuas accepi, longo certe non indiget commentario, sua enim se satis per-

perſpicuitate commendat, et ipſiſſimus eſt, qui inter Sicilienſes inſcriptiones proſtat Cl. IV. n. 9. et apud Cl. *Marinium* ad Balerii epigraphen pag. 54. Jam vero ex plumbei, in quo ſcriptus eſt, tubi fragmento, per ſe cuique loquitur, ex iis epigraphis eſſe, quae de ſubiectis aquaeductuum canalibus lectores monebunt. In re autem tritiſſima, eas e trivio quisquilias colligere pudet, quae in omnium vulgo officinis proſtant. Satis ſit innuiſſe, aquariam eam fiſtulam, Hadriano imperante confectam, eius vero conficiendae curam Reſtituto Auguſti Liberto procuratori permiſſam. De Hadriano ita Spart. 20. Aquarum etiam ductus infinitos hoc nomine nuncupauit. Ac ſi Marinio praeſtanda fides, noſter tubus Tibure effoſſus eſt anno 1756, ut pateat, aquis in Tiburtinas Hadriani delicias deducendis inſeruiſſe. Sed quando huc delapſi ſumus, aduertas, non uno ſemper verborum ambitu veteres aquaeductibus inſcribere conſueuiſſe. Nam ſaepe unum Imperatoris nomen adnotabant. *Maff.* Muſ. Ver. 25. 2: 20. T. Caeſaris Aug. Nonnumquam et eum addebant, cuius id curae fuerat permiſſum. *Fabr.* 543. 348. Imp. Domitiani Caeſ. Aug. Sub. Cura. M. Arricini. Clementis: ſiue ſuppreſſo Caeſaris nomine: *Fabr.* 543. 404. Sex. Julii Frontini, (hic ille egregius de aquaeductibus ſcriptor, et Aquarum ſub Nerua Curator;) cui non raro plumbi etiam longitudo adiiciebatur; *Grut.* 182. 9. Plumb. Ped. CCIX. Aliquando Caeſaris aut Curatoris nomini eius quoque nomen accedebat, qui tubum fecerat. *Grut.* 18. 3 6. Imp. Caeſ. Trai. Hadriani Aug. Sub. Cura. Trebelli. Marini. Proc. Martialis. Ser. Fecit. Nonnumquam unos Conſules adnotabant: in *Maff.* Ver. 257. 15. Maximo. Et. Paterno. Cos; quibus et aquae nomen addebatur, ut Aqua Traiana, Aqua Marcia. Verum quandoquidem ad formas aquaeductuum ſtruendas, multos pro ſua vi-

virili, aut ſponte, aut coactos concurriſſe, ait *Murat.* p. 433. 1. hinc et aliquando eius, cuius pecunia fierent, adiiciebatur expreſſa ſignificatio. *Murat.* 16. Imp. Antonini. Aug Pii, Stationis Patrimonii Sub. Cura. Dioſcuri; ubi ſic ille: Ad eam aquaeductus portionem fabricandam ſuo quoque aere adſtitiſſe videtur Statio Patrimonii, h. e. Officiales rei priuatae, ſiue Patrimonio Principis praefecti qui in publica aliqua ſtatione, ſiue officina, ſuo munere fungebantur. Saepe etiam ſuppreſſo et Caeſaris et Curatoris nomine; *Fabr.* 453. 400. Municipi Faliſei; et n 18 pag. 544. Reipublicae Veient. Nonnumquam denique; omiſſis ceteris, unus inſcribebatur Faber, qui Fiſtulam confecerat *Fabr.* 543. 409. Fronimus fecit, et *Maff.* 257, 13. Ex officina Aurelii Anti. Ad ſummam aliquando ſimpliciter, Aquae Corneliae Ductus p. XX. *Murat.* 489. 2. Haec ἐν παρέργῳ de aquaeductuum inſcriptionibus. Traiani praenomen ad priora Hadriani tempora noſtram Epigraphen aſſurgere iubet. Primis enim imperii annis, ſiue quod adhuc beneficii memoria vigeret, ſiue quod ad firmandum ſibi imperium ea grati animi ſignificatio apprime facere videretur; eius, a quo fuerat adoptatus, nomen, pronominis loco uſurpauit. Sed eam animi obſeruantiam aetas corraſit, et a quo imperium acceperat dein vel nominis ſocietatem eſt dedignatus; qua in re Hadriani numismata ac lapides amice coniurant. Illud, ſub cura, ruentem iam Romani ſermonis elegantiam prodit, quod puriore latinitatis ſaeculo, curante Reſtituto dixiſſent. Ceterum ea ſcribendi formula innumeri ſcatent ſynchroni lapides, a quibus, ne ſim longus, abſtineo. Reſtitutum, proprium nomen eſſe, vetuſta marmora dubitare nos vetant; cuius furfuris ea item apud Romanos erant, Finitus, Statutus, Auctus, Optatus, Impetratus, Du-

Dubitatus, ac millena alia nomina. Ad aquae vero procurationem quod ſpectat, quam ſupremis litteris innuit Epigraphe, primis temporibus ius dandae aut vendendae aquae penes Aediles aut Cenſores erat. Ab M. Agrippae aetate inſtituti Curatores aquarum, quibus binae datae familiae, altera publica, priuata altera; idque σύςημα Auguſtus ac ceteri deinceps Imperatores probarunt. Procuratores vero primus T. Claudius inſtituit, h. e. ut ait Polenus ad Front. 105. aliquos ex ſuis ſeruis elegit, ut quaſi adiutores Curatorum aquae eſſent; nimirum, ut ubi a Curatoribus ſcripto mandato eſſent delecti, atque iuſſa accepiſſent, praeeſſent perficiendis rebus ut iubebantur. Horum erat teſte Frontino 16 calcem eius moduli, qui ab Imperatoribus fuerat decretus, adhibitis libratoribus, ſignare, ac diligenter intendere menſurarum modum; ne eſſet in arbitrio Libratorum interdum maioris fluminis, interdum minoris, pro gratia perſonarum, calcem probare. Atque hic, meo iudicio, eſt ille Aquarum Procurator apud *Grut.* 479. 7. et *Fabr.* 209. 5. 17. Talis et noſter Reſtitutus. At vero Cl. Marinii exemplar habet in Epigrammatis latere, grandioribus litteris, VX. h. e. ut ille argumentis prorſus neceſſariis euincit, Quinumdenum, quod ad moduli ſpeciem pertinet; ſed de ea re videndus Marinius ipſe, ne alienas merces pro meis extrudere videar. Denique, quod ſecundis tuis litteris appoſite mones, in altero Traiani elemento infernam τοῦ R dextro ſum lineolam quadratario excidiſſe, ea de re amiciſſimo doctiſſimoque Viro Cajetano Migliore, gratulor, qui in nuperis ſuis ad inſcriptionem M. Junii Pudentis aduerſus Anonymi conuicia Curis poſterioribus pag. 27. P et R lapicidarum nonnumquam oſcitantia alternaſſe coniecerat; ex quo ille pro Pepſiano Penſianum omnino legendum adfirma-

mabat. Nunc ei coniecturae nostrae commode subsidio venit Epigraphe, ut tandem acquiescat nescio quis, qui pro Pistore Persiano, quasi pro aris et focis pugnare non desinit. Atque haec habui de Hadriani titulo. Si quid porro est, in quo mea tibi quantulacumque opera usui esse potest, scias me omnia lubentissime facturum causa tua. Tu vero me, ut facis, amare perge. Vale.


K
H
G

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCLXXIII.

DE POLYGONORUM REGULARIUM CIRCULO inscriptorum proprietatibus, DISQUISITIO GEOMETRICA

Auctore Archidiacono JO. FRANCISCO de TUSCHIS a FAGNANO ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano, et Senogalliensi.

Theorema I. Fig. I.

Inscripto in circulo quouis Polygono regulari, sed laterum imparium, sumptoque in peripheria ad libitum puncto, a quo ad Polygoni angulos cordae ducantur: Dico,

Cordas impares simul iunctas aequari Summae Cordarum imparium simul iunctarum.

Sit e. gr. in Circulo A E D C B inscriptum Heptagonum regulare A E 2 E 2 C C B, sumpto in peripheria quocunque puncto P, si ab eodem ad Heptagoni angulos ducantur rectae P A, P E, P 2 E, P D, P 2 C, P C, P B, sequens subsistet Aequatio:

$$1)\ PA + P2E + P2C + PB = PE + PD + PC$$

Monitum.

Supponimus in circulo Heptagonum mechanice saltem inscriptum.

De-

Demonstratio.

I.

Ex puncto P ducatur Diameter P F, et ex puncto F ducetur F H, parallela ad P A; F 2 M ad P E; F M ad P 2 E; F 2 G ad P D; F 2 I ad P 2 O, F G ad P C, et F L ad P B. Hoc facto, cum sit F H parallela ad P A, et F M ad P 2 E; erit Ang. H F M = Ang. A P 2 E = Arc. $\frac{A\,2\,E}{2} = \frac{\text{circumf.}}{7}$

Similiter cum sit F M ad P 2 E parallela, et F H ad P 2 C, erit Ang. M F 2 I = Ang. 2 E P 2 C = Arc. 2 $\frac{E\,2\,C}{2} = \frac{\text{Circumf.}}{7}$

Pariter cum sint Parallelae rectae F 2 I, P 2 C, nec non rectae F L, P B, erit Ang. 2 I F L = Ang. 2 C P B = Arc. $\frac{2\,C\,B}{2} = \frac{\text{Circumf.}}{7}$ Producatur P B in V:

Cum sint similiter inter se Parallelae rectae F L, P B; P F, F 2 M, erit Ang. L F 2 M = Ang. E P V = duobus Ang. rectis minus. Ang. E P B, id est erit Ang. L F 2 M = $\frac{\text{Circumf.}}{2} - \frac{5}{14}\text{Circumf.} = \frac{1}{7}\text{Circumf.}$

Ulterius cum sit F 2 M parallela ad P E, et F 2 G ad P D erit Ang. 2 M F 2 G = Ang. E P D = Arc. $\frac{E\,D}{2} = \frac{\text{Circumf.}}{7}$

Non secus, cum sit F 2 G parallela ad P D, et F G ad P C, erit Ang. 2 G F G = Ang. D P C = Arc. $\frac{D\,C}{2} = \frac{\text{Circumf.}}{7}$

Cum ergo quisque Angulorum H F M; M F 2 I; C I F L;

L F 2 M; 2 M F 2 G; 2 G F G sit aequalis septimae parti Circumf.

Reliquus etiam Ang. H F G circa punctum F aequabitur septimae parti Circumferentiae.

II.

Cum sint igitur omnes Anguli circa punctum F inter se aequales, patet, quod semper ex eodem puncto F, tanquam centro, describi poterit Heptagonum aequilaterum, et aequiangulum n e d c h i k, cuius latera a rectis F H, F M, F 2 I, F L, F 2 M, F 2 G, F G, bifariam, et normaliter secentur.

III.

Patet etiam ex constructione, quod si producantur Cordae P A, P E, P 2 E, P D, P 2 C, P C, P B, hae perpendiculariter cadent in respectiua Heptagoni latera c d, n k, c h, e n, h i, d e, i k; ideoque sequentes locum habebunt Aequationes:

$$\text{Heptag. } n e d c h i k = \frac{e d}{2} (F H + F M + F\,2\,I + F L + F\,2\,M + F\,2\,G + F G)$$

$$\text{Heptag. } n e d c h i k = \frac{e d}{2} (P l + P q + P m + P\,2\,l + P\,2\,m + P f + P u)$$

Ideoque

$$2)\ \left\{ \begin{array}{l} F H + F M + F\,2\,I + F\,2\,M + F\,2\,G + F G = \\ P l + P q + P m + P\,2\,l + P\,2\,m + P f + P u \\ + F L. \end{array} \right.$$

IV.

Demum ducantur Cordae F A, F E, F 2 E, F D, F 2 C, F C, F B. Cum sit P F Circuli Diameter, erunt singula Quadri latera F A l H; F E q 2 M; F 2 E m M; F D 2 l 2 G; F 2 I 2 m 2 C; F G f c; F L u B rectangula; ideoque $P\,l = F H + P A$; $P q = F\,2\,M - P E$; $P m = F M + P\,2\,E$; $P\,2\,l = F\,2\,G - P D$; $F\,2\,m = F\,2\,I + P\,2\,C$; $P f = F G - P C$; $P u = F L + P B$. Factis

ctis igitur in secunda parte Aequationis (2) debitis substitutionibus, erit

$$\left\{\begin{array}{l} FH + FM + F2I + F2M \\ + F2G + FG + FL \end{array}\right\} = \left\{\begin{array}{l} FH + F2M + FM + F \\ 2G + F2I + PA - PE \\ + P2E - PD + P2C + \\ FG - PC + FL + PB. \end{array}\right.$$

Ideoque utrinque auferendo quod commune est, remanebit $PA - PE + P2B - PD + P2C - PC + PB = 0$, Consequenter $PA + P2C + P2O + PB = PE + PD + PC$. Quae est Aequatio (2) Q. E. D.

Corollarium.

Si punctum F inciderit in D, id est si Corda P D fuerit Diameter, liquet, quod tunc Corda P A aequalis erit Cordae P B; P E aequalis P C, et P 2 C aequabitur P 2 E, etc. ideoque per praecedentem aequationem

$$2PA + 2P2E - 2PE = PD$$

Aequatio, quae sequens exhibet

Theorema.

Si Circuli semiperipheria P A D in partes diuidatur numero impares, quarum Prima sit P A, Secunda $AE = 2PA$, Tertia $A2E = 4PA$, et quarta $AD = 6PA$, et sic de ceteris, et ducantur Cordae P A, P E, 2 P E, P D, etc. Erit harum prima, minus secunda, plus tertia, minus quarta, usque ad ultimam exclusiue, aequalis radio.

Per 2 praecedens diuidatur Aequatio, et demonstrabitur Theorema.

Theorema II. Fig. II.

Posito, ut in praecedenti, quod Polygonum regulare Circulo inscriptum sit laterum numero imparium, si ex quouis puncto in peripheria sumpto, veluti A, ducantur ad Polygoni angulos Cordae: Dico, Productum quod harum binae faciunt, aequaliter a maiori siue media distantes, et simul iunctae ductae in ceteras, quae pariter binae sumantur, atque aequaliter distent a media, et inter se iungantur, aequari Po-

Potentiae Cordae maioris, siue mediae, quae pro exponente habet $\frac{n-c}{2}$, denotante n Angulorum Polygoni numerum.

Sit ex. g. in Circulo A B F G inscriptum Heptagonum regulare B E F G H D C, sumptoque in peripheria quouis puncto A, si ad Angulos Heptagoni ducantur Cordae, A B, A C, A E, A D, A F, A H, A G, dico sequentem subsistere aequationem.

$$2) \ (AB + AC) \times (AE + AD) \times (AF + AH) = AG^3.$$

Demonstratio.

Ducantur Cordae F H, E G, D C, E D, G B, G C. Patet, harum tres primas inter se aequari, et pariter tres postremas esse aequales inter se.

Per notam Almagesti Propositionem.

$$(BA + AC) \times GC = AG \times BC = AG \times FG;$$

ideoque

$$3) \ (AB + AC) \times \frac{GC}{FG} = AG$$

$$(AE + AD) \times GE = AG \times ED = AG \times GC;$$ consequenter

$$4) \ (AE + AD) \times \frac{GE}{GC} = AG$$

$$(AF + AH) \times FG = AG \times FH = AG \times EG;$$ ergo

$$(AF + AH) \times \frac{FG}{EG} = AG;$$ ductisque inter se aequationibus (3), (4) (5)

$$5) \text{ erit } (AB + AC) \times (AE + AD) \times (AF + AH) \times \frac{GC \times GE \times FG}{FG \times GC \times EG} = AG^3$$ hoc est, $(AB + AC) \times (AE + AD) \times (AF + AH) = AG^3$, quae est ipsa aequatio (2). Q. E. D.

Corollarium.

Si fuerit G A Diameter Circuli, patet, quod A B = A C; A E = A D; A F = A H; ideoque per Theorema erit $2\ AB \times 2\ AE \times 2\ AD = AG^3$, et sequens oritur

Theorema.

In Polygonis regularibus Laterum numero imparium, *n* denotante Angulorum numero, Productum omnium Cordarum aequatur Potentiae radii elevatae ad $\frac{n-1}{2}$.

Sua sponce fluit Demonstratio ex praecedenti Demonstratione, quae diuisa per 8 exhibet $AB \times AE \times AD = \text{Rad.}^{\frac{n-1}{2}}$

Scholium Fig. III.

I.

Sit in Circulo E D C P, cuius Centrum O inscriptum Pentagonum regulare P A E F C B, sitque Corda P F Diameter,

Per Theorema I $PE - PA = PO$, ergo $PE^2 - 2\ PE \times PO + PA^2 = PO^2$.

Per praesens Theorema $2\ AP \times PE = {}^2PO^2$. Junctis ergo duabus hisce aequationibus,

$PE^2 + PA^2 = 3\ PO^2$.

II.

Notum est, quod Quadratum Lateris Trianguli aequilateri Circulo E D C P inscripti $= 3\ PO^2$, per praecedentem ergo aequationem Quadratum Cordae, quae simul sustinet Pentagoni et Decagoni Latus, iunctum Quadrato Lateris Decagoni, erit aequale Quadrato Lateris Trianguli Aequilateri, eidem Circulo inscripti.

III.

Aequationi Artic. I. rursus addatur Aequatio $2\ PA \times PE = 2\ PO^2$ eritque $PA^2 + 2\ PA \times PE + PE^2 = 5\ PO^2$, atque extrahendo $PA + PE = \sqrt{5} \times PO$.

IV.

IV.

Aequationi $3\ PO^2 = PE^2 + PA^2$, loco PE^2 fubftituatur $4\ PO^2 - FE^2$, eritque $3\ PO^2 = 4\ PO^2 - FE^2 + PA^2$; ideoque transponendo $FE^2 = PO^2 + PA^2$, atque extrahendo radicem quadratam $FE = \sqrt{PO^2 + PA^2}$.

Hoc eft, (cum fit Laetus Hexagoni Circulo infcripti aequalis radio,) Pentagoni Latus poteft et Latus Hexagoni, et Latus Decagoni in eodem Circulo defcriptorum. Quae eft Propofitio X. Euclidis XIII.

Lemma I.

Sit Arc. A = Arc. B + Arc. b; fitque Arc. B maior Arc. b, dico quod

Cof. (A + b) — Cof. (A + B) = (2 Cof. A + 1) X (Cof. b — Cof. B.)

Demonftratio.

Per Elementa Trigonometriae pofita pro radio unitate,

1) Cof. (A — B) = Cof. b = Cof. A X Cof. B + fin. A X fin. B.

2) Cof. (A — b) = Cof. B = Cof. A X Cof. b + fin. A X fin. b.

3) Cof. (A + b) = Cof. A X Cof. b — fin. A X fin. b

4) Cof. (A + B) = Cof. A X Cof. B — fin. A X fin. B.

Sed per aequationem (1) — fin. A X fin. B = Cof. A X Cof. B — Cof. b, et per aequationem (2) — fin. A X fin. b = Cof. A X Cof. b — Cof. B. Factis ergo debitis fubftitutionibus in aequationibus (3) et (4), erit.

5) Cof. (A + b) = 2 Cof. A X Cof. b — Cof. B

6) Cof. (A + B) = 2 Cof. A X Cof. B — Cof. b

Confequenter

Cof. (A + b) — Cof. (A + B) = (2 Cof. A + 1) X (Cof. b — Cof. B). Q. E. D.

Co-

Corollarium I.

Si ergo fuerit Arc. $A = \frac{\text{Circumf.}}{6}$ cum ſit in hoc caſu Coſ. $A = \frac{1}{2}$, erit Coſ. $(A + b)$ — Coſ. $(A + B) = 2$ (Coſ b — Coſ. B)

Corollarium II.

Coniungantur aequationes (5) et (6), et proueniet Coſ. $(A + b)$ + Coſ. $(A + B) = 2$ Coſ. A X (Coſ. b + Coſ. B) — (Coſ. b + Coſ. B) Ergo ubi Coſ. $A = \frac{1}{2}$, erit

Coſ. $(A + b)$ + Coſ. $(A + B) = 0$.

Lemma II.

Poſitis, quae in praecedenti Lemmate, et R pro Radio, dico quod R (R^2 Coſ. A^2) = R (Coſ. b^2 + Coſ. B^2) — 2 Coſ. A X Coſ. b X Coſ. B.

Demonſtratio.

R X Coſ. $(B + b)$ = R X Coſ. A = Coſ. b X Coſ. B — ſin. b X ſin. B, hoc eſt, R X Coſ. A = Coſ. b X Coſ. B — $\sqrt{R^2 - \text{Coſ. } b^2} \times \sqrt{R^2 - \text{Coſ. } B^2}$. Ideoque $\sqrt{R^2 - \text{Coſ. } b^2} \times \sqrt{R^2 - \text{Coſ. } B^2}$

R X Coſ. A, et quadrando = Coſ. b X Coſ. B —

$R^4 - R^2$ (Coſ. b^2 + Coſ. B^2) + Coſ. b^2 X Coſ. B^2 = $\begin{cases} \text{Coſ. } b^2 \times \text{Coſ. } B^2 + R^2 \\ \times \text{Coſ. } A^2 - 2R \times \text{Coſ.} \\ A \times \text{Coſ. } b \times \text{Coſ. } B. \end{cases}$

Conſequenter

$R^4 - R^2$ (Coſ. b^2 + Coſ. B^2) = — 2 R X Coſ. A X Coſ. b X Coſ. B + R^2 X Coſ. A^2, et tandem R (R^2 — Coſ. A^2) = R (Coſ. b^2 + Coſ. B^2) — 2 Coſ. A X Coſ. b X Coſ. B. Q. E. D.

Corollarium I.

Ideoque, ubi Coſ. $A = \frac{R}{2}$, erit

$$\frac{3R^2}{4} = \text{Coſ. } b^2 + \text{Coſ. } B^2 - \text{Coſ. } b \times \text{Coſ. } B$$

Co-

Corollarium II.

Et si fuerit Cos. $A = \frac{R}{\sqrt{2}}$

$$\frac{R^2}{2} = \text{Cos. } b^2 + \text{Cos. } B^2 - \sqrt{2} \times \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B.$$

Theorema III. Fig. IV.

Sit in Circulo A D G H inscriptum quodcunque Polygonum regulare parium Laterum, quorum numerus sit n, sumptoque in Peripheria quouis Puncto B, si ex eodem ad singulos Polygoni Angulos Cordae ducantur, dico:

Productum Quadratorum Cordarum Imparium, una cum Producto Quadratorum Cordarum parium, esse aequale Potentiae radii, cuius Exponens est n, quatuor sumptae.

Demonstratio.

I. Sit ex. gr. in Circulo A D G H inscriptum Hexagonum Regulare K A D E G H K, ductis ex quouis Puncto B Cordis B A, B D, B E, B G, B H, B K, sitque radius C B. Probandum nobis est, hanc subsistere aequationem $BA^2 \times BE^2 \times BH^2 + BD^2 \times BG^2 \times BK^2 = 4\,CB^6$. Sit, ut superius, Arc. A K = A; Arc. B A = B; Arc. B K = b, et Arcus B sit maior Arcu b, ducaturque Diameter B F. Hisce positis, quae iam sequuntur locum habebunt Aequationes.

$$BA^2 = 2\,BC\,(BC - \text{Cos. } B)$$

$$BE^2 = 2\,BC\,(BC + \text{Cos. } b)$$

$$BH^2 = 2\,BC\,(BC - \text{Cos. }(A + b))$$

Ideoque

$$BA^2 \times BE^2 \times BH^2 = 8\,BC^3 \times \left\{ \begin{array}{l} BC^3 + BC^2\,(\text{Cos. } b - \text{Cos. } B) \\ - BC \times \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B \\ + \text{Cos. }(A+b) \left\{ \begin{array}{l} - BC^2 \\ - BC\,(\text{Cos. } b - \text{Cos. } B) + \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B \end{array} \right. \end{array} \right.$$

 Si-

Similiter $BK = 2\,BC\,(BC - \text{Cof. } b)$

$BG^2 = 2\,BC\,(BC + \text{Cof. } B)$

$BD^2 = 2\,BC\,(BC - \text{Cof. } (A+B)$.

Confequenter $BK^2 \times BE^2 \times BD^2 = 8\,BC^3 \left\{\begin{array}{l} BC^3 - BC^2(\text{Cof. } b - \text{Cof. } B) \\ - BG \times \text{Cof. } b \times \text{Cof. } B \\ + \text{Cof. } (A+B) \left\{\begin{array}{l} - BC^2 \\ + BC\,(\text{Cof. } b \\ - \text{Cof. } B) + \text{Cof.} \\ b \times \text{Cof. } B \end{array}\right. \end{array}\right.$

Et coniunctis Aequationibus

$$\left\{\begin{array}{l} BA^2 \times BE^2 \times BH^2 \\ + BK^2 \times BG^2 \times BD^2 \end{array}\right. = 8\,BC^3 \left\{\begin{array}{l} 2\,BC^3 - 2\,BC \times \\ \text{Cof. } b \times \text{Cof. } B - B \\ C\,(\text{Cof. } b - \text{Cof. } B) \\ (\text{Cof. } (A+b) - \text{Cof.} \\ (A+B)\,(\text{Cof. } (A+b) \\ + \text{Cof. } (A+B)) \left\{\begin{array}{l} - BC^2 \\ + \text{Cof. } b \times \\ \text{Cof. } B \end{array}\right. \end{array}\right.$$

Sed per Corollarium II. Lemmatis I.

$(\text{Cof. } (A+b) + \text{Cof. } (A+B)) = 0$

Ergo $\left\{\begin{array}{l} BA^2 \times BE^2 \times BH^2 \\ + BK^2 \times BG^2 \times BD^2 \end{array}\right. = 8\,BC^3 \left\{\begin{array}{l} 2\,BC^3 - 2\,BC \times \\ \text{Cof. } b \times \text{Cof. } B \\ - BC\,(\text{Cof. } b - \\ \text{Cof. } B) \times (\text{Cof.} \\ (A+b) - \text{Cof.} \\ (A+B)) \end{array}\right.$

Sed per Corollarium I. Lemmatis I.

$\text{Cof. } (A+b) - \text{Cof. } (A+B) = 2\,(\text{Cof. } b - \text{Cof. } B)$; ergo

$$\left\{\begin{array}{l} BA^2 \times BE^2 \times BH^2 \\ + BK^2 \times BG^2 \times BD^2 \end{array}\right. = 8\,BC^3 \left\{\begin{array}{l} 2\,BC^3 + 2\,BC \times \\ \text{Cof. } b \times \text{Cof. } B - \\ 2\,BC(\text{Cof. } b^2 + \text{Cof.} \\ B^2 \end{array}\right.$$

Sed

Sed per Corollarium I. Lemmatis II.

$\frac{3 BC^3}{2} = 2 \times (\text{Cos. } b^2 + \text{Cos. } B^2 - \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B)$

B C. Ideoque $BA^2 \times BE^2 \times BH^2 + BK^2 \times BF^2 \times BD^2 = 8 BC^3 (2 BC^3 - \frac{3 BC^3}{2}) = 4 BC^6$.

Q. E. D.

II. Sit modo in Circulo A D G K (Fig. V.) inscriptum Octagonum regulare K A D E F G H I K, ductaeque sint ex quouis puncto B Cordae B A, B D, B E, B F, B G, B H, B I, B K, quae sequuntur orientur aequationes: $BA^2 = 2 BC (BC - \text{Cos. } B)$ $BE^2 = 2 BC (BC + \text{Cos. } (A + b))$ $BG^2 = 2 BC (BC + \text{Cos. } B)$ $BI^2 = 2 BC (BC - \text{Cos. } (A + b))$

Ut patet ductis Diametris B O, K F.

Multiplicentur inter se praecedentes aequationes, riteque instituto Calculo obtinebitur

$$BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 = 16 BC^4 \times \left\{ \begin{array}{l} BC^4 - BC^2 \times \text{Cos. } B^2 + \\ \text{Cos. } B^2 \times \text{Cos. } (A = b)^2 - \\ BC^2 \times \text{Cos. } (A + b)^2 \end{array} \right.$$

Similiter erit

$$BD^2 \times BF^2 BH^2 \times BK^2 = 16 BC^4 \left\{ \begin{array}{l} BC^4 - BC^2 \times \text{Cos. } b^2 + \\ \text{Cos. } b^2 \times \text{Cos. } (A + B)^2 - B \\ C^2 \times \text{Cos. } (A + B)^2 \end{array} \right.$$

Junctisque aequationibus

$$\left\{ \begin{array}{l} BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 \\ + BD^2 \times BF^2 \times BH^2 \times BK^2 \end{array} \right. = 16 BC^4 \left\{ \begin{array}{l} 2 BC^4 - BC^2 \\ \times (\text{Cos } b^2 + \text{Cos.} \\ B^2) - BC^2 \times \\ (\text{Cos. } (A + b)^2 + \\ \text{Cos.} (A+B^2) + \text{Cos.} \\ B^2 \times \text{Cos.} (A+b)^2 \\ + \text{Cos. } b^2 \times \text{Cos.} \\ (A+B)^2 \end{array} \right.$$

 Sed

Sed per Hypothesin, cum sit Cos. A $= \frac{BC}{\sqrt{2}}$, erit per aequationem (5) et (6) Lemmatis I. Cos. $(A + b)^2 = 2$ Cos. $b^2 - 2\sqrt{2}$ Cos. b $\times$ Cos. B + Cos. B^2 Cos. $(A + B^2) = 2$ Cos. $B^2 - 2\sqrt{2}$ Cos. b $\times$ Cos. B + Cos. b^2

Ideoque Cos. $(A + b)^2$ + Cos. $(A + B)^2 = 3$ (Cos. b^2 + Cos. B^2) $- 4\sqrt{2}$ Cos. b $\times$ Cos. B; factisque surrogationibus in secunda parte praecedentis aequationis

$$\left\{\begin{matrix} BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 \\ + BD^2 \times BF^2 \times BH^2 \times BK^2 \end{matrix}\right\} = 16\,BC^4 \left\{\begin{matrix} 2BC^4 - 4BC^2(\text{Cos. } b^2 + \text{Cos. } B^2) - 2 \\ \sqrt{2} \times \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B \times (\text{Cos. } b^2 \\ + \text{Cos.} + 4\sqrt{2} \times BC^2 \times \text{Cos. } b \times \\ \text{Cos. } B + 4 \text{ Cos. } b^2 \times \text{Cos. } B^2 + \text{Cos. } \\ b^4 + \text{Cos. } B^4 \end{matrix}\right.$$

Sed per Corollarium II Lemmatis II. $\frac{BC^2}{2} + \sqrt{2}$ Cos. b $\times$ Cos. B = Cos. b^2 + Cos. B^2. Ergo rursus substituendo

$$\left\{\begin{matrix} BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 \\ + BD^2 \times BF^2 \times BH^2 \times BK^2 \end{matrix}\right\} = 16BC^4$$

$$\left\{\begin{matrix} 2BC^4 - 2BC^4 - 4\sqrt{2} \times BC^2 \times \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B \\ - \sqrt{2} \times BC^2 \text{ Cos. } b \times \text{Cos. } B + 4\sqrt{2} \times BC^2 \times \\ \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B + 4 \text{ Cos. } b^2 \times \text{Cos. } B^2 + \text{Cos. } b^4 + \text{Cos. } \\ B^4 - 4 \text{ Cos. } b^2 \times \text{Cos. } B^2. \end{matrix}\right.$$

Hoc est

$$\left\{\begin{matrix} BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 \\ + BD^2 \times BF^2 \times BH^2 \times BK^2 \end{matrix}\right\} = 16\,BC^4$$

$$(-\sqrt{2} \times BC^2 \times \text{Cos. } b \times \text{Cos. } B + \text{Cos. } b^4 + \text{Cos. } B^4)$$

Sed per Corollarium II. Lemmatis I. Cos. b^4 + Cos. $B^4 = BC^4$

$\frac{BC^4 + r2 \times BC^2 \times Cos. b \times Cos. B}{4}$, ergo $BA^2 \times BE^2 \times BG^2 \times BI^2 + BD^2 \times BF^2 \times BH^2 \times BK^2 = 16 BC^4 \times \frac{BC^4}{4} = 4 BC^8$ Q. E. D.

Corollarium.

Si ergo punctum B ceciderit medium inter punctum A, et K, liquet, quod Cordae impares aequales erunt Cordis imparibus; consequenter in Hexagono $BA^2 \times BD^2 \times BF^2 = 2 BC^6$, et extrahendo $BA \times BD \times BF = r2 \times BC^3$ In Octagono $BA^2 \times BD^2 \times BE^2 \times BF^2 = 2 BC^8$; atque extrahendo $BA \times BD \times BE \times BF = r2 \times BC^4$. Ideoque sequens habebitur

Theorema:

Si Circuli semiperipheria B A D O diuidatur in quatuis partes aequales, sed numero pares, quarum prima sit Arc. BA, tres primae Arc. B D, quinque primae Arc. B E, septem primae Arc. B F, et in hac arithmetica progressione procedatur, et ductae sint Cordae B A, B D, B E, B F, sitque Cordarum numerus n:

Cordarum Productum aequabitur potentiae Radii, cuius Exponens est $\frac{n}{2}$ ductae in $r2$. Hoc est $BA \times BD \times BE \times BF \ldots = r2 \times BC^{\frac{n}{2}}$

Theorema IV.

Sit in Circulo A D G H inscriptum Polygonum regulare parium Laterum, ex. g. Fig. IV. Hexagonum K A D E G H, sumptoque in Peripheria quouis puncto B, ad Hexagoni Angulos ducantur Cordae B A, B D, B E, B G, B H, B K, dico:

Quadrata Cordarum imparium, simul sumpta Cordarum parium Quadratis simul iunctis aequalia esse,

Demonstratio.

Demittatur ex puncto B Diameter B F, et ex puncto K Diameter K E. Patet, quod Arcus B K = Arc. E F; Arc. A B = Arc. F G.

Sit Arc. A K = A; Arc. A B = B; Arc. B K = b; sitque Arcus A B maior Arcu B K.

Demittantur ab Hexagoni Angulis ad Diametrum B F normales A a, D d, E e, G g, H h, K b,

Eritque c a siue c g = Cos. B. Et per hypothesin, cum sit Arcus B maior Arcu b, hoc est maior dimidio Arc. A k siue Arc. A; erit Arc. (A + B) maior quadrante, ideoque — C d = Cos. (A + B); C b siue C e = Cos. b; C h = Cos. (A + b). Sed per Lemma I. Cos. (A + b) — Cos. (A + B) = 2 (Cos. b — Cos. B) ergo C h + C d = 2 (C e — C a) = C e + C b — C a — C g.

Huic aequationi addatur aequatio identica, C B + C B + C B = C B + C B + C B, eritque B g + b B + B d = B e + B a + B h, siue b B + B g + B d = B a + B e + B h, ergo B F (b B + B g + B d) = B F (B a + B e + B h). Hoc est, $BK^2 + BG^2 + BD^2 = BA^2 + BE^2 + BH^2$.

Sit modo in Circulo A D G H inscriptum Octagonum regulare K A D E F G H I, et ex puncto B ad arbitrium sumpto ductis ad Angulos Octagoni Cordis B A, B D, B E, B F, B G, B H, B I, B K, ducantur etiam Diametri B C O, K C F. Patet, Arc. B K = Arc. F O; Arc. A B = Arc. G O.

Demittantur ad Diametrum B O normales A a; D d; E e; F f; G g; H h; I i, K b, eritque $BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2 =$ B O X (B a (o g) + B e + B g + B i (o e)). Id est, $BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2 =$ B O (B O + B O). Similiter erit $BK^2 + BH^2 + BF^2 + BG^2 =$ B O (A b (O f) + B h + B f + B d (H o)). Hoc est, $BK^2 + BH^2 + BF^2 + BG^2 =$ B O (B O + B O); erit ergo $BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2 = BK^2 + BH^2 + BF^2 + BG^2$. Q. E. D.

Co-

Corollarium I.

$BK^2 + BG^2 + BD^2 - (BA^2 + BE^2 + BH^2) = 0$
$BK^2 + BH^2 + BF^2 BD^2 - (BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2) = 0.$

Corollarium II.

In Demonstratione adnotauimus, quod Arc. B A = Arc. F G; Arc. B K = Arc. E F, erit ergo Corda A F parallela Cordae B G. et cum sint aequaliter a Centro distantes, erunt etiam aequales. Similiter demonstrabitur, quod Corda B E sit aequalis Cordae F K: consequenter

$$\begin{cases} BA^2 + AF^2 (BG^2) = 4CB^2 \\ BK^2 + KF^2 (BE^2) = 4CB^2 \\ BD^2 + BH^2 = 4DH^2 (4CB^2) \end{cases}$$

Hoc est, $BA^2 + BE^2 + BH^2 + BK^2 + BG^2 + BD^2 = 12CB^2$. Similiter in Octagono, ductis Cordis A O, E O, O H, demonstrabitur A O = B G; B I = E O; B D = O H; ideoque

$BA^2 + BG^2 (OA^2) = 4BC^2$
$BE^2 + BI^2 (EO^2) = 4BC^2$
$BK^2 + BF^2 \qquad = 4BC^2$
$BH^2 + BD^2 (OH^2) = 4BC^2$. Consequenter,
$BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2 + BK^2 + BH^2 + BF^2 + BD^2 = 16BD^2$.

Corollarium III.

Per Theorema $BA^2 + BE^2 + BH^2 = BK^2 + BG^2 + BD^2 + BA^2 + BE^2 + BG^2 + BI^2 = BK^2 + BH^2 + BF^2 + BD^2$.

Ergo, tam Summa Quadratorum Cordarum imparium, quam Summa Quadratorum Cordarum parium, aequabitur radii Quadrato ducto in numerum Angulorum Polygoni.

MA-

MAXIMI TYRII DISSERTATIONES, EX RECENsione JOANNIS DAVISII, Colleg. Regii Cantabr. Praesidis. Editio altera, ad duos codd. Mss. emendata notisque locupletioribus aucta. Cui accesserunt JER. MARKLANDI Coll. d. Petri Cantabrig. Socii Annotationes. Recudi curauit, et annotatiunculas de suo addidit JO. JACOBUS REISKE.

Pars Prima, Lipsiae impensis Gotth. Theoph. Georgi 1774. Alph. 1. $8\frac{1}{2}$ plagg. *Pars Secunda* plagg. 21. ibid.

Maximum Tyrium, Scriptorem graecum, Platonicae disciplinae sectatorem, orationisque eiusdem aemulum, magnis eruditione et ingenio hominibus, H. Stephano, D. Heinsio, probatum, et tandem Dauisii et Marklandi curis, prodita eius Dissertationum splendida editione, Londini, anno huius seculi quadragesimo luculenter illustratum, Georgius, Bibliopola Lipsiensis, de Graecis litteris, quod eius in erogando ad praestantissimas praeclarorum aliquot Graecorum Scriptorum editiones mitiori pretio diuulgandas, quod adhuc in Latinis fecerat, sumptu, laudabile studium declarat, bene mereri cupiens, ad id, quod commemorauimus, Londinense exemplar, exactissime recudendum curauit. De modo autem, quo nouam libro commendationem conciliaret, sollicitus, Reiskium, cuius et nominis praescriptioni, et operae praestandae plurimum in hoc genere confidebat, adiit, et cum eo egit, ut tam praefandi officio fungi vellet, quam, praeter plagularum iam typis descriptarum recognitionem, aliquid suae adnotationis utriusque Tomi calcibus addi pateretur. Is, quamuis Plutarcheam boiam terendo; siue, ut ipse scribit, ergastulo Plutarcheo per totam hiemem veluti catenae illigatus, satis defatigatus et fractus, tamen precibus ne-

necessariis viri honesti vinci se passus, tum errata, se inscio in priore Tomo excudendo commissa, ut ad finem emendata proponerentur, inuestigauit; tum etiam schedas conscriptarum ante viginti annos in hunc Auctorem annotatiuncularum protraxit, excussit, digessit, et, quantum per ingenii, quod eo tempore obtusum atque a meditationis contentione abhorrens queritur, vires licebat, retractauit.

Ista quidem professus, et tumultuarii schediasmatis lectores censoresque veniam precatus, simul, quod tantum nec otii nec vigoris sibi fuerit, ut, quod in Plutarcho fecisset, sic huius quoque Scriptoris graecam orationem ad suam sententiam castigare posset, pauca conquestus, ad destituti laudandorum Maximi Tyrii scriptorum officii excusationem conuertitur. Nam quod minus promtum se praeconem ei praebeat, caussam esse nimis affectam illam in Homeri Platonisque ostentatione insolentiam, olim iuueni minus quam nunc seni displicitam; modum disputandi parum probatum; omnem denique argumentandi conatum ad sophisticam aliquam foueam detrudentem. Contra laudibus ferens Dionem Chrysostomum, sortis iniquitatem caecitatemque Seculi queritur, quae ei vix quosquam praeter Valesium, sed hunc tamen multorum instar, amicos conciliauerit, et post Morellum incultum adhuc iacere patiatur. Cui, inter tot hominum studia, Graeculorum quorumdam nugas vernacula lingua recoquendi, ne quidem interpres contigerit, qui germanicam orationum eius versionem confecisset; quem tamen nactus sit Maximus Tyrius, Dammium, prodita eius Berolini anno huius Seculi sexagesimi quarti vernacula interpretatione, quae modum differendi, sententiamque Scriptoris omnino quidem cognoscere cupientibus satisfaciat, sed eorum, quos iuuet graecam M. T. orationem critica cum diligentia inuestigare, studiis minus inseruiat. Vitia, cum a

Dauiſio, tum etiam a Marklando et Vuardo, nam repetendae illius editionis negotio uterque interfuit, commiſſa non diſſimulat: illius quidem, quod pro arbitratu ſuo deteriores Codicum ſuorum lectiones vetuſtis melioribus praetulerit; quod verſionem, lectionibus a ſe repudiatis accommodatam, ad lectiones a ſe praelatas non refinxerit, ſed talem, qualis fuiſſet, reliquerit: horum, quod renouatae editionis curam gerentes illam labem non ſuſtulerint.

Adnotationes quidem ipſae, plurimas paſſim veterum lectionum vindicationes continent, nonnumquam cum acerba Dauiſianae ſapientiae, acuminis, et iactantiae exprobratione: vid. p. 486. Tom. I. p. 298. 302. Tom. II: ſed vel prolatis ſententiarum rationibus, vel excitatis Scriptorum idoneis verbis deſtituuntur; quo incommodo fere laborat in uſum receptum a Viro Clariſſimo commentandi genus, qui ſibi placebat, notis inelaboratis, nudis, omni propemodum doctrinae ornatu, tanquam veſte, detracto, quid de Scriptoris cuiusque explicandi verbis ſentiret, breuiter ſignificans.—

In Diſſ. 23, 5. ἀρετὴν ἀπεσχοινισμένην τῶν Ὁμήρου ἐπῶν, *virtutem ex Homeri Carminibus non receptam*, quaſi *ſecluſam*, veterem et elegantem lectionem, cur a Dauiſio ſit in ἀπεσχισμένην mutata, miratur. Quod quam vere aſſertum ſit, magis patuerit, vel ipſius Dauiſii ad Diſſ. 39. Sect. 1. nota, qua quid σχοῖνος denotet illuſtratur, laudata, cui addatur Meurſius Exercitatt. Critt. P. 2, c. 4. vel alicuius veteris Scriptoris verbi uſurpandi exemplo excitato. Sic autem v. c. Philo, Lib. quod det. pot. inſ. p. 168. ἀρετῆς — ἀποσχοινισθεὶς, *excluſus, remotus a virtute.*

Πόλι—δυσανάκλητον ἐν συμφοραῖς, Diſſ. 33, 6. bene habet, nec opus erat vel Dauiſium, aut δυσανάληπτον coniicere aut δυσπαράκλητον, vel Marklandum δυσανάκτητον. Cf. Diſſ. 36, c. 3. ἐν ταῖς δυσπραγίαις ἀνάκλητοι — explicat autem de populo acceptis magnis

gnis

gnis cladibus non solum ad desperationem redigi, sed etiam in auctores malorum ingenti odio exardescere solito. Nam verborum ἀνακαλεῖσθαι et ἀνακτᾶσθαι, et inde deriuatorum, eandem potestatem ac vim esse, veterum Grammaticorum interpretationes docent, interque eos Suidae, apud quem sic reperitur: Ἀνακαλούμενος — ἀνακτώμενος, πρὸς τὴν προτέραν διάθεσιν ἐπανάγων.

Ἀνδρίσματα 38, c. 4. vox, notante Marklando, rarior, bene explicatur, liberae, apertae, ingenuae, verarum sententiarum, planis verbis et factis haud ambiguis professiones. Simul verbi ἀνδρίζεσθαι significatio attingitur et traditur ista: more boni viri fortisque, neminem metuentis, bona fide verbis veros animi sensus expromere. Conferatur Gatakerus ad Marc. Anton. IV, 3.

Diss. 3, init. pro διάλογοί τε θηρίων καὶ ξυνουσίαι, ab Dauisio profectum, reuocandam censet antiquam lectionem, λόγοι διὰ τῶν θηρίων τῆς ξυνουσίας.

Προσθρύπτεσθαι τινὰ Diss. 8, 5. Dauisius explicuerat, alicui se ferocem superbumque praebere, eamque sententiam a loco isto alienam esse obseruarat, propositis interea coniecturis, προσέπιπτον, et προσεπτύσσοντο, se expedire conatus fuerat. Sed verbum bene habere monemur, et significare blandiri exquisitis lenociniis.

Λογοποιὸς πολὺς 28, 6. bene explicatur: historicus qui memoriam rerum multis libris perscripsit; cui παλαιὸς coniecturam, nemo praeferat. Qui locus etiam, ut putamus, valeat ad intelligendum πολὺν διδάσκαλον in Epist. d. Jacobi 3, 1. ex mente Heinsii, *doctorem eximium*, vel potius *crebrum et frequentem*; cf. Abresch. Lect. Aristaenett. p. 165, seq. Homer. Il. H, 156. πολλὸς ἔκειτο παρήορος.

At in hac frequenti vetustarum lectionum vindicatione, tamen etiam meminimus locorum, in quibus vetus lectio immerito sollicitetur. Diss. 22, c. 3. πρὸς τῷ καὶ βαύνῳ καὶ τῷ πυρὶ διημερεύοντας. Hic e vetusta lectione effici debuisse scribit πρὸς τῷ κλιβάνῳ. In quo duo necessario monenda sunt. Alterum, quod sine caussa καὶ tollitur, quo nomine notandus est etiam Marklandus, cui idem videbatur, quamquam is Mstorum auctoritate se tuetur; cum tamen crebra huius copulae repetitio sit familiaris Atticis, et inter eorum sermoni propria referatur a Gregorio, de dialectis libello, cuius ad verba comparandus Koenius p. 44. cum praesertim hic non plane redundet, sed per *cum* exponi possit, cui respondeat proximum καὶ, per *tum* exponendum: alterum vero, quod pro exquisita et Platonica vocabuli forma, parum probata, nec Attica, substituitur. Nam βαῦνος est caminus. Etymol. M. v. βάναυσος — βαύνος γὰρ ἡ κάμινος εἴρηται, cui consentit Suidas cum ceteris. Ergo βαύνῳ bene habet. Deinde si κλίβανος optes, praecipit de eo Thomas Magister sic: Κρίβανος Ἀττικοί, οὐχὶ κλίβανος διὰ τοῦ λ, — ἀπὸ τοῦ κρῖ, τὸ κριθάριον, καὶ τοῦ βαῦνος τὸ πῦρ.

Diss. 17, c. 1. ad verba: ὁποῖόν φασι τὴν γλαῦκα πάσχειν, πρὸς μὲν τὸν ἥλιον ἀμαυρουμένην, θηρεύουσαν δὲ ἐν νυκτὶ ἔκπυρον φῶς, ista adnotantur „ἔκπυρον φῶς quid sit haud intelligo." Suspicio videtur fuisse V. D. necessariae alicuius emendationis, non succurrentis statim, aut commodae. Nobis vero persuasum est, ista recte habere. Satis patet ex oppositione lucis a sole venientis, ἔκπυρον φῶς esse splendorem candelae vel lucernae, in quibus ignis. De verbo ἐκπυροῦν, *igne succendere*, et ἐκπυροῦσθαι, *igniri*, *in ignem abire*, nemo dubitet, unde nec de ἔκπυρος, voce inde ducta. Ἐκπύρως *calide*, *feruide*, *ardenter*, aliud quaerentibus nobis obuium fuit apud Philen, Animalium historia c. 22, 12.

Diss.

Diſſ. 40, 4. *καὶ πῶς* recte defenditur, et *καὶ* nec redundare aut delendum eſſe monetur; ſed latinismum tamen dicere nolimus. Habet Euripid. Phoen. 1357. Xenoph. Cyrop. IV. p. 72. Plato Theaet. ſ. 31. Arrian. Exp. Alex. 5, 2. Cf. Elsner. Obſ. N. T. p. 154. Tom. I. Kypkius Obſ. p. 263. Tom. I. Wetſtenius et Krebſius ad Marc. 10, 26. et ad Lucae 1, 43. Heinſius Exercitatt. ad Philip. 1, 22. Sane Latini quoque *et quis*, et *et quid*, pro quis tandem, quid tandem, ſolent uſurpare. Vid. Burmannus ad Virgil. Ecl. 1, 27, et 10, 28.

Diſſ. 7, ſ. 6. *συγκονιούμενος καὶ συμπονῶν.* Jubemur legere *συγκονιόμενος* in praeſ. ob inſequens *συμπονῶν*. Atqui *συγκονιούμενος* quid niſi praeſens eſt? Forma enim verbi haec aeque ac altera uſu recepta. Plutarch. de diſcr. amici et adul. eo loco, ubi adulator imitatione morum inſtitutorumque dicitur captare beneuolentiam hominum, *τῷ μὲν συνορχούμενος καὶ συνᾴδων, τῷ δὲ συμπαλαίων καὶ συγκονιούμενος*, nempe ab *συγκονιοῦσθαι*. Caeterum *κονίεσθαι* eſt apud Philonem de Temul. p. 248. *τίς δὲ πρὸς δόξαν κονίεται.*

Eadem Diſſ. c. 4. *εὐδρομώτερον δὲ τῷ λέγοντι.* — Miratur, ad hanc mirificam et paene abhorrentem, ut appellat, dictionem, ab interpretum nullo quicquam eſſe annotatum, cui ſi qua inſit ſententia, non poſſe aliam eſſe praeter hanc, *in quo planior et expeditior ſit dicenti curſus.* — Ita ſane et nobis videtur. *Εὐδρομώτερον* autem nihil aliud quam *εὐτροχώτερον*, in quo refingendo rationibus fortaſſe non deſtituamur. Philo I. vit. Moſ. p. 615. — *ὡς μηδενὸς ἔτι ἐμποδίζοντος ῥεῖν εὔτροχον καὶ λεῖον ἀπὸ καθαρᾶς πηγῆς τὸ τῶν λογισμῶν νᾶμα.* Idem de Somniis libro extremo: *ἵνα μὴ μόνον λέγῃς εὐτρόχως ἀλλὰ καὶ ᾄδῃς μουσικῶς τὰς τοῦ ὄντος ἀρετάς.*

Diſſ. 5, ſ. 5. *ἀπείπατο Πολυκράτην*, in quo adeo Marklandus offendit, eſt ſane, repudiauit Polycratem, nihil ſibi cum eo commune eſſe voluit. Si quis tamen diſertius de conſtructione ſignificationeque verbi traditum legere velit, is adeat Dreſigium de Verbis Mediis N. T. I, 16. et Interpp. ad Thomam Mag. p. 87. Kypkium Obſ. N. T. p. 247. T. 2.

Diſſ. 1, ſ. 5. pro *καὶ οἶνον ἀπομισγομένους* tentat κ. ο. *ἀπὸ κρατῆρος μισγομένους*, vel *ἀφυσσομένους*, vel *ἀπαρυτομένους*, quod illud Homericum, quale tamen locus poſtulet, verbum non ſit. — Quid ſi ad formam Homerici verbi *ἀπομηνίσαι*, Il. B. 772. cum dilectu, ad continuitatem exprimendam, uſurpatur?

Diſſ. 39. ſ. 1, pro *πολὺ γεωργικώτεροι* legere iubemur *πολυγεωργότεροι* uno vocabulo, quod in compoſitis *γεωργὸς* non *γεωργικὸς* uſurpetur, et illud demum, quod ſententia dicendorum poſtulat, ſignificet: qui multo latius arant. Deſiderent fortaſſe nobiſcum alii auctoritatem vocabuli demonſtratam.

Eadem Diſſ. c. 4, *τὶ σελήνης εὐτροφώτερον*; hic malit *εὐτροχώτερον rotundius*: ſed nihil mutandum: Significat hoc ipſum, id quod ſententia poſtulat, *plenius*, *teretius*; unde etiam homines oris bene paſti, ampli et luculenti, plenae lunae vulgo comparantur: opponitur *ἄτροφος*. Vid. Interpr. ad Petronium c. 127.

Diſſ. 35. ſ. 2. — *ἀλλ᾽ ἐξανέστησεν αὐτὸν ἡ εὐδαιμονία*. Hanc lectionem amplectimur, non, *expulit eum fortuna* exponendam, ſed, *excitauit eum*, Philippum, *felicitas*, hac ſententia, quieſcere eum non ſinit felicitas: opinio captandae felicitatis effecit, ut excitatus ſedibus ſuis, terras peteret longinquas, et tantos poſſet perferre labores. Sic dici *ἐξαναστῆσαι τινὰ* nemo dubitet. Vid. v. c. Dreſigius de V. M. N. T. I, 11. qui utitur

tur loco ſimillimo Aeliani V. H. 13, 21. ἡ Φήμη Φίλιππον ἐπὶ τὴν Ἀσίαν ἀνέστησεν. Propoſitae coniecturae, ἐξέστη α. ἡ. ἐ. *deuitauit ſecunda fortuna et ſors beata* Philippum, non adſtipulamur, nam ἐξέστη requirit caſum ſecundum, non quartum: ſic Philo de Spec. Legg. p. 775. ὧν ἐξέστη de Joſ. p. 543. τῆς ἐν ἔργοις ἡγεμονίας ἐκστὰς ἐκείνῳ. de Leg. ad Cai. p. 1025. ἐξιστάμεθα τῶν πόλεων, παραχωροῦμεν τῶν οἰκιῶν. de Nobil. p. 907. ἀνεπείσθη καὶ πρεσβείων ἐξίστασθαι τῷ μετ' αὐτὸν καὶ μετανοεῖν εὐθὺς ἐφ' οἷς ἐξέστη. Lib. 1. Vit Moſ. p. 640: μικρὸν ὕστερον ὧν ἐξέστη, μετεποιεῖτο. Aelian. V. H. 4, 24. ἐὰν ταῖς ἀλλήλων ὀργαῖς ἐξίστασθε, ut Philo 2. Alleg. p. 88. ὀργῆς κατεξαναστάντας.

Diſſ. 36, 4. ῥυπόντων καὶ ἀγομένων καὶ ῥυττομένων. Ultimum verbum eſt coniectura Dauiſii, quae non ſatisfacit Marklando, qui nihilo melius tentat πτυρομένων, nec Cel. Reiskio adeo emendanti κυριττομένων vel ῥηγνυμένων. Quomodo vero homines, de quibus hic ſermo eſt, ſe mutuo arietent, vel cornu petant? nec alterum aptius. Immo amplectenda erat vetuſta lectio ῥηττομένων. Adeone ignotum verbum ῥήσσω, Attica vero forma ῥήττω, quod in Gloſſis antiquis Graecolatinis explicatur *allido*, ut vertit quoque Vulgatus interpres Marc. 9, 18. Caſaubonis in Caſaubonianis p. 76. et Salmaſius ad Achillem Tat. p. 657. ſcribunt, eſſe verbum palaeſtrae, et ſignificare *deiicere et ſolo allidere*, idemque quod καταβάλλειν, quo etiam verbo in gloſſa apud Heſychium explicatur. Nec multum differt ab ἐπιρράττειν, de quo ipſe Reiskius egit in Animaduerſſ. ad Auctores Graecos Vol. 4. p. 104. Add. Marklandus ad M. T. 14, 7.

Jam quia in veteribus Scriptoribus inprimis ſingularia cuique animaduertere commentatorem et obſeruare decet, huius generis iſta notantur. Θάτερον pro τὸν ἕτερον, Diſſ. 2, 1. νήχειν pro νήχεσθαι, eadem, c. 4. utrumque ex idiotismo illius aetatis.

tatis. Sed fortasse tamen hic, ut ipse sentit, νήχεσθαι legendum est: in altero quod inest vitium auctoribus antiquis Grammaticis, qui θάτερον tantum pro τὸ ἕτερον, non pro τὸν ἕτερον recte dici tradunt, id quoque a superioris aetatis scriptoribus non prorsus alienum esse docent Valkenar. ad Euripid. Hippol. p. 201. add. vers. 894. Interpr. ad Thomam Mag. p. 120. seq.

Δεῦρο, pro ἐκεῖ vel ἐνταῦθα, *ibi* vel *hic*, Diss. 20, 8. Vocabulum ὑποτροφὴ solus usurpat Maximus, pro simplici τροφὴ Diss. 27, 5. 28, 3. 29, 1. ἀπολογία, non pro defensione solum, sed etiam pro accusatione, omninoque pro caussae actione, Diss. 22, init. ἀπολογίζεσθαι pro ἀπολογεῖσθαι 22, 4.

Caeterum hanc editionem etiam paullo copiosioris rerum indicis confectio commendat.

TENTAMINA EXPERIMENTORUM AD COMpassum perficiendum, et unicuique usui, tam nautico, quam terrestri, accommodandum; ut et ad virium magneticarum quantitatem explorandam et aestimandam spectantium,

a CHR. CARL LOUS.

Hafniae, sumt. Soc. typogr. 1773. in 4to, 130. pag. cum tabb. aen. 8.

Cl. Auctor in descriptione machinarum, quibus declinatio acus magneticae mari et terra obseruari possit, 1) de declinatione acus magneticae agit; 2) ipsarum machinarum structuram et partes, excepto versorio, explicat; 3) tentamina

mina defcribit, quae acubus et virgis magneticis hunc in finem inftituit, ut ex his regulas deduceret, fecundum quas verforium conftrui poffet; et 4) exponit, quomodo verforium ad ufum vel nauticum, vel terreftrem, conformandum fit.

Clariff. *Lous* declinationem acus magneticae, quam rerum naturalium indagatores non tantum in locis diuerfis diuerfam, verum etiam in iisdem variabilem cognouerant, defcribit, fimulque addit obferuationes ex libris phyficorum defumtas, quae hanc variationem manifeftant.

Varia iam inuenta funt *inftrumenta declinatoria*, in ufum terreftrem accommodata. Ex his Cl. Auctor duo recenfet et diiudicat, quorum unum a Gallo Sully, in tractatu, cui titulus: *Defcription abréegée d'un horologe etc.* 1726. defcriptum eft; alterum vero in *Commentariis Soc. Sc. Suecicae ad annum* 1763. reperitur. Tum fequitur explicatio inftrumenti declinatorii ab Auctore inuenti.

Inftrumentum hoc conftat bafi A B C ex, marmore albo ½ poll. craffo confecta, quae ope trium cochlearum E, F et F in fitu horizontali tenetur. Ad defcribendam lineam in plano bafeos meridianam, columna tribus articulis, G, H, I compofita, erigitur, cuius longitudo pro diuerfa altitudine folis meridiana mutari poteft. Extremitati columnae fuperiori annulus aeneus m affigitur. Intra hunc annulum orbis, in centro o perforatus, haeret, qui circum apices cochlearum o, o, e diametro oppofitos circumagi, et ope cochleae p pro lubitu firmari poteft. Pendulum M. adhibetur ad foramen o fupra centrum P, circum quod capfula os movetur, perpendiculariter dirigendum, ut radius folis per fo-

foramen transiens lineae meridianae inseruiat ducendae. Capsulae annectitur limbus eburneus U V, qui 20 gradus continet, quorum singuli in quadrantes diuisi sunt. Filum sericum in capsula extensum lateri P V parallelum, et stylus, cui acus imposita est, ita dirigi possunt, ut et filum et styli cuspis, et linea in fundo capsulae ducta idem planum occupent verticale. Hoc modo parallelismus acus et lateris capsulae P V optime cognoscitur. Acus magnetica longitudinem $7\frac{1}{2}$ poll. et pondus 25. gr. habet; alia eius forma praestantior in sequentibus traditur. Capsula ita constructa vitro obtegitur.

Usus huius instrumenti est facilis. Describitur nempe methodo consueta in plano baseos linea meridiana B β. Deinde capsula in hunc situm dirigitur, ut acus lateri P V parallela sit, et notatur quantitas declinationis, quam limbus U V indicat. Vt obseruationes eo accuratiores et minus molestae fiant, Cl. Auctor duas commendat tabulas, unam pro correctione lineae meridianae per altitudines solis correspondentes inuentae, et alteram pro iusta eleuatione foraminis s supra basin A B C, ut hoc situm altitudini solis meridianae conuenientem nanciscatur.

Mari declinatio acus magneticae *Compasso*, (*pixide nautica*) inuestigatur, cuius structura, pro ratione usus diuersi, varia est.

Sole oriente vel occidente Compassum dioptris instructum, quod *collineatorium* vocant, adhibetur, quo amplitudo solis magnetica obseruatur. Cum vero sol supra horizontem ascendit, Compasso, quod dicitur *azimuthale*, azimuthum solis magneticum dimetiuntur.

Cl.

Cl. Auctor structuram Compassi azimuthalis, quo inde a longo tempore nautae usi sunt, explicat, eiusque defectus enarrat, quorum praecipue duo sunt: 1) Acus magnetica, siue versorium, Compasso inclusum, quod ab Auctore *rosa* vocatur, vibrationes adeo lentas absoluit, ut distingui nequeat, utrum a viribus magneticis, an potius a nauis motu oriantur: 2) requiruntur duo obseruatores; id quod obseruationes reddit incertas atque molestas.

Angli, et Dnus Condamine, hos et reliquos defectus tollere conati sunt, quorum emendationes a Cl. Auctore referuntur, et examinantur. Deinde Compassum, quod alteri, a Dno Bouguer inuento, simile est, describitur.

In capsula exteriori A B capsula interior modo consueto suspensa haeret. Fundo huius capsulae G G, qui in medio foramen ouale habet, affixum est receptaculum cylindricum I I, plumbo repletum, quod simul machinamentum includit, cuius ope stylus k dirigitur. Ad latus receptaculi foramen reperitur, ut quando stylus corrigendi causa mouendus sit, accessus ad machinamentum pateat. Capsulae internae latera supra cylindros F et E, quibus capsula est suspensa, fenestellas habent, quarum altera vitro clauditur, cuius pars inferior lamellae eburneae L, cui filum adumbrans affigitur, insistit; in altera vero fenestella speculum iacet, quod ope cochleae infinitae pro quacumque solis altitudine inclinari potest. Speculi basis lamellae eburneae I imposita est, in qua linea notatur, quae indicis vicem gerit, et motu ipsius lamellae ad idem planum verticale redigitur, in quo styli cuspis k, et filum adumbrans versantur. Brachia N, N, in extremitatibus transversorio iuncta, inseruiunt, ut non solum filum adumbrans, cochleae femellae P af-

fixum, extendatur, et a cochlea mare dirigatur, sed ut etiam duo canaliculi incuruati Q, Q, intra quos vitrum colore tinctum R ducitur, figantur. Praeterea in capsula prope angulos oppositos duae cochleae verticales S, S, sunt applicatae, quae femellis suis in brachia abeuntibus rosam, quotiescunque placuerit, eleuando a cuspide remouent: tota vero capsula orbiculo ligneo V sustentari potest. Hoc modo, finita obseruatione, omnes machinae partes immobiles redduntur, et sic per tempus conseruantur longius, quam quum semper motu cientur.

Haec machina ad declinationes acus magneticae inueniendas idonea est, quaecunque adsint conditiones. Si enim sol ita splendet, ut umbra fili P L distincte appareat, unicus obseruator, oculo supra indicem posito, cum Compassi situm quaerit, ut umbra fili cum indice congruat, et simul ad gradum, vel gradus quadrantem attendit, quem index in rosa denotat, cuius contrarium declinatio erit. Cum vero umbra, ob lumen solis debile haud dignoscitur, Compassum una cum speculo et vitro solari hunc in modum disponitur, ut obseruator imaginem solis per vitrum transeuntem, a filo bissectum, in Speculo videat; reliqua fiunt ut ante.

Dnus Lous duo praeterea alia Compassa commendat, quorum unum itidem azimuthale, ab eo, quod modo descriptum est, inprimis in hoc differt, quod structura quodammodo simplicior est. Caeterum prope speculum et dioptram, collineandi causa applicatam, duo vitra solaria, quae circa axes mouentur, applicata sunt. Unum eorum in situ horizontali speculum, et alterum verticaliter erectum dioptram obtegit. Filum adumbrans inter duas extensum est regulas horis

horizontales, quae ſuis extremitatibus ex altera parte cum capſula interiori, ex altera vero cum lamina transuerſa, cui filum annectitur, coniunctae ſunt. Suſtentaculum capſulae internae inter duo parallelepipeda haeret, quae in crenis capſulae exteriori inciſis, ſurſum et deorſum moueri, et cochleis figi poſſunt.

Compaſſum alterum, quod collineatorium eſt, dioptras habet ita formatas, ut vitro ſolari interpoſito ad ſolem collineari queat, quamdiu altitudo eius 20° non ſuperat.

In nauibus maioribus nautae Compaſſum ſellae *collineatoriae* imponunt. Cl. Auct. hanc eius ſtructuram, quam Fig. 4. exhibet, inprimis commendat. Media huius ſellae pars, quae menſulam ſuſtinet, cum reliquis ita cohaeret, ut mobilis ſit, atque ſemper a ponderibus appenſis in verticalem redigatur ſitum.

Jam ſequitur pertractatio de virtute magnetica in acubus et virgis ex chalybe confectis. Cl. Auctor rationes virium iſtarum ex theoria pendulorum atque vectis determinare ſtudet. Methodo prima cel. Muſchenbroeck iam uſus eſt.

In experimentis hoc conſilio inſtitutis, acus ſiue virgas adhibuit, quae ex chalybe ad duritiem elateris temperato, ad formam parallelepipedi conformatae, et magnete artificiali, methodo conſueta, quantum fieri potuit impraegnatae erant.

Dnus Lous oſtendit, acum magneticam pendulo eſſe ſimilem, cuius punctum ſuſpenſionis in capitulo ſit, centrum

vero oscillationis per $\frac{2}{3}$ partes semi longitudinis acus a capitulo distet, si scilicet acus formam parallelepipedi habeat. Ut enim pendulum a grauitate actum in plano verticali oscillat, ita acus magnetica, a viribus magneticis mota, in plano horizontali vibratur.

Interim tamen pendula magnetica, ut appellari possunt, a reliquis in hoc differunt, quod duo pendula, quae a vi grauitatis in medio non resistente per arcus aequales mouentur, et aeque longa sunt, in loco terrae eodem aequalibus temporibus unam vibrationem absoluant, quamquam massis differant; duo autem pendula magnetica, aeque longa et massis diuersa, unam vibrationem inaequalibus temporibus efficiunt. Tenuiores enim et crassiores acus, diuersis celeritatibus vibrare deprehenduntur.

Itaque Cl. Auct. in comparatione virium magneticarum, primum acus et virgas adhibuit eiusdem longitudinis et ponderis, ad quas regulam, quae de pendulis aeque longis valet: *quadrata temporum singularum oscillationum esse in ratione virium reciproca*, applicauit; deinde explorauit etiam rationes virium magneticarum in acubus et virgis, quae eandem longitudinem, diuersum vero pondus habent.

His praemissis Dnus Lous virgas magneticas varias e filo serico suspendit, easque in plano horizontali a Meridiano magnetico per arcum 90° deduxit, quae in hoc situ sibi commissae a vi magnetica mouebantur, et ab initio usque ad finem motus certum vibrationum numerum absoluebant. Ex his vibrationibus Cl. Auctor eam vocauit *mediam*, quae tum obseruabatur, quum virgae motus adeo erat diminutus, ut haec solummodo arcum 45° a Meridiano magnetico utrin-

que

que percurreret. Tempus eiusmodi vibrationis mediae aequale eſt tempori omnium, quas virga peragit, vibrationum, diuiſo per earundem numerum.

Itaque in omnibus vibrationibus mediis, virgae et acus magneticae per arcus aequales mouentur. Hoc modo Cl. Auct. expertus eſt, virgam magneticam A, quae longitudinem 7. 85 poll. et pondus 400 gr. haberet, e filo ſerico ſuſpenſam, 6 minutis ſecundis vibrationem abſoluiſſe mediam; aliam virgam magneticam B, eiusdem cum priori materiae et longitudinis, ponderis vero, 45 gr. intra tempus $4\frac{4}{5}''$ vibrationem mediam confeciſſe. Cum vero virgae B alia aenea C, aeque longa, alligaretur ita, ut virga compoſita B + C virgae A pondere aequalis fieret, illa in media vibratione tempus $7\frac{4}{5}''$ conſumſit.

Cum igitur A et B + C eandem longitudinem idemque pondus haberet, et aequales arcus in vibratione media percurrerent, Cl. Auct. colligit, quadrata temporum vibrationum mediarum in virgis A et B + C eſſe in ratione virium reciproca, ſiue $(7\frac{4}{5})^2$ eſſe ad $6,^2$ uti vim magneticam in A, ad vim magneticam in B + C. Sublata virga aenea C eadem manebit ratio virium magneticarum in A et B; ita, ut vis magnetica in A ad vim magneticam in B ſit ut $(7\frac{4}{5})^2$ ad $6,^2$ ſiue ut 1521. ad 900. Nam in C virtus magnetica eſt nulla.

Porro Cl. Auct. oſtendit, *quadrata temporum vibrationum mediarum in virgis aeque longis, pondere vero diuerſis, eſſe in ratione compoſita ex maſſis, ſiue ponderibus, directa, et ex viribus magneticis inuerſa.* Nam quadratum temporis vibrationis in A ad quadratum temporis in B, eſt ut 6^2 ad $(4\frac{4}{5})^2$,

ſiue

ſiue ut 900 ad 576, et maſſa in A ſe habet ad maſſam in B, uti 80 ad 29; quoniam $\frac{400}{5} : \frac{145}{5} = 80 : 29$; vis magnetica vero in A ad vim magneticam in B, erat ut 1521 ad 900. Si igitur 80 per 900. multiplicatur, et 29 in 1521. ducitur, erit proxime $6^2 : (4\frac{4}{5})^2 = 80 \times 900 : 29 \times 1521$, ſiue $900 : 576 = 72000 : 44109$. Hanc proportionem Cl. Auctor in omnibus huius generis tentaminibus inuenit conſtantem.

Si igitur tempora vibrationum mediarum in virgis aeque longis, earumque pondera per experientiam inuenta ſunt, facile erit vires magneticas in his virgis comparare, quae erunt *in ratione compoſita ex maſſis directa et ex quadratis temporum vibrationum mediarum inuerſa.*

Dnus Lous verſorium ex duabus virgis, quarum quaeuis virgae B aequalis erat, compoſuit, ita tamen, ut virgae ubique aequaliter inter ſe diſtarent; et hoc verſorium e filo ſerico hunc in modum ſuſpendit, ut ambae virgae in plano horizontali eſſent eodem, mediamque obſeruauit vibrationem, quam cum vibratione media virgae ſimplicis B inuenit iſochronam.

Itaque in hoc verſorio, ſecundum regulas ſupra traditas, virtus magnetica duplo maior fuit quam in B, quoniam in hoc caſu vis magnetica in verſorio compoſito ad vim in B, eſt uti 2×145 ad 145, i. e. ut 2 ad 1; et ſuperauit etiam una quinta parte vim magneticam in A, quamquam haec pondus haberet maius.

Eapropter aliquot virgae in verſoriis parallelae praeferendae ſunt ſimplici craſſiori. Verſorium enim eo praeſtan-

ſtantius eſt, quo fortius a magnetica vi ad meridianum pellitur.

Cl. Auctor iam ad alteram acus magneticae disquiſitionem progreditur, dum eam ut vectem conſiderat, cuius hypomochlium in capitulo ſit, potentia vero magnetica per $\frac{2}{3}$ partes ſemilongitudinis acus ab hypomochlio diſtet, onus denique in centro grauitatis communi utriusque partis acus dimidiatae verſetur.

Quae quum ita ſint, acui 400 gr. ex filo ſerico ſuſpenſae applicuit pondera duo plumbea, ſingula 188 gr. eiusque vibrationes obſeruauit medias, quae pro ratione diſtantiae ponderum a capitulo variae erant; tardiores nempe in diſtantia ponderum maiori, et celeriores in minori. Ex quo colligit, vim magneticam ad acum mouendam varie proficere, pro ponderis propiori vel remotiori ſitu ab hypomochlio.

Deinde Dnus Lous duas virgas magneticas A et D, quarum et longitudines et pondera erant ut 2 ad 1, e filo ſerico ſuspendit, atque tempus vibrationis mediae in A $4\frac{4}{5}''$, in D vero $3\frac{3}{5}''$ inuenit. Extremitatibus virgae D adiunxit duas virgas ſtanneas, ut virga ſic compoſita E eandem longitudinem, idemque pondus et volumen haberet cum A. Quod fieri potuit, quia ſtannum et chalybs eiusdem fere ſunt grauitatis ſpecificae. Tempus, quod virga compoſita E in vibratione media conſumebat, erat $9''$.

Si vis magnetica in A eandem diſtantiam ab hypomochlio haberet, quam in E, hae virgae ut duo pendula magnetica eiusdem longitudinis et ponderis ſpectari poſſent, quorum vires forent ut 9^2 ad $(4\frac{4}{5})^2$, ſiue ut 81. ad 23.

04. Cum vero distantiae virium magneticarum ab hypomochlio in A et D sint uti 2 ad 1; quoniam A duplo maiorem longitudinem habet quam D, et distantia in D non mutatur, quanquam adiungantur virgae stanneae: erunt etiam distantiae virium magneticarum in A et E uti 2 ad 1. Ergo vis magnetica in E duplo maior sit necesse est, quam quae in proportione modo dicta reperitur; et vis magnetica in A ad vim in E erit ut 81, ad 23. 04 $\times$ 2, i. e. ut 81. ad 46. 08.

Haec ratio virium magneticarum non mutatur, etsi virgae stanneae remoueantur. Itaque vis magnetica in A ad vim in D erit, ut 81, ad 46. 08.

Porro Cl. Auctor ostendit, *quadrata temporum vibrationum mediarum in virgis longitudine et pondere diuersis esse in ratione composita ex directa massarum, directa longitudinum, et inuersa virium magneticarum.* Quadrata enim temporum vibrationum mediarum in A et D inter se sunt ut $(4\frac{4}{5})^2$ ad $(3\frac{1}{5})^2$, siue ut 576. ad 256. massae vero eandem quam longitudines rationem habent, scil. ut 2 ad 1; et vires magneticae supra erant ut 81. ad 46. 08.

Jam vero, si 2 $\times$ 2 in 46. 08, et 1 $\times$ 1 in 81. ducuntur, erit proxime $(4\frac{4}{5})^2 : (3\frac{1}{5})^2 = 2 \times 2 \times 46.08$
$1 \times 1 \times 81$, siue $576 : 256 = 184.23 : 81$.

Hanc proportionem Cl. Auctor in multis, quae instituit, tentaminibus, immutabilem cognouit.

Ex

Exinde porro concludit, rationem virium magneticarum in virgis, quarum longitudines, pondera, et vibrationes mediae cognitae ſint, facili negotio poſſe inueniri.

In experimentis, quibus Dnus Lous rationes virium magneticarum inueſtigare ſtuduit, virgae et acus magneticae a nulla frictione fuerant impeditae. Jam reſtat tentare, num regulae ſupra inuentae tum quoque valeant, cum frictio adſit. Quapropter easdem virgas et acus, quibus antea uſus fuerat, capitulo applicuit achateo, et quum vibrationes de nouo exploraſſet, expertus eſt, frictionem in ſingulis vibrationibus nihil mutare, earum vero numerum valde diminuere. Hinc colligit, quantitatem virtutis magneticae ex numero vibrationum, quas acus vel virgae usque ad quietem abſoluunt, haud poſſe diiudicari; quippe qui creſcente frictione decreſcit: durationem contra vibrationis mediae pro certo ſigno aſſumi poſſe; haec enim a frictionis varietate non afficitur.

In antecedentibus vidimus, vim magneticam augeri, ſi duae vel plures virgae parallelae adhibeantur: iam Cl. Auct. iuſtam diſtantiam determinare ſtudet, quam eiusmodi virgae inter ſe habere debent. Hunc in finem experimenta in auxilium vocauit, et hoc modo cognouit, inter virgas 6 poll. longas iuſtum interuallum terminos 9 et 10 lin. non excedere; in longioribus autem hoc a 10 usque ad 16. lin. eſſe adaugendum.

Porro vidit, 1) virgas ita iunctas eo celerius moueri, quo minus a partibus, quae vi magnetica carent, onerentur; 2) diminutionem celeritatis inde ortam eo magis accreſce-

re, quo longius partes istae a capitulo distent, 3) pondus ipsarum virgarum celeritatem non diminuere.

In construendis rosis Cl. Auct. dicit, partim ad vires magneticas, partim ad nauium motus respiciendum esse. Hinc rosae, ut usum praestent, quem nautae desiderant, 1) ita mobiles sint necesse est, ut a concussibus nauis parum afficiantur; 2) tanta vigeant magnetica vi, ut se ad Meridianum magneticum bene dirigant, in quiete haud facile perturbentur, et tanta vibrentur celeritate, quanta opus est ad distinguendos motus, qui a viribus magneticis et nauium gyrationibus efficiuntur.

Deinde rosas, quae proprietates modo dictas habent, describit. A. Praecipue vero commendat eas, quae diametrum 6 vel $6\frac{1}{2}$ poll. longam, pondus $\frac{3}{4}$ unc. capitulum achateum, cuspidi chalybeae impositum, et quatuor virgas magneticas habent, quibus orbis ex vitro Moscouitico confectus, et charta subtili obductus imponitur.

Cl. Auct. cum rosis tentamina suscepit, ut cognosceret, quomodo in vicinia ferri perturbarentur, et obseruauit: 1) rosas unica, vel quatuor virgis magneticis instructas, siue versentur in capsulis, siue extra eas, in eadem a ferro distantia aequaliter perturbari; 2) Ferrum, pro vario suo volumine, in eandem rosam varie agere, ita ut ferrea moles 32. libr. per 2 ped. a rosa distans nullum exerat effectum; adaucta vero massa eius ad 1000 libr. sphaera actiuitatis ad $9\frac{1}{2}$ ped. extendatur.

Jam A. rosas pro vario usu quodammodo diuersas describit. In Compassis azimuthalibus singulis quatuor virga-

garum magneticarum aſſignat pondus 30. gr. reliquis vero partibus 180. gr. Diametrum roſae facit 6 poll. longam, et marginem eius in gradus, graduſque in quadrantes diuidit. In Compaſſis collineatoriis pondus roſae aliquantulum minuit, ut virgae ſimul ſumtae 100. gr. ac reliquae partes 160 gr. ponderent; et praeter gradus in margine notatos rhombos etiam adumbrat, quod in roſis Compaſſorum azimuthalium omiſerat, ut umbra fili melius cognoſcatur. In Compaſſis, gubernatoriis roſae aequilibrii cauſa duas aut quatuor laminas orichalceas adiungit, quae et cum virgis quatuor magneticis, et cum reliquis partibus idem habent pondus, ſcil. 180. gr. ut pondus totius roſae 360. gr. conſtet. In plano huius roſae rhombi et ſemirhombi delineantur.

Dnus Lous annotat, Compaſſa roſis eiusmodi inſtructà in nauibus tantum maioribus adhiberi poſſe; ad alia vero Compaſſa, quae in uſum nauium minorum, inprimis ſcapharum conſtruuntur, leuiores roſae parandae ſunt, ita ut totum earum pondus 156. gr. habeat. Hoc enim modo concuſſus vehementiores in roſis ab eiusmodi nauibus excitati mitigantur. Reliqua talium Compaſſorum ſtructura, quam Cl. Auct. explicat, ab aliis non differt, niſi in hoc, ut capſula interna ſit cylindrica, atque intra annulum oualem ſuſpenſa haereat.

Structura Compaſſi gubernatorii, cuius deſcriptionem Cl. Auctor dedit, cum collineatorii forma conuenit, excepta roſa, cum iis partibus quae collineando inſeruiunt.

Cl. Auctor attractionem mutuam duarum rosarum vario modo explorare studuit, atque inuenit: 1) duo Compassa, quae rosas cum quatuor virgis magneticis habent, per 5 ped. a se inuicem remota esse debere, ne unum perturbetur ab altero; 2) duas rosas, quae eadem vibrantur celeritate, et 18 poll. inter se distant, si una circum alteram in circulo mouetur, nonnunquam a Meridiano magnetico deuiare, et quidem in utrisque deuiationem deprehendi eandem. Ex his sequitur, Compassa gubernatoria, si eorum duo in theca eadem includantur, non satis accurate nauium cursus indicare.

Subinde A. Compassum telescopio instructum describit, eiusque usum geometris commendare vult. Caeterum hoc Compassum Collineatorio simile est, cuius in antecedentibus mentionem iam fecimus.

Mox deinceps *de acu declinatoria* eadem deligentia egit, quam in describenda rosa nautica adhibuit. Eas acus ad declinationem obseruandam prae aliis idoneas esse censet, in quibus *quantitas magnetismi, ad impedimenta, quae obiiciuntur, maximam habet rationem.*

Unum ex his impedimentis est frictio, quae oritur, si acus capitulo instructa super cuspidem mouetur. Cl. Auct. multa instituit tentamina, ut detegeret virgas, in quibus vis magnetica ad frictionem maximam haberet rationem.

In hac disquisitione supposuit, frictionem cum pondere virgarum aequaliter crescere vel decrescere; et virgas ex chalybe eiusdem generis paratas, eodemque modo vi magnetica

tica

tita impraegnatas, capitulo achateo ſuper cuſpidem chalybeam mobili applicuit, easque ſub examen vocauit.

Virga A, quae habebat longitudinem 9 poll. et pondus 450. gr. intra tempus 36'' mediam confecit vibrationem. Virga B, eiusdem cum priori craſſitiei, longitudinis vero 8 poll. et ponderis 400. gr. in media vibratione tempus $33\frac{1}{2}$'' conſumſit. Virga L tenuior quam A, longitudine 6 poll. ac pondere 108. gr. interuallo temporis 23'' vibrationem mediam abſoluit.

In his virgis Cl. Auct. rationes virium magneticarum determinauit, easque inuenit in A et B ut 454 ad 415, atque in A et L, ut 454 ad 178. Frictiones vero erant in A et B ut 450 ad 400; in A et L vero, ut 450 ad 108. Deinde in quauis virga B et L eam partem virtutis magneticae quaeſiuit, quae frictionem eadem facilitate vinceret, qua tota vis magnetica in A frictionem ſuperabat. Haec pars erat in B 403, et in L 109. Quod fieri potuit, quia frictio in A ad frictionem virgae alterius, eſt ut vis magnetica in A ad partem quaeſitam. Cum igitur 178 : 107 > 415 : 403; erit etiam ratio magnetiſmi ad frictionem in L maior quam in B. Hinc vis magnetica, quae virgam L mouet, plus valet, quam quae virgam B motu ciet.

In aliis virgis, quae cum L craſſitiem habebant aequalem, diuerſam vero longitudinem, ratio magnetiſmi ad frictionem minor eſt deprehenſa.

Quum igitur virga L a vi magnetica fortius agitetur quam reliqua, illam praeferendam eſſe Cl. Auct. cenſet. Licet enim in acubus tenuiſſimis rationem magnetiſmi ad fri-

frictionem adhuc maiorem cognouerit, quam in L: tamen quantitas virtutis magneticae in his acubus non eſt tanta, ut obſtacula, quae nonnunquam obiiciuntur, e. g. vitium quoddam cuspidis, cui acus impoſita eſt, et alia eiusmodi, vincere valeat.

Alterum impedimentum eſt aeris reſiſtentia, quae motum acus magneticae retardat. Dnus Lous in aeſtimanda aeris reſiſtentia, et retardatione inde orta, ſequitur methodum ab Equite de Borda in Mem. de l'Acad. Roi. de Sc. 1763. traditam.

Retardationes, quas hoc modo calculo determinauit, in duabus virgis erant ſemper in ratione reciproca cum numero vibrationum, quas ſingulae virgae ab initio motus usque ad quietem peragebant. Quo maior itaque vibrationum eſt numerus, eo minor erit retardatio.

In verſorio ex duabus virgis parallelis compoſito 450. vibrationes, in virga vero ſimplici earum 350. numerabantur. Ex quo ſequitur, virgas ita iunctas retardationi eſſe obnoxias minori, quam ſimplices.

Cl. Auct. verſorium cum duabus virgis parallelis ita deſcribit. Duae virgae magneticae, quarum quaeuis pondus 145. gr. et longitudinem 7. 85. poll. habet, ita coniunguntur, ut ubique 5 lin. a ſe invicem diſtent. Hoc efficitur, ſi quinque parallelepipeda inter virgas ponuntur, quorum unum ex ligno, cui capitulum achateum infixum eſt, reliqua vero ex ſubere confecta ſunt. Virgae parallelepipedo ligneo duobus loris circumplicatae affiguntur. Verſorium ita conſtructum, charta ſubtili agglutinata obtegi-

gi-

gitur, in qua linea virgis parallela, et per centrum capituli tranſiens ducitur. Hoc verſorium ſtylo in capſula erecto deinceps imponitur.

Cl. Auct. huic pertractioni de acu declinatoria disquiſitionem inſeruit, in qua leges, ſecundum quas acus magnetica in motu acceleratur, explorare, et quatenus vis magnetica cum grauitate comparari queat, oſtendere ſtuduit.

Acum inclinatoriam, ſtudio ſummi Euleri aliorumque doctorum virorum, hunc perfectionis gradum iam nactam eſſe, ut vix aliquid addi poſſe videatur, Cl. Auct. profitetur. Itaque quasdam eiusmodi acuum, quae in uſu ſunt, modumque ſuſpenſionis, deſcribit atque diiudicat.

Inprimis vero acus tenuiores, nec nimis longas, commendat, quoniam in iis vis magnetica ad frictionem rationem habeat maiorem, quam in craſſioribus, ideoque illas eo facilius motu ciere poſſit.

In additamento Cl. Auct. ait, roſas, quas deſcripſiſſet, a nautis, in mari Baltico et in Oceano Atlantico, varia tempeſtate uſu fuiſſe probatas.

Quod ad ſummam huius tractationis attinet, multa tentamina accurate inſtituta bene enarrantur, quae ad cognitionem actionis virtutis magneticae in verſoriis amplificandam pertinent. Praecipue vero utilitatem et praeſtantiam verſoriorum ex aliquot virgis compoſitorum Cl. Auct. demonſtrare ſategit.

CALCULUS ASTRONOMICUS, SEU EPHEMErides pro Anno 1777. cui adnexa est collectio relationum et obseruationum nouissimarum ad rem astronomicam pertinentium.

Berolini apud Haude et Spenerum 1775. in 8.

Satis iam rerum mathematicarum periti, de laudibus et praestantia huius operis, non ita pridem coepti, norunt; e re itaque a laudando nos abstinemus, contenti breuem solummodo rerum pertractatarum indicem exhibuisse.

Computus, qui pro duodecim mensibus institutus est, nititur totus tabulis Solaribus ex lunaribus Mayerianis, cum Caillianae ante in hun usum adhibitae fuerint. Planetarum autem theoria condita est ad ductum tabularum Halleianarum, quemadmodum Satellitum Iouis ratio et notus ex Vargentinis repetita fuit. Ortus Solis et occasus in dies singulos designatus est conuenienter altitudini polari 52°, 32', 30'' affixaque est arcuum tabula, ut eius beneficio etiam pro aliis locis, eiusdem ortus et occasus, tempus determinari possit.

In Solutione problemaris, quod de permutandis temporibus praecipit, fieri quandoque solet, ut conclusioni sese insinuet error inde veniens, quod adhibita esset methodus, quae differentias tantum primas spectat; in quo quidem casu ad maiorem adcurationem ad differentias secundas calculus reuocandus est.

Ad

Ad motum horarum, diametrum Solis, et durationem transitus eiusdem per meridianum, atque distantiam a terra, spectant columnae, quae numerantur a secunda ad sextarm. Ipse videlicet hic motus solis, non tantum in eclipsium rationibus suum usum insignem praestat, verum etiam conducit loco eiusdem assignando extra meridianum.

Inprimis diametri rationes necessario cognoscendae sunt, in obseruandis et redigendis eclypsibus, (quod hic factum est,) tam in transitu solis per meridianum, altitudine, maculis solaribus, in transitu denique Mercurii, aut Veneris per discuntur prearem.

In calculo Planetarum occurrunt eorum geocentriea longitudo et latitudo, recta ascensio, apparens distantia a Sole, atque transitus per meridianum, et sic porro. Heliocentrica item et geocentrica longitudo et latitudo Saturni, atque Veneris, duplici tabella exhibentur, atque Stellae, cum quibus conferri possint, simul notantur. Ratio axis maioris ad minorem, scilicet annuli Saturni oppositionis tempore, constituitur numerus 1000 : 319.

Catalogus Stellarum his ephemeridibus exhibitus 280. profert, et fere totus exactus est ad obseruationes Bradleianas, et Caillianas. Quatuordecim columnis constat, in quibus est nomen, situs, magnitudo apparens, ascensio recta, e. q. r. Praecipue vero seruiunt inueniendo tempori transitus fixae cuiusdam per meridianum; cuius rei methodus satis conueniens traditur. Et quandoquidem Doppelmayerus, (cuius per Germaniam, et fere ultra, sparsus Atlas coelestis, satis celebris est,) et nomina fixarum, et ordinem, quem tenuit Bayerus, incommodo valde ausu mutauit; sep-

tima columna docet inſtituendam utroque nomine Stellarum comparationem. Quae de refractione radiorum, eademque vera aſſignanda traduntur, nutatione axis terrae, aberratione planetarum, ac cometarum, quo ſpectat 15. tabula, praecipiuntur, omnem attentionem merentur, ut et reliquorum phaenomenorum theoriae, qualis eſt de fixarum, et planetarum, per lunam facta obſcuratione, annuli Saturni phaſium, itemque Veneris, non minoris certe iucunditatis ſunt, atque utilitatis.

ENVMERATIO.

EDITIONVM COMMENT. JO. SLEIDANI DE Statu Relig. et Reip. Carolo V. Caeſ. quae deſiderantur

A

JO. GOTTLOB BOEHMIO Pr. Lipſ.

Lectoribus Beneuolis.

Quamquam in colligendis editionibus Commentariorum Io. Sleidani, de ſtatu Religionis et Reipublicae Carolo V. Caeſare, ſui huc usque tam felix fortunatusque, ut in manus meas quamplurimae, etiam rariſſimae, venirent, numero admodum centum: tamen in illa paene incredibili copia editionum talium, quae in Germania praeſertim, et in Gallia factae ſunt ſuperioribus Seculis, deeſſe mihi haud paucas tum equidem ipſe exquirendo animaduerti, tum monitu virorum doctorum comperi. Ex his igitur, quibus aegre careo, ſi quae lateant in bibliothecis ac bibliopoliis, eas ſane vehementer cupio vel permutatione aliarum edi-

editionum bonarum, vel pretio iuſto et aequo, redimere, ac mihi habere. Hac animo, atque hac de cauſſa, iſtarum editionum indicationem hanc in medium proferre, ac ſecundum ordinem annorum, quibus prodiere, ante oculos ponere eo minus dubito, quo certius ſpero, non defuturos eſſe viros doctos bonosque deſideriis noſtris. Valete. Scr. Lipſiae, a. d. XV. Iul. An. MDCCLXV.

* * *

A. edit.	
1556.	*Io. Sleidani* Commentarii — Argent. apud Rihelios fratres, — f. (*ſine tabulis.*)
———	Hiſtoire de l'eſtat de la Religion et Republique — par *Iean Sleidan,* nouvellement traduite, ſ. l. — 8.
1558.	Trois Livres des IV. Empires Souverains, avec l'Hiſtoire de l'eſtat — à Strasb. — 8.
———	Hiſtoire de l'eſtat de la Rel. — à Anvers, — 8.
———	Sommaire de l'Hiſtoire de l'eſtat — diſpoſé par tables, — á Strasb. — 8.
1559.	Joh. Sleidans Beſchreibung aller Händel — Straßb. — f.
	Wahrhafte Beſchr. was ſich von dem 1517. Jar hat zugetragen, — durch Valentin Märtz verteutſcht. Pforzheim. — 8.
1560.	Hiſt. entiére de l'eſtat de la Rel. — chez Iean Bonne Foy, — ſ. l. — 8.

1561.	Hist. de l'estat de la Rel. — chez I. Crispin, — s. l. — f.
———	Ioh. Sleidans Beschr. aller Händel — Straßb. — f.
———	Ioh. Sleidans Beschr. aller Händel — Frf am. Mayn — f.
1562.	Ioh. Sleidans wahrhafte Beschr. — durch Pantaleon, —
1564.	*Io. Sleidani* Beschryvinge van de Religie — 4.
1565.	*Io. Sleidani* Commentarii — Basil. f.
1566.	*Io. Sleidani* Commentarii — Basil. f.
1568.	*Io. Sleidani* Comm. — per Delium, — Argent. — f.
1569.	*Io Sleidani* Comm. — apud Badium, — s. l. — 8.
1571.	*Io. Sleidani* Commentarii — — — — — 8.
1573.	Ioh. Sleidans Chronika — durch Beuthern, Frf. am M. — f.
1577.	*Io. Sleidani* Comm. — apud Theod. Rihelium, — Argent. — 8.
1578.	*Io. Sleidani* Comm. per Delium, Argent. — f.
———	*Io. Sleidani* Commentarii — Argent. — 8.
———	Ioh. Sleidans Beschr. — durch Beuthern, — Straßb. — f.
1584.	Waerachtige Beschrybinghe *Io. Sleidani*, — Antw. — 4.
1587.	Ioh. Sleidans Beschreibung — Straßb. — f.
1592.	An Epitomy of Eccl. History by *I. S.* — Lond. — 8.
1593.	*Io. Sleidani* Commentarii — Argent. — 8.
1599.	Les Histoires de *Sleidan*, — f.

Io.

1601. *Io. Sleidani* Commentarii — Frf. ad M. — 8.
1608. Joh. Sleidans Verzeichniß aller Händel, — Straßb. — f.
1609. *Io. Sleidani* Commentarii — Frf. ad M. — f.
1612. Joh. Sleidans Beschreibung — Straßb. — f.
1622. Erneuerte Sleidanus, — Frf. am M. — f.
1624. De Werken van *Sleidans*, — Roterd. et Delft
Io. Sleidani Comm. Versio Hispanica.

S. Fontaine Histoire catholique de notre tems, — contre l'Hist. de *Jean Sleidan*, à Anvers 1558. 8. — Par. 1558. 8. — 1588. 8.

Roveri Fontani Hist. Eccl. nostri temporis, — Colon. 1558. 8.

Historia catholica de tempi nostri, del *S. Fontana*, tradotta per *Giuseppe Horologi*, in Venet. 1563. 8.

Cyriaci Spangenbergs Antwort und Bericht auf das Buch Casp. Genneps Epitome — wider des *Sleidani* Commentarios — Eisleben, 1560. 8.

Eyn Ernsthaftigs Gespreche zwischen Casp. Gennep und Cyriac. Spangenberg über die Geschichtschreibung *Io. Sleidani*, — Cölln 1561. 8.

I. F.

I. F. Matenesii Hiſtoria, in qua de ſtatu Rel. et Reip. mendacia et impoſturae *Io. Sleidani* refelluntur, Col. 1622.

R. B. W. S. I. Chronica von Auf= und Untergange des Lutheriſchen Evangelii, 1730. 8.

H. Brükners wiederholte gründliche Vorſtellung, daß die Ephemerides — eine Schmähſchrift ſind, Meinungen, 1681. 4.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXIII.

CONTINUATA ENARRATIO RERUM PRAEcipuarum, quae in Cl. NIEBUHRII Descriptione Arabiae continentur.

Cum priori parte libri, cuius recensionem rerum nuper copia abrumpere nos coëgit, Cl. eius Auctor uniuersae Arabiae notitiam nobis tradidisset, iam a pag. 180. maiores eius partes singulas describit, et de terris Jemen, Hadramant, Oman, Lachsa, Hegas, Neged, et interiectis Nomadum Arabum regionibus deinceps exponit. Ex his Jemenensem cum Hadramotide eam partem efficere docet p. 283. quam veteres Felicem nominauerint, Hegasam Petraeae Negedam Desertae accenseri posse. Situs, quantum ex descriptione et tabulis intelligitur, talis est, ut si a Sinu Arab. haud procul Gunfuda (latit. 19. gr.) lineam versus orientem duxeris, australi orae Arabiae parallelam, quae in Sinus Persici angustiis terminetur, ea linea versus meridiem separet Jemenam, Hadramotidem, Omanam, cum interiacente inter utramque solitudine, a reliquis regionibus magis versus septentriones remotis, ex quibus Hegasa ad Sinum Ar. in longitudinem porrigitur, Lachsa, s. Hagar sinum Pers. occupat, quidquid medium est, Neged vocatur. — Aliter Geographi Arabum, Nubiensis et Abulfeda: hic enim ex Haucalide (ibn Haukal) Arabiam, ratione situs in Su-

 pe-

periorem f. montanam (*Nagd*,) Mediam et Inferiorem (Tehama,) diuidit, Felicem vero Ar. *el Jemen* vocat, terramque Jemenenſem proprie dictam cum parte Tehamae, Hadramotidem cum Seer et Mahra, Omanenſem et Negedenam complecti tradit. Cum his ſi A. noſtrum comparaueris, *Superior* illius Arabia Lachſam Omanamque, cum adiacente ſolitudine; *Media* Negedam, Hadramotidem et Jemenae Hegaſaeque plurimam partem; *Tehama* vtriusque huius regionis planas et campeſtres partes continere intelligetur. Quod ad tripartitam Graecorum diuiſionem attinet, eadem noſtra, quae *Nieburii*, ſententia eſt, modo ad Felicem Ar. Omanenſis regio, ad Deſertam Lachſa adiungatur; Negedam, quae veteribus parum cognita fuit, cuicunque parti accenſeri quis velit, perinde eſſe iudicamus. — Jam vero non omnes illas partes pari diligentia A. deſcripſit, ſed prae ceteris Jemenam accuratius nobis expoſuit, cuius ipſe plurimam partem peragrauerat; de reliquis fere, quod auditu cognouerat, tradidit.

I. *TERRA JEMENENSIS*, quae nunc dicitur, (ارض اليامن,) in auſtrali Arabiae parte ad ſinum Ar. et mare Erythraeum ſita, Hegaſae, Hegedae, et Hadramotidi contermina, et ab ipſa natura in duas diſtributa partes, campeſtrem, ſeu Tehamam, quae ad mare porrigitur, et montanam, ſeu Gebbal, quae verſus ortum a mari receſſit, Jemena igitur in multas diſcerpta eſt ditiones multisque dominis paret, quorum nullus ſubiectus eſt alii. Sunt autem partes, quae ab A. deinceps enumerantur, quatuordecim numero:

1. *Jemena* ſenſu anguſtiori, quae Imamo Sanaënſi ſubeſt;

2. Principatus *Aden*;

3. Principatus *Kaukeban*; de his, quia prae ceteris memorabiles ſunt, mox copioſius dicemus, praemiſſa ceterarum breui deſcriptione.

4. Regio *Haſchid u Bekil*, vel *Bellad el Kobail*, i. e. Terra Foederatorum, (p. 288. ff.) inter Deſertum Amaſenum, terrasque Gof, Kaukeban, Jemen, et Abuariſch, alterum

terum nomen habet a ratione ciuitatis, alterum a duobus fratribus حشيد وبكيل, conditoribus gentis, ex qua Dynastae huius regionis ortum trahere contendunt. Complectitur oppida et vicos quamplurimos, habitatos a variis gentibus tribubusque, quae a principibus singularum gentium ita reguntur, ut ab imperio nullius pendeant, exceptis paucis, qui Regi Sanaënsi se subiecerunt. Sunt autem hi Phylarchi (Schech) perpetuo foedere iuncti, ut, cum bellum a finitimis ingruat, vi coniuncta fortius possint resistere. Ipsi autem incolae huius regionis ceteros Arabes fortitudine superant, itaque etiam alii principes libenter eorum auxiliis ad bellum utuntur, et reperiuntur semper aliquot eorum millia, quae aut in Jemenensi exercitu, aut in Meccano, stipendia faciant. Ceterum in hoc tractu A. pagos 33. recensuit, et multa oppidorum et vicorum posuit nomina, sed memorabilia nulla, Una notabilis est *Cheiwan* in pago cognomine, nunc exiguum oppidum, olim regum Homeritarum sedes, cum reliquiis antiquissimorum aedificiorum. Idem pagus Abulfedae memoratur, qui dicit, a gente Tababah habitari; et hodie in eo est Beit el Toba, sedes et domicilium ducis cuiusdam ex gente Toba. *)

5. *Abu Arisch* ditio, iuxta sinum Ar. in longitudinem porrecta a borealibus regni Jemenensis finibus, versus ortum habet terram Foederatorum et deserta Amasiae, ipsa in Tehama sita, arida et sterilis, nisi qua e montibus vicinis aqua ir-

*) Quid, si hic *Choanos* Plinii quaeramus? qui, quantum ex eius narratione intelligitur, in eo tractu coluerunt, in quo Aelius Gallus oppida quaedam cepit, inter Negram et Mariabam, i. e. Negeran et Mareb. Sed in hac parte cum Plinius recenseat *Caurananos*, *Coranitas*, *Caesanos*, *Choanos*, nonne similia nomina videntur *Chaulan* regionis, Haran al *Korain*, oppidi secundum Abulfedam, et pagorum Beni *Kais*, et *Cheiwan*, quae omnia in eo tractu reperiuntur? et quoniam in eadem regione legitur nomen oppidi *Aram* in pago *Maribba*, in mentem alicui venire possint *Charamaei* Plinii, cum opp. *Marriba*, f. Mariba diuerso a celebri illa Mariaba Sabaeorum, omnium metropoli.

irrigatur, haud ita pridem Imamo Sanaënſi paruit, nunc Scherifo cuidam, qui ex Praefecto Imami dominum ſe huius regionis fecit, et ab Europaeis vulgo Scherifus Geſanenſis vocatur propterea, quod hi ex tota regione haud facile alium locum cognitum habent, quam *Geſan*, oppidum antiquum cum portu idoneo, unde magna vis foliorum Sennae et aliquantum Caffeae euehitur. Praeter hoc oppidum, et primariam urbem *Abu ariſch*, opp. *Attuje* eſt in extremis finibus ad mare, quod fuerit fortaſſe Ἀδέδυ Ptolemaei, nam latitudo ſatis conuenit; et quae apud eundem dicitur Σάβη, et a Stephano πόλισμα πλησίον θαλάσσης καὶ Φεγγίον vocatur, plane eſt *Sabbea*, quam in eadem latitud. 16° 50' videmus in tabula Nieburiana. Idem Nieburio videtur, qui amplius coniicit p. 293. hanc fuiſſe Sebam Chuſitarum Geneſ. X. ſed cum addit, Caſſanitas, quos ibi Ptolomaeus ponit, dictos videri ob opp. Geſan, ſ. Ghaſan, ut Geogr. Nub. ſcribit, neſcio an ſibi multos habiturus ſit conſentientes.

6. p 269. Inter T. Abu ariſch et Hegaſae fines, maritimam incolit gens nomadica (Bedui,) libera, per dynaſtias ſingulas diuiſa, latrociniis et rapinis dedita. Contemnitur a reliquis Arabibus et odio habetur, quod in religione, etſi Mohammedem ſe ſequi profitetur, ab omnibus diſſentit, et peculiari genere circumciſionis utitur. Cl. Nieburio occaſionem hoc dedit ſuſpicandi, a Mohammede eos tantum in ſuas partes perductos eſſe, qui oppida incoluerint, reliquos Scenitas et liberos veterem gentiliſmum ſeruaſſe, admixtis ex Mohammediſmo nonnullis. Ceterum ſectae genus a nonnullis traditur vocari *Maſalich* (مصاليخ), gentem ipſam *Beni Halál*, commemoratam etiam Geogr. Nub. Clim. 2. p. 5. quos Bochartus Phal. II. 19. Alilaeos et Jerachaeos putabat.

7. *Chaulán* (p. 270.) exigua terra eſt, de qua nihil A. compertum habet, praeterquam quod ab occaſu Saadae urbis eodem ſitu poſita eſt, quo a Geogr. Nub. deſcribitur. Nominis autem ſimilitudine inductus, haud male ſuſpicatur, hanc

hanc خولان esse חוילה Chusitarum, Gen. X, 7. ibidemque fines australes Ismaelitarum quaerendos, Gen. XXV, 18.

8. Terra *Sahân*, p. 271. inter Foederatorum T. et Hegasam interiecta, montana est, aspera, sed fertilis, vitibus laeta, et metallis ferri praedita. Incolitur a gente, quae morum similitudine magis ad Scenitas Ar. Desertae, quam ad oppidanos Arabes Jemenae accedit, dialecto vero uti dicitur puriori, quae a sermone Corani proxime absit. Regitur a Phylarchis, quorum princeps est qui in urbe *Saada* sedem habet, et, licet exigua eius ditio sit, tamen Imami nomine utitur, quod ab Imamo Hadi, conditore domus Sanaensis et Kaukebanensis originem ducit. — Inter hanc terram et Foederatorum regionem desertum est, quod *Amasia* vel Amerschiah vocatur, (الاعمشيه Abulfedae paruus est in ea regione vicus) cum hospitio et fonte. *)

9. *Negrân* (p. 272.) parua ditio est, Sahanae ab ortu aestiuo finitima, irriguo solo et fertili, palmetis et pascuis abundans, equorum et camelorum genere per omnem Arabiam celebris; pars fuit regni Sanaënsis, sed nunc a Dynasta regitur, qui, cum ab Imamo huic regioni praefectus fuisset, non modo eam sibi subiecit, sed etiam irruptione in eius terras facta, quaedam in suam potestatem redegit, et nunc virtutis caussa per totam Ar. metuitur. Primarium oppidum est *Negran*, idque antiquissimum, quippe Ptolemaeo commemoratum nomine Ναγαρα, et antea ab Aelio Gallo captum; *Strabo* l. XVI. p. 537. Casaub. 1. *Plin.* H. N. VI. 28. — Haud maior ei a septentrione iungitur

10. Ditio *Kachtân*, cum oppido cognomine; (quod videtur esse Baisat Jaktan, Geogr. Nub.) ea vestigia et memoriam seruare videtur Joctanidarum, Genes. X, 26. nam Joctanem Arabes Kachtan vocant, p. 275.

*) Posset alicui in mentem venire fons *Emischabal* apud Plinium, in regione montana, nisi ille diserte interpretaretur ***camelorum oppidum***, unde hoc nomen (أم الجمل Em edschammel) nihil cum Amaschia commune habere intelligitur.

11. Terra *Gof* vasta latitudine versus ortum a Terra Foeder. in desertas inter Jemenam Omanamque regiones, versus meridiem a Negeda ad Hadramotenen protenditur, campestris plerumque, hic illic arida et arenosa, sed in nonnullis partibus satis fertilis. Pro triplici incolarum genere trifariam diuiditur, nam Bellad el Bedui a Nomadibus habitatur, admodum bellicosis, qui soli Arabum lorica et galea utuntur, Bellad es Saladin (بلاد السلاطين) liberas Nobilium dynastias in montibus continet, et Bellad es Scheraf oppida et vicos habet, qui a Mohammedis posteris reguntur. In his nullum celebrius est oppido *Mareb*, quod cum nunc exiguum sit et tenue, olim principatum totius regionis Sabaeorum tenuit; ipsa enim Mariaba est Graecorum et Romanorum auctorum, quam Arabes olim Sabam dictam volunt, caput regni et populi Sabaei. Ei adiacet conuallis ampla, sicca illa nunc quidem, antiquissimis autem temporibus, quamdiu agger integer erat, quo angustus eius aditus inter montes claudebatur, lacu plena ex confluentibus riuorum aquis, quae cum per aggerem erumperent, celebrem illam inundationem Sabaeam regioni induxerunt. Cum similes lacus, arte collecti, etiam Constantinopoli aquam suppeditent, hunc quoque restitui et instaurari posse A. putat, nisi inopia et dissidia incolarum prohiberent: (conf. Mich. qu. 94.)

12. *Nehm*, p. 280., ditio parua inter terras Gof, et Haschid u Bekil, dynastam suum habet, liberum, αὐτοκράτορα. Eam a meridie attingit

13. *Chaulan* altera, diuersa ab illa superiori (n. 7.) sed eadem forte cum חוילה Joctanidarum apud Mosen, Gen. X, 29. In ea est oppidum *Tanaeim*, antiquum et valde celebre inprimis inter Judaeos arabicos, qui olim praecipuam ibi sedem multasque synagogas habuerunt, nunc rari et tenues ibi degunt. Ibidem vicus est *Beit el Kibsi*, cuius incolae omnes Scherifi sunt; ex his sumuntur, qui quotannis agmen Sanaa Meccam peregrinantium ducant.

14. Terra *Jafa* (يافع) p. 281. satis ampla, ab occidente Gophenem et montanam regni Jemenici, a meridie

Aden-

Adenam et partem Hadramotidis, ab ortu eandem Hadramotidem attingit; pars olim regni Jemenensis, nunc avulsa et in tres Principatus diuisa, quorum domini etiam de maritima Hadramotidis parte prouinciam Schechr sibi subiecerunt.

Sed redeamus ad praecipuam partem Jemenae, quae ab occasu sinu Arabico, a meridie principatu Adenensi, ab ortu terris Hadramaut, Jafa, Chaulan orientali, ab ortu aestiuo Terra Foederatorum, ab occasu aestiuo terra Abuarisch continetur, in longitudinem ad 48 mill. germ. porrecta, lata vero plus minusue viginti. Natura duplicem fecit: nam versus occasum, qua mare attingit, campestris et arida, unius, ad summum duorum dierum itinere lata; altera pars aspera est altis montium iugis, sed fertilissima, habetque riuos quamplurimos, qui, cum copiosior pluuia cadit, etiam cum Tehama aquas communicant, sed ex numero suo duos omnino in mare perpetuis aquis emittunt, Wadi Zebid, qui in sinum arabicum, et Wadi Meidam, qui in mare Erythraeum exit. Habitatur in montanis plerumque a Mohammedanis sectae Zeidenae, in Tehama a Sunnitis, quibus omnibus Baniani ex India aduenae, Judaeorum familiae fere 5000, Christiani vero, licet olim numerosi fuerint, et Episcopatus ibi habuerint, nulli, nisi forte in maritimis urbibus Habessini quidam, immixti degunt. Regitur a Principe vel Rege, qui, quod idem summi sacerdotis officio fungitur, *Imam* vocari solet, idemque Chalipha, et Emir el mumenin. Regnum autem ipsum latius olim patuit: non modo enim intra 50, qui proxime effluxerunt, annos, variae partes auulsae sunt, quod in singulis supra monuimus; sed antiquissimis temporibus integrae Jemenae vires, atque adeo Hadramotidis copiae, in unius regis potestate fuere. Haec felicitas regum Hamiariorum fuit, s. Joctanidarum, ante Mohammedis tempora. Sed de rebus illo tempore gestis nihil A. cognouit propterea, quod eam partem historiae parum Arabes curant; nec libros reperit ad eam pertinentes, licet tales su-

superesse ex fama perceperit. In his, (titulos enim posuit p. 186.) inprimis memorabilis videtur كتاب ملوك حمير, quem Forskálius viderat; quem vero A. Bark el Jemen vocat, is in bibliotheca Parisiensi seruatur, siquidem idem est qui ab *Herbelotio* bibl. or. p. 185. برق اليمن في فتنة العثمان dicitur. Ex alio, cui titulus est Kurrad el aijun, Forskalius excerpsit nonnulla, quae ad historiam Jemenensem a Mohammedis aetate ad an. Heg. 569. sive 1173. aerae Dion. pertinent. Hinc Jemenam apparet Chaliphis Bagdadenis, primum Ommiadis, deinde Abbasidis paruisse ad a. H. 239, quo tempore prima initia facta sunt singularum partium occupandarum per Jemenenses; hinc distractis in varios Principatus terris, modo Chaliphis, modo Jemenensibus, has illasue partes subiectas fuisse. — Sed post a. 1173. satis constat, Jemenam per Aegyptiorum Sultanum Salah ed din occupatam esse, atque inde in Aiubitarum venisse ditionem; nihilominus multi eorum, qui principes inter Arabes erant, libertatem et ius regni in montanis regionibus, quo confugerant, obtinuerunt, quoad reliqua pars in Sultanorum Aegyptiorum potestate fuit, ex qua liberata est Sec. XVI. ineunte. Mox cum Turci Jemenam inuaderent, maximam eius partem regia potestate tenebat familia Imami Hadi ex gente Mohammedis, quae victoribus coacta cedere, partim circa Kaukeban, partim circa Saadam montes occupauit, easque regiones ad haec nostra tempora obtinuit. Et de Imamo quidem Saadensi iam dictum est: *Kaukebanensis* vero *Principatus* angustum tractum complectitur, qui medius inter Imami Sanaeni terras interiacet, et diuiditur in 7 vel 8 pagos, quorum unus thermas habet acidularum aquarum; est in eadem regione oppidum *Schibam*, diuersum ab alio celebriori in Hadramotena, et *Kaukeban*, sedes Principum; horum genealogiam A exhibuit p. 256. — Kaukebanenses igitur, quamdiu Turci rerum summam tenuerunt, Imamorum ius et nomen sibi seruarunt: sed postea, cum Seiid Kassem ibn Mohammed, cognatione cum eorum familia coniunctus, (quem Ara-

Arabes a rebus gestis Magnum cognominant, (Kassem el kbir) eiectis Turcis regnum ipse sibi vindicasset A. Chr. 1630, illi translato cum regno ad victorem nomine, angustis suae ditionis limitibus inclusi, in Principis f. Domini nomine (Seiid, Sidi) acquieuerunt. Ex illo igitur tempore Kassemi posteri regnum administrarunt, eiusque sedem modo hanc modo illam urbem, tandem voluerunt esse Sanaam; et qui a. 1763. rebus ibi praeerat, Mahadi Abbas, ab eodem kassemo originem ducit. Gentem integram in tabula peculiari A. accurate descripsit p. 194. et, quae ea regnante acciderunt, narrauit copiose, prout ex quodam e Batauis oriundo, sed Mohammedana sacra amplexo, misero quidem homine, sed auctore et teste harum rerum locuplete, ista cognouerat. Ceterum his nostris temporibus Imamis insignis regni diminutio accidit, cum non modo Praefecti prouinciarum varii ipsi se dominos prouinciis imposuerint, verum etiam, qui Adenensem tractum incolunt Arabes, ante hos 40 fere annos, eiecto Praefecto Imami, ipsi sibi Principem legerint; ex quo tempore peculiaris *Principatus Aden* manet, qui ex altera parte regnum Jemenicum, ex altera mare australe attingit, et in latitudinem ad Hadramutin protenditur (p. 254.) et praeter *Adenam*, oppidum antiquum cum portu idoneo et emporio olim celeberrimo, (latit. 12° 40′) aliud oppidum *Lahage* habet, ubi sedes est Principis, et promontorium in mare porrigit, quod Europaei *Prom. S. Antonii* vocant; Ptolemaeo, ut videtur, Cabubatra mons appellabatur.

Jam ipsum regnum Jemenicum, quod hereditario iure a patre transfertur ad filios ex ingenua uxore natos, plerumque quidem obtinet, qui natu maximus est, interdum tamen minor a ciuibus praefertur; reliquis vero, qui spe regni exciderunt, reditus ex certis praefecturis attribui solent. Regunt autem Imami ciues suos pleno summoque iure, etiam in rebus sacris; nam Zeiditae Imamum agnoscunt summum religionis suae sacerdotem; Sunnitae vero magistratui (*Kadi*)

 suae

ſuae ſectae ſubiecti ſunt, qui Sanaae viuit, et Imamo paret. Ceterum non omnia ex arbitrio adminiſtrat, ut plerique orientalium reges, ſed adiunctum ſibi habet Senatum aliquem regium, ſiue collegium Kadiorum, cui ipſe praeeſt, et cuius conſenſu ad res grauiores gerendas carere non poteſt; quae ratio ad Britannicae ciuitatis naturam, aut ad Concilii perpetui, quod in Polonia nuper inſtitutum eſt, formam, ſimilitudine accedere videtur. Ceteri magiſtratus, et honorati in urbe viri, quia Arabes non multa dignitatum nomina habent, communi nomine *Fakih* appellantur. — Terra ipſa in praefecturas deſcripta eſt, quarum ſingulae a ternis magiſtratibus reguntur, a Praefecto, qui *Dola* et *Emir*, ſi ex regia gente ortus eſt, *Wali* vocatur, ſummamque poteſtatem habet in provincia, ut Paſchae Turcorum; ab alio, quem *Bas Kateb* vocant, curatore vectigalium et legato regis, qui Praefecti ipſius ceterorumque magiſtratuum prouincialium adminiſtrationem circumſpiciat et ſpeculetur; et a Judice rerum ciuilium et ſacrarum, qui *Kadi* nominatur: ut, ſi cum Romanorum ratione hanc comparare liceat, Dola imperium, Kadi iurisdictionem habere, Bas Kateb quaeſtoris vel potius procuratoris regii officio fungi cenſendus ſit. Ex omnibus vero praefecturis regni ad Imamum quotannis redire dicuntur 640, 000 Impp. monetae noſtrae, qui quomodo, quibusue nominibus a ciuibus exigantur, Auctori compertum non eſt: hoc tamen conſtat, maximam redituum partem venire ex portorio, pro Caffea exportanda ſoluto, quod quartam fere pretii partem perhibetur aequare. Nec magis A. cognouit, quantum inde, et in quasnam neceſſitates, quotannis impendatur; hoc unum comperit, exercitum 4000 fere peditum, equitumque 1000, ab Imamo perpetuo ali. Pedites ſclopetis ferreis ad globulos ignitos iaciendos, et in itinere ſcuto, haſta, et enſe, equites ſola lancea vtuntur; utrique veſtes pro lubitu ipſi ſumunt; pacis tempore nihil niſi Veneris quoque die Praefectum prouincialem, Sanaae vero Imamum ipſum, ad ſacra publica comitantur, et ubi redierunt, armorum uſum, artemue equitandi meditantur; in itinere cum

can-

cantu et ſonis muſicis incedunt, nonnullis praeſultantibus potius quam praeeuntibus; fundae et arcus uſum dimiſerunt; ſclopetis maioribus ſeu tormentis ad ferreas pilas iaciendas in acie non utuntur, pauca habent in munimentis diſpoſita, quae male reguntur. — Longarum nauium ad bellum nullus uſus eſt, ceterae naues vela ex ſtramine et iunco habent. Artes omnes in Jemenico regno contemtae et neglectae iacent; typographicum artificium ignorant Arabes, nec addiſcent unquam, ut Cl. A. ſuſpicatur, quia ſcriptae ab Arabibus litterae gratiorem ſui adſpectum praebent, quam typis expreſſae; eadem cauſſa fuit, quae typographiam Cplitanam Ibrahimi mox plane diſſipauit. Pictores et ſtatuarii nulli ſunt, quoniam qui ſanctiores videri volunt imagines auerſantur, ceteri paucas habent, et occultant. Aurum vero argentumque factum cernitur non ineleganter, ſed per Judaeos aut Banianos artifices. Muſicam artem plane negligunt, nec praeter tibias et tympana quidquam inſtrumenti habent — Opifices omnes opus faciunt ſedentes, hinc tornatores laeua manu arcum regunt, dextra et ſiniſtro pede tornum admouent; quod ne cui mirum videatur, addit A. Arabas, qui calceis pedes non comprimant, eorum digitos non minus agiles flexileſque habere quam manuum. — Monetas in Jemena paucas cudunt, aureas nullas; utuntur itaque aureis Venetis, et argenteis uncialibus Imperatoriis; domeſticae autem ſunt argenteae et aeneae, quarum quae maximi moduli eſt, unum florenum, minima quintam groſſi misnici partem pretio aequat. — De ponderibus Jemenicis A. tradidit p. 219. et ſeqq. pp. ex Forskalii ſchedis catalogum mercium appoſuit, quae per portum Mocchanum inuehuntur et exportantur.

Progreditur A. p. 221. ad enarrandas ſingulas regni prouincias, et cum campeſtris regio in ſex praefecturas, montana in 24 deſcripta ſit, ſingularum urbes, oppida, et vicos, deinceps recenſet; quorum ex numero nos, quae prae ceteris memorabilia videntur, excerpemus. De *Mocha* urbe, eiusque portu, qui ſatis inter omnes cognitus eſt, nihil di-

 ci-

cimus, nisi quod ante 400 annos condita est: unde mirum non est in Abulfeda eam non reperiri; sed legitur eius nomen in catalogo oppidorum Jemenensium scripto A. Chr. 1342. apud *Asseman.* Bibl. Medic. p 302. Haud procul inde *Musa* est (موزع) castellum, in quo plerique Muzam, portum Geographorum antiquorum, et Mesam Mosis Gen. X (משא) reperisse sibi visi sunt. De utroque dubitamus, quod scriptura nominis arab. cum hebraica non conuenit, et oppidum ipsum plus quam 4 mill. germ. a mari remotum est, et longe minori latitudine quam 14°, quae Muzae a Ptolemaeo tribuitur: at non displicet coniectura Cl. A. qui vicum mari imminentem, Mausig vel Mauschi (موشي) latit. 13° 43' magis huc convenire suspicatur. — *Zebid* emporium olim fuit celeberrimum, et totius Tehamae princeps, quoad haud procul inde remotus portus, cum oppido tum nobili, nunc exiguo vico *Ghalefca* (غلافقة) tutam nauibus stationem praebuit, qui cum propter cohaerentes in solo coraliorum scopulos nunc inutilis sit, manet oppidum incultum, nec memorandum esset, nisi ibi Sunnitae scholam siue Uniuersitatem litterariam instituissent, unde doctores ab omnibus per Jemenam Sunnitis peterentur. *Beit el Fakih* ex casu oppidi Zebid hoc commodum tulit, ut mercatus Caffeae amplissimus huc conferretur; nam ex vicinis montibus congestas fabas mercatores Asiae Africaeque, interdum et Europaei nonnulli, hic coemunt, et Mochae vel Hodeidae nauibus imponunt; *Hodeida* propius abest, oppidum magnum, sed ut pleraque Tehamica male aedificatum, cum portu amplo, in quo ex illa ipsa merce ingens portorium redit. *Loheia*, opp. cum portu in finibus regni, latit. 15° 42', longit. a Merid. Parisiensi (secundum obseruationes Nieburii et P. Helli computationem) 2 h 39' 14'' orientali, dimittit et ipsa in varias partes Caffeam ex vicinis montibus, sed Beitelfakihensi viliorem; in praefectura Loheiana *Mahgam*, celebre olim oppidum, nunc plane dirutum iacet; ex tabula vero apparet, interuallorum numeros, quos in hoc.

opp.

opp. Abulfeda et Geogr. Nub. habent, valde corruptos esse.

In montana regni parte caput regni est *Saná* (صنعا), urbs antiqua, celebris, culta, situ amoeno inter radices montis et fluuii ripas, benigno coelo, et soli tanta fertilitate, ut a Scriptoribus orientalibus Damascenae regioni aequipararetur; muro, seu potius aggere lato cincta est, et ex altera parte castellum habet in colle Gamdân, ex altera hortos amplissimos Imami Metwokkel operibus ornatos; intus templa, balnea, aedificia maiora haud pauca continet, sed structurae parum elegantis; circumdatur hortis et villis Nobilium quaquauersum structis, quae faciem regionis grata varietate ornant. Vicinus ei est magnus vicus *Oeser* (عيسر) non nisi a Judaeis habitatus, qui olim 14, nunc duas omnino Synagogas ibi celebrant. (In hoc nomine nescio quo iure A. suspicetur vestigia nominis Usal reperiri, quo Judaei Sanaam solent appellare.) *Rödda* (رضّة) in eadem regione eadem est, quam Abulfeda et Geogr. Nub. Rabda vocant. — Versus meridiem 6 mill. germ. a Saná distat *Doran* opp. magnum et antiquum, muro cinctum, caput alicuius praefecturae; hinc eodem interuallo versus meridiem ad ortum declinantibus *Damar* et *Mawáhel* (Mahwaheb,) ad montem Hirram, ex quo carneoli petuntur, de quibus supra dictum est: hae omnes deinceps regum sedes fuere; Damar vero etiam nunc celebratur per Academiam sectae Zeidenae, quae in ea sedem antiquitus videtur fixisse: regio adiacens frumento fertilissima est, et prae ceteris regni partibus copiosos alit equorum greges. — Oppidum *Jerím* nulla alia re magis memorabile est, quam quod in praefectura, cuius illud caput est, ad montem Sumaram, latit. 14° 10′ cernuntur rudera pauca urbis Dhafar, seu Saphar, utrique Geographo Ar. memoratae, olim temporibus hamiaricis celeberrimae, quae, nisi omnia nos fallunt, ספר Mosis est Gen. X, 29, et Σάπφαρ μητρόπολις Ptolem. lat. 14° 3′. *Sumara* mons Jemenensium omnium altissimus est, idemque Cl. Auctori videtur,

tur,

tur, qui a veteribus Climax dictus est; conf. *Bochart.* Phal. c. 30. (Obiter A. errare eos monet, qui vias per Jemenam lapidibus stratas putent; tantum in montibus arduis, super quos viae publicae ducant, id reperiri.) Ab oppido *Kataba* in finibus occiduis regni probabiliter A. suspicatur, olim Catabaniam dictam esse. Scilicet Strabo, Plinius, aliique Catabanos ad fretum et utrumque mare iuxta Chatramotitas, eosque quorum caput Mariaba erat, ponunt; atque ille a Sabaeis eos distinguit, hic iis accenset; qui si hoc oppidum tenuerunt, haud mediocrem tractum, et campestrem et montanum, incoluisse intelliguntur. — A Kataba versus occasum hibernum urbs munita est *Taaes* (تعز) cum castello, eique vicinae reliquiae opp. antiqui *Oeddene*, in quo nomine iam Buschingio videbatur latere Aden Laah Abulfedae; nos autem addimus, cum fere 5 mill. germ. haud multum diuersa latitudine, hinc distet aliud oppidum *Udden*, quaeri fortasse hic posse Αδανυ δυο Ptolemaei. Adiacet mons seu montium tractus, quorum alius super alium eminet, nomine *Sabber*, cuius naturae magis quam illi priori Κλιμακος nomen nobis quidem videtur conuenire. — Hinc versus ortum euntibus in finibus occidentalibus regni occurrit arx montana munitissima *Dimlu*, Abulfedae memorata; vbi, haud scimus an probabiliter coniecerit, qui Tomalam Plinii dixerit fuisse, in quam Sabaei, Atramotenis vicini, ii scilicet qui Mariabam tenebant, merces odorum deferebant, ut inde amplius ad mare deueherentur. — Post ista in meridionali parte, quae terrae Adenensi vicina est, nihil admodum memorabile occurrit: nam quod in oppido *Dorebat*, capite tractus alicuius, carceris saxo incisi tristitia ab Arabibus memoratur, id ad nos non magnopere pertinet. Sed postquam inde ad septentriones versus fueris, in ea parte montium, qua Tehamam attingunt, per quaedam oppida ignobilia, et regionem Oesab el alah, herbae narcoticae feracem, peruenies in praefecturam *Kusma*, a praecipuo oppido dictam, in qua alti, ardui, praeruptique montes magnam copiam Caffeae ferunt,

quae

quae de montibus in vicos *Hadie* et *Alluge* defertur, atque inde ad vicinam urbem Beitelfakih venum it, vel ad portum Hodeidanum vehitur. In iisdem montibus exiguus tractus vocatur *Beni Chuſi* quod nomen fecerit fortaſſe ad Gen. X, 7. illuſtrandum. Haud procul oppidum antiquum eſt *Gebi*, in cuius vicinia ſi quis Gebanitas quaeſierit, quos Plinius Catabanitis finitimos ponit, non videatur peſſime hariolatus, inprimis cum huic opp. vicinum ſit caſtellum *Dimna*, quod, ſi litterarum ſimilitudinem ſpectes, videri poſſit veſtigia ſeruare Tamnae, Gebanitarum metropolis; ſaltem probabilius, quam in eadem cauſſa Cl. A. qui hoc nomen conuenire putat p. 281. cum nomine oppidi Tenaim (تنعيم) plane diuerſo. — Gebanenſem cum Kusmano tractu coniunctum, antiquo nomine Arabes *Rema* vocant (ريمه), quod num conueniat cum רעמה Ezech. XXVII, 22. Geneſ. X. 7. A. incertum relinquit, nec nos pronunciamus, etſi ad dubitandum procliuiores ſumus. — Ex his regionibus verſus orientem aeſtiuum reditur ad ſedem regni Sanaam, unde verſus occaſum aeſtiuum proficiſcentibus occurrit regio *Hamdân*, cuius dominus, Imamo ſubiectus, dicitur ex antiquiſſima inter omnes Jemenenſes gente ortus eſſe; de cuius gentis hiſtoria quaedam habet *Sale* Prelim. Diſc. p. 56.) tandem poſt alia quaedam, in extremis regni finibus verſus ſeptentrionem mons *Schaehara*, propterea notabilis, quod in eo monte Kaſſem Magnus, Imameae gentis conditor, Turcis, qui tum rerum potiebantur, primum coepit moleſtus eſſe.

II. De Hadramotide p. 283. ut et de reliquis maioribus partibus Arabiae, quod eas ipſe non peragrauit, breuius A. expoſuit. Eſt autem *TERRA HADRAMAUT*, cuius nomen a Moſe deſignatum (חצרמות Geneſ. X.) a Graecis Latiniſque ſcriptoribus in Chatramotitarum, ſeu Atramotinorum commemoratione uſurpatum, hodienum ſuperſtes eſt, (حضرموت) ea pars Felicis Ar. quae mare Erythraeum a meridie attingit, ab occidente Jemena, ab ortu

ortu et ſeptentrione deſertis regionibus et Omana continetur, in magnam latitudinem protenſa, cum ei non modo *Terra Schechr* in occidua parte ſita, ſed etiam maior regio in orientali latere, *Mahra*, eodem modo ut Tehama Jemenae, accenſeri ſoleat. Terra ipſa partim fertilibus montibus aſpera colitur, partim campis arenoſa habitatur, partim deſertis locis inculta iacet; montes inprimis aloën et thura ferunt, (unde thuriferae regionis nomen a veteribus ei inditum eſt,) quae cum aliis mercibus ex aliquot ſatis idoneis portibus euehuntur. Mercatura, quae antiquiſſimo tempore, teſtibus libris ſacris V. T. culta, poſtea quoque, dum Indicae merces per Arabiam in Aegyptum, atque hinc in Europam transportarentur, tantam terrae ubertatem et copiam rerum omnium intulit, ut Felicis cognomen mereretur: haec igitur mercatura colitur illa quidem etiam nunc, ſed ex quo tempore Europaei ex India merces ipſi nauibus petere ceperunt, paullatim imminuta cecidit, atque priori illa felicitate terram priuauit. Nihilominus adhuc celebratur in oppidis vicisque magna hominum frequentia, qui in ceteris a Jemenenſibus non diuerſi, in religione Sunnitarum placita ſequuntur, lingua vero utuntur a Jemenenſi dialecto valde discrepante, et in multas dynaſtias diuiſi a principibus reguntur, quos *Schech* et *Sultan* appellant, ſed quorum nulli in reliquos aliquid praecipui iuris eſſe videtur. — Huius prouinciae pars eſt Terra *Schechr* (شحر) cum oppido et portu cognomine, unde thura exportantur; exigua ceteroquin regio, terris Aden et Jafa adiacens. Sed olim nobis quidem haec terra latius extenſa fuiſſe videtur, ſic ut integram Gophenem in Jemena complecteretur: nam Marebam, quae nunc in Gophene eſt, veteres in Schechria fuiſſe dicunt. — Ex praecipuis Hadramotidis oppidis eſt, quia eius dominus prae ceteris potentia pollet, *Schibâm*, 8 dierum itinere a Sanaa, 10. a Mareba; cuius nomen infeliciter, ut nobis videtur, licet idem Bochartus fecerit, A. comparat cum Sabota Plinii, et Sabbatha Arriani, quae Atramotinorum primaria fuiſſe

fuiſſe dicitur; *) ſed in Geogr. Nub. et Catalogo oppid. Jemen. apud Aſſeman. occurrit oppidum Sabtan in Hadramotide, quod magis videtur huc conuenire. Portus *Keſchin* (Keſen, Caſem, Kiſin in tabulis vocatur,) cum oppido eiusdem nominis, a mercatoribus celebratur, eiusque domino ſubiecta etiam eſt inſula *Socotora* in Erythraeo mari, quam Itinerariorum auctores narrarunt partem eſſe regni Fartaceni; quod ſane poteſt ita eſſe, ſi portus *Fartac*, haud procul a Keſchinenſi ſitus, eidem domino paret. Ceterum in his oris, et fortaſſe in ipſa Keſchina, A. arbitratur fuiſſe celeberrimum apud Graecos Romanosque portum Canam, ibidemque ſinum Sachalitem; quod non videtur: nam hunc ſinum magis verſus orientem remotum fuiſſe oportet, et fortaſſe is eſt, qui a Fartaco, vel potius ab alio vicino portu et promontorio *Merbat*, ad promontorium quod Ras el hat vocatur, magno ambitu patet. Eſt etiam in maritima parte terrae locus, quem *Kubr el Haud* incolae appellant, quoniam ibi ſepulchrum et monumentum Heberis, (quem ipſi Haud vocant,) reperiri contendunt, cuius memoriam, quia ipſe pater Joctanis, Arabum conditoris, fuit, magna omnes veneratione proſequuntur. — Jam cum multa audiantur in Hadramotide et Jemena oppidorum antiquiſſimorum regionumue nomina, admodum ſimilia iis, quae Moſes Gen. X. commemorauit: ad extremum eorum comparationem A. inſtituit, atque inde Joctanidarum Chuſitarumque antiquas ſedes definire conatur; de quibus nos ſupra locis ſuis monuimus. Tantum hoc addimus, in Hadramotide eſſe etiam opp. aliquod *Kachtan* nomine, ibidemque opp. et portum *Dafar* reſpondere fortaſſe nomini Sephar apud Moſen, niſi hoc potius in antiqua Homeritarum ſede Dhafar latere quis putet. — Hoc vnum probare non poſſumus, quod Cl. A. illa ipſa nar-

*) Huius populi metropolis a Strabone Καβατανος vocatur; ſed corruptum nomen videtur; pro quo ſi Σαβατανος legitur, eadem erit vrbs, de qua Plinius et Arrianus tradunt.

narratione Mosis, non genealogias et gentium atque familiarum origines, sed urbium catalogum, et veluti geographiam Arabiae in regiones et oppida descriptae, contineri opinatur.

III. Omana, seu *TERRA OMAN* (p. 295. ff.) a duobus lateribus mari Erythraeo et Persico, a reliquis cingitur regionibus desertis; latus orientale duobus maximis promontoriis clauditur, quorum quod in meridiem vergit, *Râs el had* (راس الحد) quod septentrionem adspicit, nunc *Ras Mussendom*, ab Arriano Maceta, a Strabone et Plinio Macarum, a Ptolemaeo Assaborum promont. vocatur. Terra tota aspera est montibus ad littora pertinentibus, nullis arenis interiectis, hinc tria flumina perennes aquas mari inferunt; ceteroquin fertilis, magnam copiam profert tritici, hordei, Durrae, lentium, vuarum, pomorum, inprimis caryotarum, quarum magna vis a mercatoribus quotannis hinc petitur; plumbi et aeris metalla habet, et in littore tantam copiam piscium, ut non modo pecudibus vorandi obiiciantur, sed etiam putrescentes stercorandis agris inseruiant. — Haec tota regio, ut Jemena, principibus variis diuisa subest, quorum nouem A. enumerauit; sed inter hos eminet is, qui Mascatam tenet, et cum reliqui Schech appellentur, ipse Imami nomine et iure gaudet. Is sedem suam in urbe *Rostak* habet, regnumque suum per Praefectos administrat, qui *Wali kbir* dicuntur, similes iis, qui Paschae inter Turcos, a Jemenensibus Dolae appellari solent. Qui nunc rebus praeest, ex Praefecto Rex partim virtute, partim astu factus est, cum antea Principes ex gente Aerrabitica, quae a Koraischitis originem se ducere confirmat, diu regnum obtinuissent; sed translati regni tempora et caussas late A. exposuit. Pecuniae haud parum Regi ex portoriis mercium redit, et Mascatae quotannis ad 1000, 000 flor. dicitur solui; dactylorum vero magna copia, quae pariter ex portorio sex centesimarum redit, ab ipso inter alias merces venditur: nam adeo nauibus Rex ipse mercaturam facit, quae ex Africae aliqua regione sibi subiecta seruos Aethiopes, ele-

elephantinos dentes, atque alia quotannis afferunt. (Naues Omanenſes vela lintea habent, ſecus quam Jemenenſes; minoribus hoc peculiare eſt, quod latera non clauis iuncta, ſed velut conſuta habent, quod quale ſit, A. non diſerte explicat.) — Poſt ſedem regni Roſtacam celeberrima omnium eſt *Maskat*, urbs antiqua, (nam Arrianus etiam Moſcam deſcripſit,) idoneo ſitu, a natura et arte munitiſſima, cuius portus maximis nauibus tutum receptaculum praebet, et a mercatoribus quamplurimis, etiam Europaeis haud paucis, celebratur. Et Europaei quidem hanc fere ſolam urbem ex toto regno cognitam habent, unde Imamum ſolent Maſcatae regem appellare. Ea urbs cum ſemper ab Imamis in poteſtate habita eſſet, A Chr. 1508. a Luſitanis capta, tandem poſt 150. annos ad dominum ſuum rediit. — *Súr*, *Kalhát*, *Kuriat*, *Burka*, *Sohâr*, exigua oppida ſunt in littore poſita, ſed antiquitus culta, inprimis Kalhat et Sohar, quae omnium in Omana antiquiſſima habentur. — Ex reliquorum Principum ditionibus inprimis memorabilis eſt ea, quae regnum Imami a ſeptentrione attingit, ad utrumque mare et anguſtias ſinus Perſici porrecta, quam Arabes *Terram Sér* dicunt, ab oppido *Sér* (صير, Ser Oman apud Abulf.) quod ſedem principis portumque idoneum habet, Perſae vero *Terram Gülfar* appellant, a promontorio eius nominis (راس خلفار).

IV. Quia Omana ſinu Perſico alluitur, vicinitas huius maris Auctori ſuaſit, de via inſtituta digredi, et a p. 308. *de liberis Arabum gentibus in Sinu Perſico* tradere, quae licet Arabiam ipſam non incolant, nationis tamen arabicae partem non contemnendam efficiunt, quod non modo inſulas omnes in hoc ſinu poſitas in poteſtate habent, ſed etiam littoralem tractum, portusque omnes Perſici lateris, occuparunt, nec adhuc a Perſiae regibus, ne a potentiſſimo quidem illo Nadir Schach, expelli aut imperio ſuo adiici potuerunt. Sunt autem praecipua locorum et gentium nomina haec: *Gambron*, ſ. *Bender-Abbas*, ſatis notum opp, in prouincia perſica

Lariſtania, ad anguſtias maris Perſici commodum portum habet, olim a negotiatoribus variarum gentium Europaeorum, qui ibi ſedem habebant, frequentatum, nunc propter inteſtinas turbas deſertum. Inde ab hoc oppido verſus meridiem maritimam oram occolit gens arab. *Belluge*; verſus occidentem usque ad promont. Berdiſtan, longo tractu maritima loca portusque tenet gens cui nomen eſt *Hule*, ex multis familiis compoſita, quarum ſingulae a ſingulis principibus (Schech) reguntur, plerumque inter ſe diſcordibus; et circa promontor. Nabond familia *Harram* ſedem habet, quae pariter iſti genti accenſetur. A promontorio Berdiſtanico Perſae habitant littora; ultra ſita eſt urbs *Abuſcharhhr*, colonia Arabum a tribus familiis habitata, quarum dominus nunc quidem etiam inſulam Bahrein iuxta littus arabicum in ditione habet, ſed quia Perſarum beneuolentiae captanda cauſſa Schiitarum placita ſecutus eſt, cum ſuis omnibus a reliquis Arabibus contemnitur. Hinc in ſeptentrionem vergit *Benderrig* cum regione circumiacente, familiae *Beni-Saab* ex Omana huc profectae, cuius dominus monſtrum et portentum crudelitatis ab A. copioſe deſcribitur. Sequitur tractus *Hindian*, arabicae ditionis; claudit autem hoc latus gens *Kiab*, quae intimum receſſum ſinus et oſtia Euphratis accolit, admodum celebris per illas regiones, ex quo Soliman, vir fortis et bellicoſus, eam regere cepit; eamque a ſeptentrione attingit tractus *Hauiſa*, qui ab aliquo ex poſteris Mohammedis, quem Maula vocant, (مولا) tenetur. (In tabula Anvillana Ahuaz eſt ipſa Hauiſa; Chuſiſtania vero, quae ibi indicatur, ita non dicitur, ſed Luriſtania recte notata eſt.) — Inſulae perſico lateri obiectae ſunt quampluri̇mae, ſed pleraeque exiguae et ſteriles, paucae habitatae. Quae maxime memorabiles videntur, hae ſunt: *Chareg* (خارك) quam Karek Europaei appellant haud procul oppido Benderrig, huius domino dudum paruerat, ſed a. 1754. a ſocietate Batauica mercaturae Indicae faciendae occupata, et ad a 1766, quo ab Arabe denuo expellebatur, obtenta eſt; cuius rei occaſionem, (non ſine reprehenſione Batauorum, tecta quidem,

dem, ſed acerba,) cum hiſtoria ſequentium XI. annorum, et IV. praefectorum, qui inſulam eo tempore tenuerunt, A. perſpicue narrauit. *Balior*, ſeu Pollior, (Palora in tabula Anvill.) videtur eſſe Pylora Arriani. *Hormus*, ſiue Ormuz, in anguſtiis ſinus Perſici, ſatis nota eſt; (ſed Harmozia veterum videtur in vicina continente poſita fuiſſe:) ei proxime adiacet, anguſto freto a continenti diremta, ſatis magna inſula *Kiſchme* ſeu *Leſt*, (ita Europaei a duobus oppidis, جسس et لفت, inſulam vocarunt,) *Draas* ab Arabibus, *Geſiret tauile* a Perſis dicta, inter dominum arabicae terrae Sêr Oman, et dynaſtam perſicum Ormuziae, diuiſa. Hanc inſulam, locorum ſitu et natura inductus, A. putat eſſe Oaractam veterum, in qua Nearchus apud Arrianum narrat monumentum Erythrae regis ſibi viſum eſſe; de quo Erythra, ut et de nomine et finibus Erythraei maris, A. quaedam congeſſit ex Graecis Latiniſque auctoribus, haud incognita. — In arabico latere Sinus, a piſcatu concharum margaritiferarum, quem ibi Arabes maxime ex gente Hule faciunt, celebrantur plures inſulae, communi nomine *Bahrein* dictae, quarum quae maxima eſt *Aual*, ex reliquis una *Arad* appellatur. Cum veteres hic ponant inſulas Tylum (ita enim ex Plinio ſcribendum putamus, non Tyrum,) et Aradum: alteram hic reperimus, alteram haud ſcimus an nomen traxiſſe dicamus ex corrupta ſcriptura; cum facile potuerit Τυλος ex Αυλος oriri. — Omnes Arabes, qui vel has inſulas, vel portus in continente tenent, ſimiles Nomadibus in Arabia, agros non colunt, ex piſcatu margaritarum, venatu, et mercatura victum quaerunt, vitam in nauibus magis, quam in continente degunt, ſaepe pro victu et quaeſtu inter ſe, ſaepe pro libertate cum Perſis et Europaeis pugnant; hinc fortitudinis et virtutis naualis laudem ſibi propriam fecerunt, communem reliquis humanitatis et hoſpitalitatis laudem ipſi quoque tuentur. — Addit ad extremum A. duplicem catalogum locorum, inſularum, interuallorum, latitudinum geogr. in Perſico mari, ab Anglorum gubernatoribus confectum, ex

quo, iunctis suis obseruationibus, accuratam et elegantem sinus Persici descriptionem in tabulam redegit, ad p. 310. insertam.

V. *LACHSA* (s. Elhassa الحسا) *siue HAGAR* (olim et Bahrein dicta, quod nomen nunc insulis adiacentibus proprium manet,) ea terra est, (p. 339. ss.) quae Omanae a septentrione finitima, longo tractu iuxta sinum Persicum ad ostia Euphratis extensa, ab altera parte terra Neged finitur. Ex incolis, qui in littore oppida colunt, plerumque Schütae, qui in mediterraneis aut oppida vicosque incolunt, aut in agris νομαδικῶς degunt Sunnitae sunt; hi camelos asinosque copiose alunt et vendunt; illi vel agros et palmeta colunt, vel vestibus conficiendis, quas Abba vocant, victum quaerunt; isti piscatu unionum et mercatura quaestum faciunt. Ceterum haec regio maxima ex parte paret numerosissimae et potentissimae genti *Chaled*, quae reliquas minores sibi subiecit, et praefectum seu dominum agnoscit eum, qui in urbe *Lachsa* sedem habet; (quae urbs, num Hagar etiam vocetur, A. dubitat.) — De ipsa regione, quam non perlustrauit, pauca A. tradit, quae non apud alios Geographos, et ex his collecta apud Buschingium reperias. — Num a portu et oppido *Kattar* Cataraei dicti sint, quos Plinius in his oris haud procul a Gerraeis ponit, alii quaerant. — Tandem in hac regione praeter Chaledenam gentem duae aliae, *al Musillim* et *Beni Ass* terras possident Omanae propiores.

VI. *TERRAM NEGED* A. dicit (p. 342. ss.) quae inter Eracam arabicam, Lachsam, Jemenam, et Hegasam interiecta, vasto ambitu patet, et hic montium iugis elata est, quam partem *Neged angustiori sensu* vocat, illic ad campestrem planitiem magis accedit: illa sicca quidem, et ad colendum difficilis, sed tamen fertilis est, et multis oppidis vicisque a liberis gentibus, quas singuli domini regunt, habitatur; haec a Nomadum numerosa gente peragratur. In montana parte, quae proprie Neged dicitur, duae prouinciae memorabiles sunt, *Ared* et *Cherge* (الخرج et العارض) quarum illa

illa ab ortu Hagarenam haec Jemenam a meridie, ab occasu Hegasam, longo tractu stringit: utraque magnum numerum minorum regionum et oppidorum complectitur, quorum multa A. recenset. In priori sita est *Gebrin*, (apud Abulf *Jabrin*, يبرين, fortasse Ἰάβερον Ptol.) in posteriori *Imama* (اليمامة; Jemama, اليمامه apud Abulf.) urbs caede Moseilamae celebris, *Salemia* (forte Salma Ptol.) aliaeque multae. — In reliquis partibus, quae iunctae integram terram Neged conficiunt, est inter alia oppidum *Anese* (عنيزه) 10 dierum itinere Basra distans, quod nomine non male conuenit cum Annesto vel Annesso, quod in his regionibus Aelius Gallus cepisse a Plinio narratur; et magis versus septentrionem 10 dierum itinere a Bagdado remota montana regio *Shamer* (جبل شمر) cum oppido *Hail* (حيل) quae propter situs diuersitatem vix poterit esse Chaalla Strabonis ab eodem Aelio capta, sed fuerit fortasse sedes Achoalorum, quos Plinius commemorat; et alia edita regio, *Gof al Sirhan*, Syriam versus, cum opp. *Duma*. (Dumethia Ptol.) appellata fortasse ab Ismaelis filio Genes. XXV, 14. — Longe quidem aliter habere videntur, quae Abulfeda de terra Neged tradit, qui multo angustioribus limitibus eam circumscribit, ab ea separat Jemameum tractum, et inter Negedam Hagarenamque aliam regionem interiicit: sed tamen bene ei conuenit cum Niebuhrio. Nam *Neged* (نجد) proprie omnem editam regionem significat, itaque ea pars, quam auctor sensu peculiari Negedam dicit, cum sit omnium in Arabia regionum editissima, κατ᾽ ἐξοχὴν dicta est نجد عرب, eoque sensu Abulfeda verbum usurpat. (Huius pars est *Ared*, quam Abulf. dicit esse montanam regionem ab ortu montium Aga et Salamia sitam, quos montes Cl. Nieb. non commemorauit) Sed cum hoc nomen semel proprium esse cepisset huic regioni, mox, ut fit cum circumiacentibus communicatum est, atque ita fit, ut sensu latiori Neged alias regiones complectatur, quas a Negeda Abulfeda distinguit. — Ceterum inco-

co-

colae huius terrae, licet nec saeuiores nec rapaciores sint ceteris Arabibus, tamen, cum inter se perpetua bella habeant, profecto nec tutam satis nec fidam apud se peregrinis commorationem praebent. Religionis genus quod attinet, olim omnes Sunnitae fuere, sed nuper in ea regione per aliquem *Abd ul wahel* noua secta exorta est ab omnibus Mohammedanorum sectis diuersa, quae persuasione, dolo, armis propagata, nunc sub eius filio Mohammede late dominatur; quaenam autem eius placita sint, A. certo comperire non potuit, nisi quod, si vera sunt quae traduntur, repudiata omni reuelatione diuina, cum honorifica mentione rerum a Christo, Mohammede aliisque magnis viris actarum merum Naturalismum coniungere videtur.

VII. *TERRA HEGAS* (p. 349. ff.) a borealibus finibus Jemenae iuxta sinum Arab. usque ad occidentalem eius recessum, qui olim sinus Aelaniticus, nunc Acabenus dicitur, et ad Desertum Syriae extenditur, ab oriente Negeda terminatur. A. cum praeter oram maritimam nihil huius terrae ipse viderit, plenam eius descriptionem dare non potuit, sed ex aliorum fide tradit, natura similem Jemenae esse, h. e. campestrem et aridam iuxta mare, in mediterraneis vero montanam, irriguam, et fertilem. Totius terrae principatum penes se esse Turci praedicant quidem, sed vane; quamquam enim Praefectus Turcicus in oppido Gidda sedet, eiusque milites partem Meccae, Medinae, et Janboae tenent, in ipsam tamen terram Turcis nihil iuris conceditur, nisi quod per paucos illos dies, quibus religionis caussa peregrinantes Turci Meccae commorantur, eorum Domino licet Scherifum Meccanum principatu deiicere, aliumque ex eadem gente in eius locum substituere; ceterum ex hac dominationis specie tantum abest ut summus Turcorum Sultanus aliquid lucri capiat, ut potius magnam auri frumentique vim quotannis cogatur Arabum gentibus, quae has regiones tenent, et Meccae incolis largiri, quo tutius ciues sui iter religiosum facere possint. Summum in

hac

hac terra ius et imperium eſt penes Scherifum Meccanum ex Mohammedis poſteris, familiae al Bunemi, (de cuius hiſtoria nonnulla p. 367.) qui principum Arab. omnium facile potentiſſimus eſt, quod non ſolum amplam regionem tenet, verum etiam ex Turcici imperii terris, itemque ex India, magnos reditus habet, religionis cauſſa ei attributos. In Arabia ipſa praeter *Meccam*, urbem ſanctam, amplam, antiquam, diuitem emporiumque celeberrimum, et *Medinam*, minorem quidem, ſed tamen non contemnendam, (quamquam haec interdum peculiares dominos habet,) paret ei *Jambo* oppidum magnum cum portu, quo Medinenſes ad mercaturam ſuam utuntur; (Jambia Ptol. haec eſt, latit. 24, ut in tab. Niebuhr.) *Taaif* mediterraneum opp. in montibus, amoeniſſimo ſitu Sanaae et Damaſco non cedens; *Cunfuda* opp. maritimum cum portu, unde multum portorii redit; *Hali* oppidum mari imminens, in Hegaſae et Jemenae confiniis, et 12 vel 13 oppida minora; et praeterea quae Giddae portoria Turcis ſoluuntur, eorum ipſe dimidiam partem capit. Haec de principatu Meccano; de Mecca ipſa et Medina parum noui A. tradidit, quod eas urbes Chriſtiano homini ne procul quidem adſpicere licet: hoc notabile videtur, quod inter eos, qui Meccam peregrinantur, paucos eſſe ait, qui Medinam quoque inuiſant, et quod utriusque templi tum Meccani, tum Medinenſis, faciem in tabulis proponit, prioris quidem paullo aliter, quam a *Relando* de religione Moh. p. 128 exhibita eſt. — Praeter Scherifum Meccanum multi alii Principes has terras tenent, inter quos maxime eminet qui genti *Harb* (حرب) imperat in oppido *Chaef* (خيف), et amplum tractum, inter Meccam Medinamque ſitum, cum multis oppidis vicisque regit. Montanae Hegaſae regiones pariter in multas dynaſtias diſtractae ſunt, et ab oppidanis Arabibus incoluntur defenduntur que caſtellis. In his partibus admodum memorabile videtur, quod magna gens Judaeorum, *Beni Cheiba*, libera viuit, ſuae nationis Principi (Schech) ſubiecta, et ex

 mul-

multis compoſita familiis, quarum aliqua iam Mohammedis tempore floruiſſe, et Beniamino Tudelenſi cognita fuiſſe videtur; ceterum hi Judaei popularibus ſuis extra Arabiam plane ignoti latent, unde non improbabili coniectura A. Karaitas eſſe exiſtimat; quam ſuſpicionem loco aliquo Geogr. Nub. confirmare conatur. — Sunt quidem praeter illa commemorata alia multa loca per Hegaſam, quorum aliquot A. recenſuit, ſed obſcuri nominis, et ſitus plerumque incerti; in ora maritima vero oppida pauca, praeter ea quae dicta ſunt naualia vero et ſtationes nauium innumerae; horum catalogum copioſum A. contexuit et totius orae παράπλουν accuratum non modo oratione perſecutus eſt, verum etiam oculis ſubiecit in *tabula Sinus Arabici* egregia, ſumma fide et diligentia confecta, qua Geographiae copias liberaliter auxit p. 358.

VIII. Quas terras hactenus A. deſcripſerat, eae incoluntur quidem a vario genere hominum, qui in oppidis mercaturam et opificia, in agris opus ruſticum et pecuarium faciunt; ſed praeterea his partim immixti degunt, partim extra Arabiam Peninſulam magno numero in deſertis regionibus vagantur, copioſae *Nomadum et Scenitarum gentes*, (p. 379. ſſ.) quae antiquum morem, et conſuetudines antiquas Arabum omnium ſeruant; hi ſe ſolos dignos Arabico nomine, reliquos, qui in oppidis agriſque vel diuitias vel cetera vitae commoda quaerant, ab antiqua virtute, degeneraſſe putant, eos quoque, qui non camelorum ſed armentorum pecudumque greges alunt, medios quaſi inter Scenitas et oppidanos ruſticoſve Arabas, minori pretio habent. Hos Nomades, vel Beduinos, ita deſcribit A ut plane in eos hodienum conueniat, quod de Arabibus omnibus Strabo olim ſcripſit: *Σκηνῖται Ἄραβες — — δυναστείαις ἀποτετμημένοι μικρὰς λυπρὰ κατέχουσι χωρία διὰ τὰς ἀνυδρίας γεωργοῦντές μεν ἢ οὐδὲν ἢ μικρά, νομὰς δὲ ἔχοντες παντοδαπῶν θρεμμάτων καὶ μάλιστα καμήλων.* Δυναστείας illas quod attinet, unaquaeque familia cum ſeruis ſuis capiti ſuo (Schech) paret; ſed ſecurita-

rita-

ritatis cauſſa plures familiae in unam gentem coaleſcunt, quae ab aliquo ex illis patribus familiarum regitur; et ſaepe plures gentes alii maiori ſe adiungunt, iamque tota ciuitas, quae a maioris gentis Praefecto (Schech es Schiuch, ſeu Schech el kbir,) gubernatur, ex eius nomine ſolet appellari. Omnes autem Nomadum gentes ciuitatesque, partim neceſſitate coactae, partim ab aliis concitatae perpetuo inter ſe pugnant, unde fit, ut non modo de inimicorum facultatibus, verum etiam de aliis, qui neutrarum partium ſunt, ſi qui in eos inciderint, ne in hoſtium commodum ea cedat, praedam abigere ſoleant. Atque ea cauſſa eſt, cur ex latrociniis Arabes viuere vulgo dicunt, cuius criminis infamiam ab iis amoliri A. operoſe, multis exemplis in contrariam partem commemorandis, contendit. — Ex his Nomadum gentibus potiores, age, commemoremus. Et de ciuitate Chaledana (*Beni Chaled*), quae magnam partem Lachſae ſibi ſubiecit, ſupra dictum eſt. Alia haud minor eſt gens *Montefik*, in utraque parte Euphratis, inde ab eius confluente cum Tigri ad Argam oppidum, cuius domini in duas familias diuiſi, non modo hanc gentem ſed etiam 5. alias minores regunt; ſed quia in Praefectura Bagdadenſi degunt, interdum a praefectis Turcicis vexantur. In eadem praefectura inter Cornam et Bagdadum degit gens Lamica (*Beni Lam*), quae vectigalia ſolet a mercatoribus per eam terram proficiſcentibus exigere; gens *Chaſaal* ignobiliorum Arabum, profeſſione Schiitarum, et aliae minores multae. Magna ciuitas eſt *Thaitarum* ſeu Thauenorum, ut veteres dicunt (طى Tai,) in Meſopotamia, Moſuliam inter et Merdinam, cuius dominus a Turcis ſolet faſcibus equinis, poteſtatis inſignibus, ornari. Sed et Syriae Praefectis perpetuo res eſt cum Nomadum gentibus, quas quia plane conficere non poſſunt, ſolent concitanda altera aduerſus alteram attenuare: nam nobiliſſimarum gentium principes Emiros appellant, iisque reditus ex villis certis attribuunt, ut agmina Turcorum iter facientium contra reliquos Arabes tuean-

antur. Sunt autem celeberrimae gentes in tractu Alepensi *Mauali*, *Subaed* et *Hamier* in regione Damascena, et in desertis Syriae gens *Anaje* maxima et potentissima, quae solet etiam in Negeda Arabiae commorari, ubi diximus oppidum esse eodem nomine appellatum. In eadem Negeda praeter alias haud ignobiles est etiam gens *Beni Tehim*, quae olim Abubeccare regnante fertur inclaruisse. In Hegasa gens Harbena (*Harb*,) quae supra commemorata est, maxime opibus pollet, sed tamen etiam celebrantur gentes antiquae *Ottaeba*, *Hodeil*, *Jdm*, atque aliae quaedam, omninoque copiosae sunt per has terras Nomadum gentes, quas A. recenset.

IX. Ita per partes singulas descripta Arabia, veluti corollarii loco de *Deserto*, *montis Sinaitici* tradit p. 399. ss. ita enim ab Arabibus appellari putat (Bar et tur Sina) montanam regionem, quae inter utrumque sinus Arabici recessum interiecta, Peninsulae Arabum versus septentrionem contermina, olim Petraeae Arabiae accensebatur. Haec regio cum itineribus Israelitarum in SS. libris celebretur, poterat sane curiosa eius enarratio exspectari; sed quia Auctori tantum obiter eam lustrare licuit, et angusto temporis spatio, breuem et perfunctoriam descriptionem exhibuit: et tamen vel sic lectoribus grata erit, cum ei comites additae sint duae tabulae p. 408. 410 quibus extremae linguae Sinus Arab accuratius, quam a quoquam hactenus factum est, exhibentur, et totius regionis situs egregie illustratur. Regionem totam desertam esse docet, ad littora raros vicos habitari, montes et campos a Nomadibus teneri: de monte ipso Sinaitico, s. Catharinae monte, qui ex vasto montium iugo, velut apex, eminet; de monasterio ad eius radices aedificato, pauca tradit; montem inscriptum litteris, (Gabbel Mokatteb,) qui ex aliquo tempore multorum cupiditatem exercuit, non vidit, sed alium reperit magis memorabilem, plenum monumentis sepulcralibus cum figuris hieroglyphicis, quorum adspectus, hanc regionem olim

sa-

satis cultam fuisse, docere videatur. Tradidit etiam breuiter de oppido *Sues*, de vestigiis antiqui opp. *Kolsum*, (quod Clysma Graecorum esse putat) de portu oppidoque *Tor* *) itemque de duabus vallibus angustis, *Girondel* et *Faran*, (id nomen a Mose usurpatum etiam nunc locus seruat,) quae pluuiae tempore in modum aluei totae aquis replentur. Sed hanc breuitatem compensauit ubertate appendicis, qua inde a p. 404. quaestionem illam celeberrimam tractauit: qua parte verisimile sit mare Idumaeum ab Israelitis traiectum esse? Postquam igitur aliorum sententias examinauit, inprimis eam, quae ex valle Bedea, (id nomen inter Arabes non audiuit,) transitum factum putat, suam ipse proponit hunc in modum; ut postquam ab Heliopoli totius itineris rationem, qualem natura locorum suadet, prosecutus esset, et vestigia locorum a Mose commemoratorum * *) quaesiuisset, tandem colligat, Israelitis per extremam linguam maris, ubi nunc Kolsum est, transeundum fuisse. Neque potest negari, multa veri specie hanc sententiam commendabilem videri, inprimis cum ea iam dudum viris doctissimis placuerit, quos ipse A. ut est veritatis studiosissimus, et alienus a vana ostentatione, sub finem recensuit.

Appendicis loco liber finitur p. 420—429. in Obseruationibus fluxus et refluxus maris Idumaei, quas variis in locis a. 1762. et 1763. A. fecit, et aliis Obseruationibus declinationis acus magneticae, ope pyxidis Londinensis institutas.

*) Obiter attingitur quaestio, an in hoc opp. Tor vestigia sint nominis שור, quod huius regionis parti Moses tribuit? de qua amplius videndus est *Chr. Müller* Sat. Obseru. c. 4.

* *) Egregia est et perutilis admonitio A. si in his regionibus antiquorum oppidorum situm inuestigare quis velit, inprimis ei loca circumspicienda esse, in quibus aquae copia reperiatur, et fontes idonei ad manus esse potuerint.

ACTA SANCTORVM OCTOBRIS, EX LATINIS et graecis aliarumque gentium monumentis, seruata primigenia veterum scriptorum phrasi, collecta, digesta, Commentariisque et Obseruationibus illustrata, a Constantino SUYSKENO, CORNELIO BYEO, JACOBO BUEO, JOSEPHO GUESQUIERO, e Societate Jesu Presbyteris Theologis Tomus III. quo dies quintus, sextus, et septimus continentur.

Antwerpiae apud Joannem Nicolaum van der Beken, MDCCLXX. in Fol.

Acerbis tristibusque, quae Societas Jesu aliquot abhinc annis experta est fatis, forsan tribuendum videtur, quod spei desiderioque eorum tardius satisfieri solet, qui huius amplissimi ac pretiosissimi Operis, cuius tomum quadragesimum nonum laudamus, telam pertexi et confici cupiunt; et ne quidem promittendo, fore ut sanctorum mensis Octobris fata breui describantur, spes emtorum alitur ac sustentatur. His de causis huius tertii mensem Octobrem spectantis tomi mentionem facere haud prius voluimus, quam sequentis tomi videndi facta nobis esset copia: at quum iste iusto diutius moretur, quorum sanctorum vitam, fata, atque miracula tertius tomus contineat, lectores morae impatientes ulterius latere nolumus. Quum vero laboriosa industria, et accurata diligentia scriptorum, qui hunc tomum in lucem emiserunt, haud dispar esse videatur illi, quae in prioribus tomis multorum suffragia tulit, et auctores huius tomi ratione narrandi diiudicandique fata et facta sanctorum, eorum qui priores tomos edidere premere putentur vestigia: superuacua nostris lectoribus iure

iure videretur opera, quam in utilitate ac praeſtantia huius tomi demonſtranda collocaremus, expectantibus potius, ut, quinam ſancti ſingulis his ſupra commemoratis diebus in Eccleſia Romana colantur, breuiter dicamus, tum quoque afferamus ea, quae in Commentariis praetiis alicuius momenti eſſe videantur. Commemorantur vero primo loco ſancti, quorum memoriae diem quintam Octobris ſacram eſſe voluerunt. In iſtorum numero ſunt *Thraſeas* Epiſcopus Eumeniae in Phrygia, vel potius, ut Cornelio Byaeo videtur, Smirnae, cuius mentionem faciunt Euſebius H. E. libro V. c. 24. et Nicephorus Calliſtus libro IV. c. 37. *Peregrina*, cuius exuuiae e Romano Priſcillae coemeterio, Alexandri VII. R. P. iuſſu, in Labacenſem diſcalceatorum Eremitarum domum anno ſexageſimo ſuperioris ſeculi translatae ſunt: *Charitina*, quae temporibus Diocletiani fide conſtanti doctrinam Chriſti profeſſa, tandem euulſis dentibus, praeciſisque pedum digitis, vitam finiſſe dicitur: *Marcellinus*, decimus inter Epiſcopos Rauennae, cuius Galeſinius in Martyrologio a. 1578. et Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum Italiae a. 1613. honorificam fecere mentionem, Hieronymi Rubei hiſtoriam Ravennatem laudantes: *Tullia*, filia Eucherii et Gallae, anno 425. vel 433. mortua: *Apollinaris*, epiſcopus vrbis Valentinae, qui a Sigismundo Burgundionum rege, quod nuptias Stephani, qui fiſco regis praeeſſet, cum defunctae uxoris ſuae ſorore non probaret, in exilium miſſus, ſed ab eodem breui poſt reddita ei vi cucullae ſuae ſanitate, reuocatus, ſub annum Chriſti DXX. mortuus eſt. De miraculis ab eo, cum viuo, tum mortuo, factis, multa leguntur in Vita Apollinaris ab auctore coaeuo, forſan Eladio diacono, deſcripta, et hic ex veteri Msto, S. Claudii, cum editionibus Labbei Tom. I. Biblioth. MSS. p. 689. et Edmundi Martene Tom. VI. ampliſſimae Collectionis p. 779. collato, excerpta legitur. Hac ipſa quoque die ab anno ſeculi decimi ſexti octogeſimo octauo renouatur memoria *Placidi*, et fratrum eius *Eutychii*, *Victorini*, *ac Flauiae* ſororis,

nec

nec non *Donati Firmati* diaconi, et aliorum triginta Monachorum, qui, teste Mabillonio Actorum num 83. sub saevissimo rege Abdala et duce Mamucha, tertio decimo anno Iustiniani Imperatoris, in Messana Siciliae ciuitate, quod Christum negare nollent, a barbaris crudelissimis suppliciis affecti occubuerunt. Acta horum martyrum, auctore Pseudo Gordiano, ex Actis Sanctorum Benedictinorum Tomo I. huc translata, a pagina 114. ad paginam 147. leguntur: his vero praemittitur longior disputatio, qua inter alia aduersus Basnagium histor. Eccles. libr. XXI. c. 4. Placidum discipulum Benedicti vere aliquando vixisse, et seculo iam septimo innotuisse, quamuis Acta Placidi seculo demum duodecimo prodierint in lucem, demonstratur, et num barbari inuadentes fuerint Saraceni ex Arabia et Africa, an Gothi sub rege Totila, vel Ariani Hispaniam incolentes, vel Sclauini, vel Mauri, excutitur; quod posterius videtur veritati proxime accedere: tum quod Abdala et Mamucha Arabica videntur nomina, tum quod dux Mamucha iussit, unicuique sanctorum dari pugillum unum hordei crudi ad manducandum, is vero cibus Mauris eo tempore familiaris fuit teste Procopio Libro II. de bello Vandalico c. 6. *Pane, vino, ceterisque mitioris victus commodis carent: far autem, olyram, atque hordeum, nec mitigata igni nec commolita mandunt iumentorum ritu.* De S. *Galla* vidua, dein moniali Romae, cuius Gregorius M. libro IV. Dialogorum c. 14. honorificam mentionem fecit, et ad quam Fulgentius Epistolam *de Consolatione super morte mariti, et de statu viduarum*, scripsisse videtur, laudasse sufficiet elogium Ferrarii in Catalogo Sanctorum Italiae p. 630. haecce scribentis: *Galla, nobilissima* (Q. Aurelii Memmii) *Symmachi consulis filia, mortuo viro, cui nupserat, intra annum, nunquam, ut alii nuberet, persuaderi potuit: tametsi post propinquos medici quoque illam ad secundas nuptias hortabantur, ne prae nimia eius caliditate barbam ut viri emitteret; sed in ecclesia et coenobio apud S. Petrum cum aliquot virginibus degens, orationibus, eleemo-*

sy-

ſynis, ieiuniis, aliisque ſanctis operibus vacauit. Quae in mammillis ſacro morbo exorto, cum dolore foetoreque ulceris, in lecto diutius decumbens maxime affligeretur, a Principe Apoſtolorum, quadam nocte eam in ſomnis conſolante, viſitata eſt, deque obitu admonita; cum autem illa ex virginibus Benedictam praecipue diligeret, orauit Apoſtolum, ut illa ſecum ex hac vita diſcederet, cui Apoſtolus, aliam monacham ſecum migraturam, Benedictam vero poſt dies triginta et ipſam in coelum euolaturam, dixit. Quae cum Abbatiſſae narraſſet, triduo, ſacris munita ceſſit e vita III. Non. Octobris. Laudatae ſanctorum ſocietati adſcribuntur quoque *Firmato* diaconus, eiusque ſoror *Flauia* Antiſſiodori in Gallia, *Hieronymus* epiſcopus Niverni in Gallia, *Meinulphus* diaconus Budicae, *Felicula* virgo in Antiſſiodorenſi regione in Gallia, *Froilanus* epiſcopus Legione in Hiſpania, eiusque diſcipulus *Attilanus* epiſcopus Zamorenſis, *Petrus de Imola* eques S. Ioannis Hieroſolymitani, Florentiae in Hetruria, *Mathaeus* denique Mantuanus Confeſſor Ordinis fratrum Praedicatorum; de quibus ſingulis quaedam proferre, et conſilio et tempore prohibemur, viſuri potius, quorum Sanctorum memoriae dies ſexta Octobris ſacrata, dicataque putetur. Sunt vero eo, quo commemorantur, ordine hi: *Sagaris* epiſcopus Laodicenſis, qui floruit Seculo poſt Chriſtum natum altero fere profligato, quo tempore controuerſia de feſto Paſchali nonniſi die Dominica celebrando agitata eſt, quemque Euſebius H. E. IV. 26. et V, 24. laudauit. *Fides*, ciuitate Aquitaniae Agenno oriunda, a Daciano praeſide, imperante Diocletiano, capite truncata, quod diis immolare nollet, commemoratur, de eius reliquiis in Conchenſe coenobium illatis, teſtantur narratio cum rhythmica, tum quoque ſoluta, ſed incertis auctoribus, nec non longior Commentarius de miraculis Sanctae Fidis, ex antiquo Ms. reginae Sueciae, collato cum editione Labbeana Tom. II. Nouae bibliothecae p. 531. ſeq. excerptus, inſerta leguntur, ſed ita comparata, ut pro narrationis fide ſpondere non audeamus. At, age, primum modo

commemorabimus miraculum, ut ceterorum legendorum excitetur desiderium. Witberto cuidam, a festiuitate S. Fidis redeunti, ab hero suo irato utrique oculi erant effossi, atque in viam proiecti. *Tum niuea columba vel pica ocellos recenti cruore illitos in ipsa hora suscepit humo, supraque montuosa telluris altitudine eleuata, ad Conchas deferre visa est.* Vulneribus curatis, euoluto anno dum pridie ante vigiliam somno se dedisset, apparuit ei virgo mirabili forma, atque inter alia ei restituturam se oculos his ei promisit verbis: *si crastina luce, quae erit martyrii mei vigilia, Conchas perrexeris, emptasque duas candelas, unam quidem ante aram S. Saluatoris, alteram vero ante aram ubi gleba corporis mei condita est, apposueris, oculorum de integro reformatorum decore mereberis gaudere, si quidem pro illata tibi iniuria coelestis Judicis pietatem ingenti clamore ad misericordiam promoui, Deumque pro salute tua sedulae precis instantia tamdiu fatigaui, quamdiu ipse impetrata optionis effectum facilem exorabilemque redderet.* Witbertus voluntati S. Fidis satisfecisse, illa vero promissis stetisse, dicitur. Sanctorum *Marcelli*, *Casti*, *Aemilii*, *Saturnini*, ut et *Rogati*, *Faustini*, et *Martialis* memoria, incertis modo coniecturis nititur, nec certiora sunt quae de *Prudentio*, qui Narbonae archidiaconus huius ciuitatis passus est, et cuius reliquias Geilo Lingonensis anno circiter 880. Besuam deferendas curauit, ex quo tempore Prudentium ciues Burgundiae religiose coluerunt, traduntur, nec non de *Eroteide*, et S. *Probo* Episcopo, Caietae in Campania Romana narrantur. Ut lectorum patientiae subueniamus, commemoratis modo nominibus Sanctorum, *Renati* Episcopi Surrentini, *Romani* Episcopi Antissiodori in Gallia, *Bartii* seu *Barsii* Episc. Vasionensis, *Twii* Diaconi Wittoniae in Anglia, *Enimiae* Abbatissae in Dioecesi Mimatensi in Occitania, *Apollinaris* Episcopi Bituricensis, *Magni* Episcopi Heracleensis in ditione Veneta, *Pardulphi* Abbatis Waractensis in Gallia Anno 737. *Epiphaniae* virginis sanctimonialis Ticini in Insubria, *Nicetae*, Imperatricis Irenes propinqui, ab

ea-

eaque ad Nicaenam Synodum secundam legati missi, cumque Leo Armenus imperio potiretur, in exilium, quod vitam monasticam elegisset, pulsi, *Adalberonis* Episcopi Herbipolensis: solum de *Brunone* auctore Ordinis Carthusianorum nonnulla dicturi sumus. Brunonem, urbe Colonia Agrippina oriundum in schola Parisiensi litteris operam dantem, Remisque Philosophiam aeque ac Theologiam docentem, fato doctoris cuiusdam Parisiensis, qui se diuino iudicio accusatum, iudicatum, damnatum, capite ter elevato professus sit ex feretro, commotum esse, ut societatem consortiumque hominum fugeret, et cum paucis quibusdam in siluam Carthusiam secederet. Quum multi sint qui tradant, nec pauci qui hanc traditionem inter fabulas referant reperiantur: Cornelius Byaeus, in describenda historia vitae Brunonis, omnem adhibet operam, ut Scriptorum Seculo XVI. antiquiorum, quos excitat, silentium Brunonis, Guigonis, Guiberti de Nouigento, aliorumque, ad fidem huius rei debilitandam nihil valere ostendat, et ut in primis rei narratae veritatem aduersus Joannem Launoium, quem peculiari libro narrationem de doctore Parisiensi anilis quod fabula sit demonstrasse constat, defenderet. Huius Brunonis doctrinae tribuuntur Commentarii in Psalmos, et in omnes epistolas Pauli, quos una cum nonnullis Opusculis et Sermonibus publici iuris fecit Jodocus Ascensius, Parisiis a 1724. sed illa ipsa Opera Coloniae Agrippinae a. 1611. edita, iterumque a. 1640. recusa fuerunt. Quum ab a. 1040. usque ad annum 1123. tres floruerint Brunones, qui omnes Psalmis explicandis operam darent: doctissimus Byaeus id agit, ut Commentarium in Psalmos, ab Ascensio primum euulgatum, non Brunoni Herbipolitano, nec Brunoni Signiensi, sed Cartusiano, argumentis cum suis, tum e Historiae litterariae Francicae Tom. IX. p. 243. monstret. Brunonem denique in Eremi Turritanae Ecclesia S. Stephani sepultum esse, atque Leonem X. Ordini Cartusiensi monasterium Turritanum restitui iussisse, Byaeus commemorat, ita tamen, ut Leonem X. inter sanctos

Brunonem retulisse negare videatur, contradicens Baronio ad Martyrologium Romanum haec annotanti: *Vita functus est anno Domini MLI, relatusque est inter Sanctos a Leone X. R. P.*

Vitae Brunonis, ab Auctore primorum quinque Cartusiae Priorum chronologo anonymo descriptae, e Cod. Bibliothecae Cartusianorum Coloniensium depromtae, summa haec est: Bruno, tristi fato doctoris Parisiensis territus, solitudinem petere quum vellet, nonnullosque sui consilii haberet participes, in Cartusiae desertum secedit, ad Pontificem Urbanum Romam se confert, ab eoque data venia in Eremum, quae dicitur Turris, in finibus Calabriae se abdit, gratia comitis Rogerii fruitur, ibique quum pie mortuus esset, Leo X. edixit, ut memoria eius annis singulis die sexta Octobris celebraretur, et domum sancti Stephani, in qua corpus Brunonis conditum iacet, Ordini Cartusianorum restituit. At in vita Brunonis describenda operam quoque collocauit Franciscus a Puteo, Cartusiae maioris Prior, nec non Puteanum et Bloemenvennam secutus Surius, quam utramque vitam hic excerptam legere si cui placeat, subiunctas quoque reperiet litteras encyclicas, quibus Brunonis obitum quaquauersum nuntiarunt eius in Turritana eremo discipuli, solitaque pro illius anima expetierunt sibi suffragia, quibus litteris patres Ecclesiarum permulti, cum soluta, tum ligata oratione, ut ex titulis funebribus apparet, perhumaniter responderunt. Utriusque, et solutae et ligatae orationis exempla dabimus. *S. Vigoris Cerasiaci Coenobii titulus: Humilis grex coenobii Cerasiensis beati Vigoris, praemonitus oraculo diuino, pro anima religiosi ac Deo dilecti Brunonis generale officium persoluit, orans, ut ei parcat summa Dei pietas*: et S. Mariae Lucionensis: *Fratres qui estis in eremo, quae dicitur Turris, notum sit omnibus vobis, quod pro domino Brunone agamus charitatiue septem vigilias et septem Missas, et panem et vinum domino Reginaldo abbate imperante. S.* Joannis Archiepiscopi Beuerlacensis ecclesiae:

Bruno

Bruno quod ſprevit vivens in morte reliquit,
Nam mundum fugit, mundanaque vilia dixit,
Chriſto ſervivit, quare coelum penetrauit
Ipſius tales transmittere ſed quia fratres
Chartam fecerunt, noſtri domini voluerunt
Pro famulo tanto poſtremo tempore functo
Officium ſeruis gratum perſoluere cunctis.

Addamus verſus Scholae Conſtantienſis:

Bruno multorum praeceptor Grammaticorum
Cunctis corporeum nunciat interitum.
Grammaticus, rhetor, dialecticus, aſtrologusque
Effugerent mortem, ſi fugienda foret.
Sed quia mors nulla nequit auferri medicina,
Semper quisque ſuum cogitet interitum.

Agmen ſanctorum claudit *Artaldus* Carthuſianus Bellicenſis eccleſiae, qui cum anno MCLXXXIV. praeficeretur, aliquot annis poſt renunciauit muneri, et ad ſolitudinem d'Arvieres rediit, ibique mortuus eſt. Illius modo Caſtellanus in martyrologio Gallico ad diem VI. Octobris mentionem fecit, meruit tamen coli ab Ordine Carthuſiano ſub beati titulo.

Mens nunc atque calamus feſtinant ad commemoranda ſanctorum nomina, qui Nonis Octobris coluntur, et quorum princeps eſt *Juſtina* virgo, monialis Patauii in Italia, cuius Acta Mombritius edidit Tomo II. de vitis ſanctorum, ſed ita comparata, ut ſeculo X. vel ſerius ſcripta eſſe videatur, quod ex ieiuno ſcribendi genere, ex parte verſus *tendensque ad ſidera palmas*, ex uſu vocis *Legenda*, colligitur. Unus modo e veteribus Fortunatus ſeculo VI. Juſtinae mentionem fecit apud Browerum p. 190. hoc verſu:

Juſtinam Patauum, Euphemiam hue Calchedon offert,
Eulalia Emerita tollit ab urbe caput.

Altum de Juſtina apud veteres martyrologos obſeruatur ſilentium, ſed multis eam ornauit laudibus Ferrarius in

Catalogo Sanctorum Italiae, atque longe celeberrimum est Paduanum Justinae templum, et Ordinis Benedictini coenobium, ubi et saxum ostenditur, quod genuum Justinae precantis seruet vestigia, de quibus omnibus consulendus est Flaminius Cornelius Tomo XI. *Ecclesiae Venetae antiquis monumentis illustratae p.* 199. Justinam excipiunt *Marcellus* et *Apuleius*, de quibus Martyrologium Romanum, quocum consentiunt veteres aeque ac recentiores martyrologi, haec habent: *Romae sanctorum martyrum Marcelli et Apuleji, qui primo quidem Simoni Mago adhaeserunt, sed videntes mirabilia, quae per Apostolum Petrum dominus operabatur, relicto Simone, Apostolicae doctrinae se tradiderunt, ac post passionem Apostolorum sub Aureliano consulari coronam martyrii reportarunt, sepulti non longe ab Urbe*, (in via Appia, ut ex Lucensi Codice apud Florentinium apparet.) *Eumenius* patriarcha Alexandrinus, anno 143. e viuis qui excessit, ob quae meruerit inter Sanctos referri latet, sed in Habessino Hagiologio et Aethiopum Calendario apud Jobum Ludolphum, commemoratur. Nonis quoque Octobris renouatur memoria *Sergii* et *Bachi*, quos Maximiani imperatoris iussu, in Syria Comagene, (quae in Actis *Augusta Euphratesia*, Augusta a Caesare Augusto, Euphratesia ab Euphratis vicinia dicitur:) et Bachum quidem Barbalissi, Sergium vero Sergiopoli, quae tum Rosapha dicebatur, (vide Procopium libro II. de bello Persico p. 99) quod fidem Christianam constanter sequerentur, occisos esse, Acta graeca Auctore Symeone Metaphraste, latine versa a Lipomano Tom. VI. p. 317. et latina auctore Anonymo, quae hic p. 863. et seq. excerpta leguntur, summo consensu tradunt. Sergius vero fuisse narratur πριμικήριος τῆς τῶν κεντιλίων, vel potius γεντιλίων, (quae legendi ratio hic recte defenditur) σχολῆς; Bachus vero σεκουνδικήριος fuisse traditur. *Gentiles* vero constat dici eos, qui militiam facerent, Romanorumque essent foederati, eorumque legibus vel ultro, vel deditione facta, parerent. Sergium igitur principem turmae militaris, quae custodiret palatium,

Ba-

Bachum vero ſecundum obtinuiſſe locum, facile intelligitur. Sergio et Bacho iungitur *Julia*, quae in eadem prouincia ſub Marciano praeſide martyrium paſſa eſſe narratur. In ſanctorum, quorum memoriae Nonae Octobris ſacratae dicataeque ſunt, denique commemorantur numero *Quartus* et *Marcellinus* Capuae in Campania, *Marcus*, quem temporibus Conſtantini M. Nepotiano et Facundo conſulibus, in Romana ſede ſediſſe Rufinus Hiſt. Eccl. X, 22. Auguſtinus Tom. II. Operum Epiſt. 53. aliique tradunt, et cuius in via Appia ſepulti epitaphium reperitur in Appendice antiquarum Inſcriptionum Gruteri p. 1173. *Helanus* Presbyter in pago Remenſi in Gallia Seculo VI. *Leopardinus* monachus, martyr Albiniaci in pago Borbonico, qui vixiſſe fertur tempore Clotarii regis Francorum, cuius vitae deſcriptionem dedit ex Ms. codice Siluiniacenſis coenobii, et ex Lectionario Abbatiae S. Sulpitii, Labbeus Tom. II. Bibliothecae Ms. librorum p. 415, quae utraque vita et huic Actorum Commentario inſerta p. 914. et ſeq. legitur. Sub finem tandem commemorantur atque laudantur: *Auguſtus* presbyter Bituricenſis in Gallia, laudatus a Gregorio Turonenſi libro de gloria confeſſorum cap. 80. *Palladius* Epiſcopus Mediolani, quem Santonenſe Breuiarium, et varii Eccleſiaſtici Faſti, Sanctis annumerant, de eoque conſulendus Gregorius Turonenſis l. laudato p. 60. Tum *Oſitha* vel *Osgitha*, in ſui nominis oppidulo Comitatus Eſſexiae in Anglia, de qua Camdenus in deſcriptione comitatus Eſſexiae p. 325. haec habet: Ubi Coln fluuius mari immiſcetur S. Oſithae erat oppidulum, cuius antiquum nomen Chic aboleuit regia illa virgo Oſitha, quae tota Deo defixa, a Danicis piratis ibidem confoſſa, ſanctae honores apud maiores obtinuit, et in eius memoriam aedem ſacram poſuit Richardus epiſcopus Londinenſis, circa annum MCXX. quam Canonicis regularibus impleuit. Si vitam huius Osgithae cognoſcere cupias, eam ex Laurentii Surii collectione de vitis Sanctorum Menſis Octobris excerptam pag. 942. huius Commentarii

tarii

tarii haud frustra quaeres. Tandem laudatur *Martinus*, primus Abbas Bellifontis, nunc vallis Paradisi in Legionensi regno Hispaniae, cuius loci notitiam, nec non fatorum primi Abbatis anno Christi 1137. florentis, hausit doctissimus Suyskenus ex Angeli Manrique Pacensis episcopi annalibus Ordinis Cisterciensis, ad annum Christi 1137. c. 5. Commemoratur denique *Geroldus* Coloniensis, qui in agro Cremonensi apud Insubres circa medium seculum XIII. a latronibus trucidatus est, cultuque martyris magis, quam certis gestis innotuit, quemque primus e martyrologis Philippus Ferrarius utrique suo Sanctorum Catalogo, ad diem VII. Octobris inseruit. Vita eius Cremonae MDLXXI. typis excusa, a Romano Borgo in Italicum sermonem translata, atque Coloniensi Electori 1581. dedicata esse dicitur. At anno 1652. vitam Geroldi quoque descripsit germanice Hermanus Crombachius, Societatis Jesu presbyter, cuius Opusculi compendium p. 956. huius Commentarii exhibetur. Hoc ipso quoque loco p. 963. cernitur sculpta imago Geroldi, quae eum refert dimidio corpore et viatoris specie, caput petaso et dextera scipione instructa, laeva tenet pugillares, intra praecordia defixus haeret pugio, atque e pectore per crystallum reliquiae tralucent. Ista imago Geroldi, una cum vitae synopsi, et hac precum formula fuit distributa: *Praesta, quaesumus, Omnipotens Deus, ut intercedente b. Geroldo martyre tuo, et a cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, et a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum etc.* Ultimum demum huius Commentarii locum occupat *Pipio*, Diaconus Belnae in Vastinensi Galliae tractu, qui in Officii sui lectionibus, circa annum Domini tercentesimum requieuisse dicitur: nec tamen venerationis illius indicium reperitur ante annum 1462. quo anno reliquiae eius a Senensi Archiepiscopo Ludouico Meledunensi ecclesiae Belnensi illatae feruntur.

Quamquam in iis, quae Viri doctissimi, quorum nomina huic Actorum Tomo praefixa leguntur, ad illustrandas Sancto-

ctorum Vitas attulerunt, quaeque potiſſimum hiſtoriam atque chronologiam ſpectant, hinc inde nonnulla occurrant, de quorum fide multum disputari poſſe videatur: his tamen, quoniam in laudando hoc libro diutius morati ſumus, praetermiſſis, conſilio noſtro ſatisfeciſſe videmur, omnia omnium, quorum memoria hoc libro reuocatur, ſanctorum nomina commemorantes, forſan etiam deſiderio beneuoli lectoris, quaenam res hoc volumine contineantur ſcire cupientis, non vero ut noſtro qualicumque iudicio pretium huius per ſe pretioſi Operis augeamus, poſtulantis.

CHRISTOPHORI SAXII EPISTOLA AD VIRVM Ampliſſimum Eruditiſſimumque, HENRICVM van WYN, ICtum, de veteris Medici Ocularii Gemma Sphragide, prope Traiectum ad Moſam nuper eruta. Alii ſimul duodeuiginti eius generis lapilli, quotquot adhuc in notitiam hominum venerunt, recenſentur et illuſtrantur.

Traiecti ad Rhenum, apud Joh. van Schoonhoven MDCCLXXIV. 8. pagg. 70.

Magnam ineunt ab orbe erudito gratiam, quotquot in hoc elaborant, ut, quae opera antiquitatis temporis iniuria nobis reliquit, ea diligenter excutiant. Ex quo genere quin ceteris longe ſint praeferenda illa monumenta, quae literata vocantur, id eſt, inſcriptiones, numi, et id genus alia, nemo dubitare poteſt. Certiſſima enim ſunt et rerum geſtarum teſtimonia, et chronologicas rationes certo dirigunt atque confirmant. Quae ſola ſi eſſent, ſatis dignum videretur iſtud ſtudium, quod plures excitaret; ſed ſunt etiam alia plura, licet non tanti momenti, ad varia tamen antiquitatis eruditae capita, et artem varii generis exquiſitiorem cognoſcendam ſpectantia. In qua, quum ii fere probentur, qui ad veterum operum perfectam pulchritudinem imitando proxime accedunt, cupide ſunt accipienda, quaecumque antiquitatis opera deteguntur, licet illa interdum ſequioris aeui, et priſtinam elegentiam non aequantia.

Quo nomine etiam *Saxii* Viri eruditiſſ. labor videtur commendandus, quem in illuſtranda et explicanda *veteris Medici Ocularii Gemma Sphragide* collocauit. Repertus eſt hicce lapis in ſilua Valkenburgenſi, non procul ab urbe Traiectina ad Moſam. Eſt quadrangularis lapis, cum inſcriptione, (ſi haec inſcriptio dicenda eſt,) literis inuerſis, in ſingulis lateribus, cuius forma in tabula aeri inciſa exhibetur. Ut lector facilius eam cognoſcere poſſit, recto ordine, verſibus ſeruatis, a Cel. *Saxio* ſic eſt conſtituta.

CLUCCI. ALEXANDRI. DIAL
EPIDOS. ADASPRITUDINE

CLUCCI ALEXANDRI LENE
AD OMNEM LIPPITUDINE

CLUCCI ALEXANDRI AD CALI
CINES ED SCABRITIAS OMNES

CLUCCI ALEXANDRI CROCO
DES AT ASPRITUDINES

Statim apparet, in his non omnia ad intelligendum eſſe facilia, nonnulla deeſſe, quaedam etiam eſſe corrupta. Quibus rebus quum impediri ſoleat, qui non ex multorum talium monumentorum tractatione uſum quendam ſibi comparauit, Cel. Saxius facilitatem verba ſic conſtituendo inſcriptioni conciliare ſtuduit:

Primo latere: Caii *Lucci Alexandri Dialepidos ad Aſpritudinem* ſupple: oculorum emendandam.

Altero latere: Caii *Lucci Alexandri Lene ad omnem Lippitudinem* ſupple: ſanandam.

Tertio latere: Caii *Lucci Alexandri ad calicines* (pro caligines) *ed* (pro et) *Scabritias omnes*, ſubintellige: diſpellendas et emolliendas.

Quarto latere: Caii *Lucci Alexandri Crocodes* at (pro *ad*) *Aſpritudines* i. e. leniendas.

Obſeruat Auctor, has literas non videri habendas pro operculo thecae unguentariae, ſed, quia inuerſo modo ef-

effictae ſunt, potius annuli, gemmae, aliusque inſtrumenti, quo vaſcula, ciſtulae, thecae, pyxides obſignari ſolebant. Quo nomine inſigniendum talis ſupellectilis genus, deinde inquirit: *Sigillum* vocari poſſe, non cenſet, quia *Sigilli* vox maxime recentioris ſit aetatis. Neque *Signum* conuenire, quamquam nonnulli hac ſenſu complura veterum loca acceperunt, quia *Signum* non tam inſtrumentum, quod exprimit, ſed id, quod exprimatur ſigneturue, indicet. Etiam alienum eſſe *Signaculum*, quod ſit non idem qui annulus vel gemma, ſed imago annuli, vel gemmae titulus, figura, nota, quae efficit *Signum*. At vero, quia monumentum hoc lapidare abhorret a figura annuli vel gemmae annularis, maluit Cl. Saxius, voce a Plinio uſurpata, *Gemmam Sphragidem* appellare, cuius dominus fuerit, idemque medicamentorum opifex, *Caius Luccius Alexander*, Medicus *ophthalmicus*, de quo hominum genere ad libros Inſcriptionum, aliosque huc pertinentes, Auctor amittit Lectorem: Ipſum *Luccium* cenſet loco non ita illuſtri editum, ſed libertinae fuiſſe conditionis, a *Luccio* quodam manumiſſum, cuius nomen cum Graeco Alexandri, quod habebat, coniunxit. Et quia Medici fere legionibus comites ibant, ſuſpicatur, noſtrum fuiſſe inter cohortes *Claudii Labeonis*, (Tacit. IV. Hiſt. 66.) Ipſam rationem collyriorum in hoc monumento adlatorum explicare praetermiſit Cl. Saxius, quia in ſequenti tractatiuncula de duodeuiginti ſimilibus lapillis multa occurrunt, quae primae inſeruiant. Hoc vellemus ab Auctore non praetermiſſum, qualis ſit ſcribendi ratio in iſto monumento, cum facili forte negotio potuerit ab illis accipere, qui lapidem ipſum oculis ſubiecerunt. Quodſi cum Cl. *Saxio* referendus eſt lapis ad illius Claudii tempus, quod adfert ex Tacito, venerandae profecto eſſet antiquitatis; quod ſi Cl. Saxio excutere ulterius placuiſſet, magna inde forte poſſit deriuari utilitas, in definienda ſcriptorum librorum antiquitate, difficili illa ad diiudicandum, etiam poſt tot ſummorum virorum labores.

Reliqui lapides, de quibus in ſequentibus inde a pagina 23. agitur, diuerſis locis illi reperti, editi quidem iam

ſubinde, et a viris doctis illuſtrati ſunt, ſed non felici omnes ſucceſſu. Partim enim, ut fit, in ſiglis, quae vulgo in talibus lapidibus reperiuntur, et alias erratur, et hic erratum eſt; partim in ipſis verbis ſenſuque horum exponendo. Quae cum videret Cl. *Saxius*, de nouo omnes, quotquot reperti ſunt, huius generis lapides, ad examen vocauit, priorum interpretum ſententias ponderauit, et ubi a vero viderentur abhorrere, ſuam, ſed modeſte quidem, et ſine acerba cuiusquam reprehenſione, propoſuit, ut nobis videtur, felici ſucceſſu.

Prima et ſecunda iſtarum gemmarum eſt reperta in agro Nouiomagenſi. Primam Gisbertus Cuperus cum explicare non poſſet, miſit ad N. Heinſium, qui et ipſe auxilii nihil tulit. Neque Smetius quidquam profecit. Sic autem cum Saxio eſt legenda inſcriptio et explicanda: *STRATIORUM*, a στρατὺς, στρατιά, exercitus, et στρατιωτικὸς militaris. *TALASSE ROSA:* videtur probare Saxius *THALASSEROS*, θαλασσερος, ut litera *a* reſidua indicetur Graecorum πρός, quod medici adhibent, ubi remedium inſeruire debet ſiue ad malum expellendum, ſiue ad bonum conciliandum. *CYCRIARIUM AD IMP.* videtur Saxius cum aliis pro eodem habere cum *cygnarium*; *AD IMPetum* explicat, vel de principio, vel de celeri humorum incurſione, quo ſenſu et alios medicos uſos eſſe voce impetus, exemplis docet. *DIARODON AD IMPetum*: *diarodon*, ſiue *diarrhodon* deducit a ῥόδον, roſa. Vox utroque modo eſt ſcripta, ut apparet ex locis medicorum Graecorum adductis.

II. Primum a Smetio edita, et ſubinde ab aliis illuſtrata, huius eſt argumenti: *MEDINUM*, aluminis genus ex inſula Melo, quod optimum fuiſſe Cl. Saxius docet ex Plinii loco, a prioribus interpretibus neglecto. *DIAMYSUS*, ſiue ut vult Saxius, *diamiſus* vel *diamiſy* ex Graeco μισύ. *DIARICES AD*: accipit Trilleri emendationem dierices, διερεικὲς; priores interpretes nihil ſani viderunt. *TIPINUM*: et in hac voce fluctuant interpretes, ipſe Saxius coniicit *Lirinum*, vel *pyxinum*, vel cum Trillero *pityinum*.

III.

III. *Genuensis C. CAPii* (sic vult cum Sponio Saxius, non cum aliis *Capitonis*,) *SABINIANI*, haec habet: *CHLORON AD CLARItatem*, siue claritatis oculorum caussa. *NARDINUM AD IMPETUM. CHELEDON AD CLA.* i. e. *Chelidonium ad claritatem.* Unde dictum sit Chelidonium non definit auctor, utrum ab herba, an a Medico; hoc tamen non probat, ob locum Sereni Sammonici v. 209. ubi est *herba Chelidonia. DIABSORICUM AD CALIG.* legit, *diapsoricum ad caliginem*, *i. e.* ad dispellendas nubes et tenebras, quae oculis offunduntur, ubi sane non apte censet voluisse quosdam *DIA pasina PSORICUM.*

IV. *Colcestriensis Q. JULi MURRANI*, edita ab Chishullo, et saepius repetita, talis est: *MELINUM AD CLARITATEM: STAGIUM OPOBALSAMAT AD CAP.* probat Saxius Falconeti emendationem *Stactum* vel *Stacton opobalsamat*um; pro *ad cap*, coniicit incisum fuisse *ad cal.* i. e. caliginem.

V. *Diuionensis, M. JULi CHARITONIS*, edidit primus *Scipio Maffeius*, et post eum alii; quatuor lateribus habet sequentia collyria: *DIASNTRN. DE.* Probat Saxius, quod Maffeius vult; *Diasmyrnum*, ἀπὸ τῆς Μύῤῥας, Jonice Σμύρνας, Myrrha, praecipua collyrii parte. Lacunas sic, Wesselingii coniecturam probans, supplet, *aD Epiphoras ISOCHRTS AD CLAR. h. e. ISOCHRTSon AD CLAR*itatem. Quidam sic dictum putant ab excellentia, neque medici sic dicti nomen agnoscunt, quibus non plane subscribit Saxius. *DIAPSA...* alii aliter, quae deficiunt, supplent. Proponit Saxius *DIAPSAronium*, quia ψαρώνιον inter oculorum medicamenta a Plinio refertur. *DIARHOD AD FERU.* cum Maffeio et Wesselingio legit Saxius, *diarhodon ad feruorem*, ut *feruor* sit φλεγμονὴ Graecorum.

VI. *Senensis, P. AELii THEOPHILETIS*, a Gorio edita, qui tamen Saxio, qualis sit Epigraphe, ignorasse videtur, mutato etiam Medici nomine in femininum, habet duo collyria. *COENONA AD CLAR.* quae Saxius legit *coenon ad claritatem*, ut ultimum *a* in *coenona* vitiose red-

undet, a κοινὸν Graecorum, commune, vulgare *STACTUM AEL.* Saxius legit *Stactum* siue *Stacton AD Lippitudinem.*

VII. *Normannica* siue *Marculfiana*: Q. *CAER. QUINCTILIANI*, reperta iuxta aedem *S. Marculfi de Insula*, edita primum in Mercurio Francico a. 1729. et postea saepius. *CAER.* cum quibusdam putat Saxius significare *Caerellium*, siue cum aliis *CAEREALEM.* Habet quatuor remedia, *STACT AD CLA. i. e. Stacton. DIALEPID.* legit cum Wesselingio Saxius *dialepidum. DIASMYRN.* quod cum Wesselingio legit noster *diasmyrnon* vel *diasmyrnes. CROCOD.* rursus sequitur Wesselingium, qui legit *crocodes*, quod ex Galeno affert Saxius.

VIII. *Epamduodorensis* siue *Sequanensis*, *C. SVLPicii HYPNI*, primum edita a Muratorio, habet quatuor remedia. *LISIPONUM AD SUPPURATION.* post alios emendat prius Wesselingius Lysiponum; sed quia apud Galenum exstat Λυσιπόνιον, idem h. l. vult Saxius. *COENON ad CLARITATEM*: *STACTUM OPOB AD CV.* priora facile ducunt eo, *ST. opobalsamatum*, ultima Saxius cum Wesselingio legit, *ad cicatrices veteres*, aut cum Schoepflino *ad Caliginem*, hocque praefert. *CROCOD DIALEPID AD ASPRI.* facilia haec sunt ex antecedentibus.

IX. *Vesontina*, *G. STATii* SABINIANI a Joh. Dunodo, Antecessore Juris in Academia Vesontina, edita, unum habet medicamentum, *DIACHERALE.* Post varios in has literas et desperatos conatus quorumdam, Saxius coniicit *DIACHER*, corrupte pro *diaker*, *i. e.* διὰ κέρατος collyrium; reliquas literas sic interpretatur: *Ad Lippitudinem Extenuandam*: sed videtur nimis artificiosa coniectura.

X. *Veronensis* C. IVLii DIONYSODORI prolata a Maffeio. Exhibemus emendationes Saxii, sine literarum compendiis. *DIAMISUS AD VETERES Cicatrices*: alii aliter constituerunt, sed Saxiana lectio ad ductum literarum proxime accedit. PACCIN *AD DIAT*: his duabus vocibus *ad diat.* quas Maffeius de medicamento explicauit, notari recte monet Saxius morbi genus, Graecorum διάθεσιν, affectionem.

XI.

XI. Alia *Vesontina*, L. SACCI MENANDRI, edita primum a *Caylusio* Comite, quatuor habet medicamenta: CHELIDONIVM *AD CA.* probat post Schoepflinum Saxius CHELIDONIuM *AD CAliginem. MELINUM DELACR.* vult Saxius *delacrimatorium*, non cum Schoepflino *delacrymatum*, quia hoc apud Medicos Latinos non inuenitur. *THALASSEROS DELAC.* i. e. *delacrymatorius*, aptus ad delacrymationem. *DIASPHORIC* (pro *diapsoricum*) *AD SC. i. e. SCABRITIEM.*

XII. Fragmentum *Parisiensis* regiae, DECiMi *FLAVIANI*, a *Caylusio* editum, duo habet remedia: *M. LENEM AD... VDINEM OCVLO: lenem* Saxius legit *lene* medicamentum; sed forte non adeo inepta est Walchii lectio *lenementum* pro *lenimentum*, quia plane ineptum videtur, scribere *lenem*, pro *lene medicamentum*, nullo prorsus spatio inter utramque vocem relicto: *COLL... MIXTUM.* i. e. *collyrium mixtum.*

XIII. Parisiensis ἀδέσποτος, edita a Caylusio, sequentia habet:

LENEM AD IMPE
AD CALIGINEM
POST IMPETUM
AD ASPRITUDINEM

prima Saxius explicat *lene medicamentum ad impetum.*

XIV. Lugdunensis *C. CINTVSMINI BLANDI*, ex Museo Beraldi, Jesuitae Lugdunensis, quatuor habet medicamenta: *EUODES AD ASPR.* quae nihil habent difficultatis: *DIAPSOROPO.* legit Saxius DIAPSORicum OPObalsamatum. *DIASMYRNE i. e. diasmyrnes: SPONCLENI.* Probat Saxius, quod Trillerus dedit, SPONGarium LENIens.

XV. *JENENSIS*, a Walchio singulari libello edita et illustrata, habet sequentia quatuor: *DIAPSOROPOBALSAD CLAR. i. e.* DIAPSORicum OPOBALSamatum,) ut explicat Saxius,) *ad CLARitatem: DIASMRN POSTIMPETLIP* EXoV. i. e. DIYSMyRNES, vel *diasmyrnon*, *POST*

POST IMPETum LIPpitudinis EX Oculo Vlcerato: EVoDES *AD ASPRIT. ET CIK.* ultima legit Saxius *cicatrices recentes*, ut τὸ K occupauerit locum τοῦ R: PENICIL*lum AD OMNEM LIPPITudinem*, quod seruari solitum in arculis ab istiusmodi hominibus, Saxius monet.

XVI. *Auenionensis* C. DVRONi. Eam Saxius habet non pro gemma sphragide, sed pro vasculo figulino medici ocularii. Hunc titulum habet:

CDVRONCTET
chelidoadcal.

et sic legit: *Caii* DVRON C*i* TET*ii* CHELID*onium AD* CALiginem. Sed nihil definit. Alii aliter legerunt.

XVII. *Nemausiensis*, a Seguierio ad Cl. Walchium missa, ab hoc et edita et illustrata. In quatuor lateribus haec habet. *PSORICUM: CROCODEM: AROMATICA: MELINU*, pro *Melinum*.

XVIII. *Nemausensis CLAUDIOrum*, accepit a Seguierio Walchius, et explicat CLAUDii CROCodes GALBaneum; sed istud *crocodes* nimium recedit a figura Monogrammatis, quod post vocem *Claud.* reperitur. Propius accedit quod vult illustris Trillerus, *Chloron*, sed tamen acu rem tetigisse videtur Cl. Saxius, qui sic legit *Claudiorum Galbaneum*, sc. Collyrium *ad cicatrices*.

Haec in compendio exhibuimus, quoniam tales libri, exigui mole, facile intercidunt, et tamen gratum est antiquitatis studiosis, quaecumque occurrant antiquitatis monumenta cognoscere, etiam quae leuioris argumenti videantur. Ceterum etiam ex hoc libello apparet, quam latus et amplus illis, qui humanitatis professores et esse et haberi cupiunt, pateat campus, in quo, exemplo Cel. Saxii, etiam in ea quae Medicorum propria putantur inquirenda et excutienda excurrant.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXIII.

STORIA DELLE VITE DE PONTEFICI, DI BARTOLOMEO PLATINA, e d'altri Autori, dal Salvator nostro Gesu Christo, fino à Clemente XIII. Edizione novissima, corretta, ampliata di copiosissime note, Indici, e Cronologia, e adornata de Ritratti de' Pontefici.

TOMO I. Venezia 1760, *TOMO II.* 1761. *Tomo III.* 1763. *TOMO IV.* 1765. 4.

Quamquam iam pridem de hac Vitarum Pontificum Collectione, quae vulgo magnis laudibus afficitur, multum audiuimus et legimus; tamen eam adhuc, quoniam in his nostris regionibus difficilis est comparatu, ipsi legere non potuimus. Accedit, quod scriptis Italorum ex hoc genere parum delectamur; caussam quis ignoret? Sed fortasse sunt, qui non minori cupiditate, quam nos nuper, huius Operis notitiam et descriptionem accuratiorem expectent. Auctor quis fuerit, nos fugit, nec nomen eius plane et diserte est indicatum, sed haud dubie sub illis tribus litte- *D. G. P.* quas post dedicationem legimus latet. Quod ad Opus ipsum attinet, Auctor sua sponte fatetur, notas adiectas alium habuisse auctorem, qui, quantum nobis constat, *P. Leonius*, Theologiae doctor Patauii, fuit, quae quidem

ei pretium tribuunt, ſed tantum ad Vitas a Platina deſcriptas pertinent. Praefationes, et Tomi primi et ſecundi, pro inſtituto Auctoris nobis plane non ſatisfecerunt, ſcilicet ut inde quisque omnium huius rei Collectionum notitiam acciperet. Sciendum enim eſt, multos Italorum iam ſuperiore Saeculo Platinae Vitas Pontificum in linguam ſuam vernaculam transtuliſſe, quas alii poſtea continuarunt. Talis fuit continuator *Panuinius*, a Sixto IV. usque ad Pium IV. *Cicarella* ab hoc usque ad Innocentium IX, quem ſtatim in hac noſtra Collectione ſequitur Vita Clementis VIII, et Leonis IX, cuius auctor fuit *Giouanius Stringa*. Porro inter continuatores numeratur *Bzouius*, cui debemus Vitam Pauli V, quam italice vertit Luccheſeus, deinde Gregorii XV. et Urbani VIII, quas Tommaſuccius, denique Innocentii VIII et Alexandri VII. Vitas, quas Antonius Bagatta vertit. Bruſonius quoque aliquo modo huc pertinet, qui Vitam Clementis IX. et XI. ex Hiſtoria Italiae collegit atque deſcripſit. Reliquae varios habuerunt auctores, qui quidem non ſunt nominati.

Veniamus iam ad Vitarum deſcriptiones ipſas in fronte deſcriptionis cuiusuis Pontificis, ſicut in Platinae editione non modo originali, ſed etiam in verſione, depicta eſt eius imago. Noua igitur editio, de qua nobis eſt ſermo, tantum in eo eminet inter priores, primum quod plures Vitas continet, deinde quod iis, ſcilicet a Platina deſcriptis, annotationes Leonii ſunt adiectae. Sed et eas non eximii pretii eſſe, exceptis iis, quae Pagium, Muratorium et Natalem Alexandrum habent auctores, fatendum eſt. De earum ſcopo ipſe Auctor huius Collectionis in Praefatione prima expoſuit, ubi ait, magna profecto inſolentiae ſpecie, adhuc bona et mala, vera et falſa, utilia et inutilia, his Pontificum Vitae deſcriptionibus fuiſſe immixta, quae P. Leonius ſecernere atque emendare eſt auſus. Sed eius notae tantum pertinent ad Platinae Vitas; an igitur in reliquis nihil mali, nihil falſi, nihil inutilis reperitur? Sed revertamur

ad

ad propositum. Coepit igitur Leonius in Tomo primo criticum ab omni parte liberum agere, hinc factum est ut interdum a recepta apud Pontificios sententia recederet; quod cum clerus videret, et in eum animaduerteret, coeptum consilium in Tomo secundo deposuit. Denique hoc quoque est tenendum, eum non satis feliciter et diligenter Natalem Alexandrum, reliquosque, quibus est usus, excerpsisse. Eius vero annotationes, quales sint, optime ab exemplis discere possumus, afferemus igitur quaedam. Pag. XI. illam explosam iam diu sententiam, Marcum Euangelium suum latine scripsisse, acriter defendit, inprimis hoc argumento usus: illud directum fuisse ad Romanos, ibique tantum homines elegantiores linguae Graecae notitiam tenuisse. Sed hoc argumentum, nisi vehementer fallimur, tantum Pontificio, profecto non nobis, satisfacere potest, siquidem Marcum hanc Seruatoris Historiam non solum ad usum Romanorum, sed etiam aliorum Christianorum composuisse, certo scimus. Porro ex eodem genere est illa notula, in qua, sine omni virorum artis criticae peritorum auctoritate et assensu, secundam illam Epistolam, quae sub nomine Clementis I. extat, genuinam esse dicit. Haec quidem iamiam sufficiant; sed unum adhuc succurit exemplum, quod silentio praeterire non possumus, nempe hoc: Platina in Aniceti Vita, rerum gestarum Antoninorum cum Marcomannis, Sarmatis, aliisque populis, mentionem fecit, hinc statim Leonius, praeter omnem expectationem, de Legione fulminatrice notam aspersit, in qua non modo rei veritatem affirmauit, sed etiam distinxit inter Legionem *fulmineam* et *fulminatricem*, illam iam ante Antoninorum tempora fuisse concedit, hanc vero his demum temporibus ita fuisse appellatam, firmiter credit. Scilicet hac distinctione procul dubio utitur propterea, quoniam satis certum est et inter omnes huius rei peritos constat, hoc nomen fulminatricis Antoninorum aetatem longe praecedere, atque adeo neminem doctorum hanc fabulam amplius credere, multo minus defendere. Sic etiam

iam discrimen posuit inter Jouem *fulmineum* et *fulminatorem* in hunc modum: Jupiter, inquit, fulmineus dicitur, quando leniter fulmen manutenet, fulminator contra, quando fulmen magno tonitru mittit, ita ut ab omni parte coeli fulgura emicent. Haec exempla, quae antea diximus, satis confirmant et illustrant. Quod reliquum est, Leonius, sui propositi immemor, saepissime locis clarissimis non modo notas plane inutiles, sed etiam alienas adscripsit. Unum tantum exemplum excitabimus. Platina in Vita Sixti I. narrat, eum, si Episcopus alicuius loci, Romam vocatus, sine Epistola Papae ad suam Ecclesiam redierit, decreuisse, ne a sua Ecclesia agnosceretur aut reciperetur. Ad hunc locum, verbo *Epistolae* adductus, multa de illis litteris disputat: appellantur, inquit, Epistolae formatae, litterae ecclesiasticae, pacificae, canonicae, communicatoriae etc. At, bone, hanc notam male ex Cangio (du Cange) repetiisti; haec res demum in Concilio Nicaeno sic est instituta et decreta, saltem temporibus Sixti I, illae Epistolae non ita sunt appellatae.

Pauca adhuc dicenda restant de Onuphr. Panuini ad Vitas a Platina compositas animaduersionibus. Ait ille, Platinam, inde a Leonis IX. Vita, maiorem quam antea diligentiam adhibuisse, ita ut ei in reliquis maior fides sit habenda; praeterea tamen obseruauimus, eum inde ab eodem Leone numerum animaduersionum suarum nimium augere, quod sane inter se pugnat. Caeterum tamen hoc opus non omnino est spernendum, aut plane reiiciendum, multa habet bona, quamuis parum noui. Inprimis autem ex eo apparet, quid Leonius de hac vel illa re statuerit, quae iudicarit, et sic porro.

DIA-

DIATRIBE ACADEMICA DE EMENDANDIS plurimis veterum Scriptorum locis, uti et de Hecatombis, Homerique Oceano: quam auspiciis Dei O. M. Praeside CAROLO SEGAAR, viro clarissimo, Linguae Graecae Professore Ordinario, publice defendit HERMANNVS ROYAARDS, Bomelia Gelrus, Auctor.

Traiecti Batauorum 1775. 13 pl.

Gratulamur Cl. Auctori egregium doctrinae specimen, et insignis industriae monumentum, libenterque venimus in societatem laetitiae, quam viri summi, quorum disciplina Cl. Royaards usus est, e laudibus et honore doctissimi discipuli capiunt, qui tanto maioris faciendus est, quanto modestius de hoc conatu suo, deque aetate sua statuit, in qua plus profecto praestitit, quam vulgo ab illa aetate exspectari solet.

Non continet haec diatribe praecepta, et veluti normam emendandi scriptores; sed loca scriptorum singula tractantur et constituuntur. Ac primo quidem versatur in Doricis Pythagoreorum fragmentis, quae sunt in opusculis myth. Galei p. 659. sqq. cuius operae tanto minus quempiam poenitere debet, quanto est utilius illorum fragmentorum argumentum: profecto enim carere possemus libellis quibusdam, ex antiquitate etiamnum superstitibus, modo plura istius generis ad aetatem nostram tradita fuissent. Sed ut ad rem veniamus, p. 666. homo dicitur rerum vocabula inuenisse, *χαρακτὴρ αὐτῶν γενόμενος*, pro quo Vir Cl. malit *χαρακτὴς*, veluti *signator et monetarius*, firmatque haec Manethonis loco, VI, 388, ut Ms. habet, *ἀμοιβαίοιο χαράκτας σήματος, pecuniae signatores*. Pag. 675. post verba *παραπλησίως* — — — *αἱρετὸν* locum mutilum ita sanat, *τὸ μὲν γάρ τι αὐτῷ περὶ ψυχάν ἐστι, τὸ δὲ περὶ σῶμα, τὸ δέ τι ἐκτός.*

ἑκτός. περὶ ψυχὰν μὲν τὰ ποιητ. — — Haec ipsa enim scriptor antea de rebus per se expetendis posuerat. Excidisse aliquid adparet; suffecerit fortasse, haec verba, τὸ μὲν γάρ τι αὐτῶ περὶ ψυχάν ἐστί, repetere, non omnem illam triplicem diuisionem, quam Archytas iam ante proposuerat. P. 680. τοῖς φαύλοις τὸ τυχὸν ποτιδοτεόν ita corrigit, τό τυχὲν, ut sit infinitiuus Doricus: ideoque vertit: *existimandum esse, malos nonnumquam scopum adsequi.* De loco, varie corrupto, p. 682. ita statuit, legendum esse, προσέοικε γὰρ ἁ μὲν Φρόνασις τᾶς τέχνας, ἁ δὲ κακία τᾶς κακοτεχνίας ἕξις εἶναι (pro ἑξεῖν,) μαχχνάσιας γὰρ ποθευρίσκει τὸ ἄδικον (*nam dolos quosdam adinuenit iniustitia.*) Etiam τῷ ἐπιθυμιατικῷ casu secundo legendum est. P. 729. suadet hanc lectionem: ἄνδρα δὲ κατὰ τὰς α. τ. ν. κ. β. τε δύνασθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, καὶ ἀλλαθ. — confertque Cornuti locum c. 15. ubi aliquis τῆς περὶ τὸ ἔρεσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι δυνάμεως ἐπίσημος dicitur. P. 731. locum haud dubie corruptum ita corrigit: ἔστι δὲ τοῦτο, ἐὰν προσέχῃ τὸν νοῦν. διὰ τούτων γὰρ ἐλθοῦσα ἁ γνώμα. Sed nobis quidem hoc modo non omnia satis perspicua sunt, videturque multo maior esse huius loci lacuna, quas omnes explere velle audacius fuerit. Verum plura persequi non licet, nec alia loca commemorare, quae per hanc occasionem tractata et emendata sunt. Progredimur potius ad secundum caput, quo menda quaedam Etymologici magni et Harpocrationis, mutua quam sibi adferunt ope, tolluntur.

In voce γρυπαίνειν in Etym. M. legendum est γρυποῦσθαι pro ῥυποῦσθαι, ita enim Harpocratio, in γρυπάνιον. Similiter in γρυπανίζειν legendum est γρυποῦσθαι pro ῥυσοῦσθαι. In γρυπὸς malit ῥεβὸν ex Ms etymologico, pro ῥαιβὸν, quod habet editio Sylburgiana: cum illud ῥεβὸν propius ad verbum ῥέπειν accedat, de cuius etymologia paulo post dicitur. In voce ἐκφυλλοφορῆσαι pro τὶς τῶν πολιτῶν legendum est cum Harpocratione τ. τ. βουλευτῶν: nam sermo omnis est de Senatoribus. In ἔμπουσα pro τοῖς δυστυχοῦσι restituitur τοῖς στοιχοῦσι. In ἱππεράτης legatur cum Suida et Etymol. M. ὁ σακεσφόρος,

pro

pro, ὁ καὶ ἔφορος. Harpocratio in φιλοσοφεῖν habet ἀντὶ τῦ πονεῖσθαι φάσκειν. Scribatur ex Etymol. M. σπυδάζειν pro φάσκειν. Ingressus igitur est Vir Cl. in hac glossariorum emendatione viam certam, cum constet, aliud ex alio, multa item e communi fonte fluxisse, adeoque mutuam emendandi operam esse tutissimam, nisi ipsa illa Scriptorum loca, ad quae glossariorum auctores respexerint, inuestigari possint.

Sequitur tertium caput, quod in Isocrate versatur. Is igitur in oratione περὶ ἀντιδόσεως repetierat loca e Panegyrico et oratione de pace, iis ipsis verbis, quibus in orationibus illis exstabant. In quo accidit, ut quaedam diuersitates irreperent, eaeque interdum admodum minutae. Verissime ergo censet Cl. Royaards, non exspectandum esse, ut omnia plane sibi inuicem respondeant: mutari enim sensum pulcri venustique, in sene praesertim, qui facile quaedam, ab se iuuene scripta, improbet: in quibusdam negligentius versatum videri Isocratem, nec tam curasse ut verba, quam ut res repeteret. Ceterum verissime monet, ea non videri ab Isocrate profecta, quae in alterutro loco ita posita sint, ut huius scriptoris consuetudini aduersentur. Cum igitur plura ex hoc genere iam attigisset Morus V. Cl. in editione Panegyrici, Cl. Royaards horum numerum auxit, et quaedam, a Moro proposita, aut confirmauit, aut alia ratione diiudicauit. P. 81. edit. Wolf. legitur, ὅσον οἱ μὲν ἐπὶ μίαν πόλιν στρατεύσαντες ἔτη δέκα διέτριψαν, in quibusdam edd. περί pro ἐπὶ. Praefert V. Cl. ἐπὶ cum στρατεύεσθαι ἐπί τινα sit notissimum. Sed si quis περί malit, is fortasse iunxerit haec: διέτριψαν περὶ πόλιν, στρατεύσαντες. Verum ἐπὶ melius est. P. 84. τελευτᾷν τὸν βίον praefert alteri τελεῖν, cum Isocrates διατελεῖν τὸν βίον dicat, non τελεῖν. Paulo post προαγαγέσθαι ἐπὶ τὸ διανχυμαχεῖν praefert varietati illi, προσαγ. i. τῦ διαν. Sed in alio loco p. 88. tribuit Moro sententiam plane contrariam ei, quam ille in notis defenderat, nam et ille voluerat casum datiuum praeferri, δούλαις ὀφθῆναι γενομέναις, quod iure etiam

iam Cl. Royaards praefert. Emendatur etiam locus Theophrasti in charact. c 25. fin. ὡς κινδυνεύσαντας (pro κινδυνεύσας ὡς) σέσωκε τῶν φίλων: ita intelligetur τινὰς τῶν φίλων. In Demosth. orat. de cor. (T. 2. p. 288. ed. Tayl.) ἀνέστησεν αὐτὴν ἀπὸ ταύτης ἐργασίας legitur, nobisque videtur defendi posse: sed V. Cl. emendat ἀπέστησεν, laudatque Abreschi Lect. Aristaen. p. 122. In Aeliani V. H. 3, 1. ubi legitur, ἀφ' ἧσπερ ἐρῶν καὶ τότε ὁ Θεὸς ἐσεφανώσατο, negat aptum esse ἐρῶν; cum Aelianus nullam fecerit amoris mentionem, sed rem alicunde repetierit: itaque corrigit ἀφ' ἧσπερ ὧν. Jam Schefferus suspicatus fuerat vitium huius vocabuli.

In disputatione de hecatombis, quae capite quarto continetur, primo negat, vocabulum ἑκατόμβη ex ἑκατομβόη contractum esse, cum ex βόη nequeat formari βη. Nec fuit numerus victimarum certus, cum hecatombe oblata est, sed interdum 81. tauri (Hom. Od. 3, 5,) interdum duodecim boues (Il. 6, 93.) quae et ipsa (v. 115.) ἑκατόμβη dicuntur. Neque singuli (saepe autem a singulis oblata dicitur hecatombe) videntur tam sumtuosa sacra facere potuisse. His de causis, ceterisque, quae de hecatombis ex antiquitate nobis innotuerunt, statuit Cl. Royaards, ἑκατόμβην esse ἑκατόμην θυσίαν, *sacrificium oblatum Apollini:* hic enim est ἕκατος, aut, quod eodem redire putat, ἑκάτομος, terminatione verbi producta, ut in ἡλαμὸς ex ἧλος, πλόκαμος e πλόκος: iam ἑκάτομος inserto β fiet ἑκάτομβος. Atque haec inde firmat, quod hecatombae ab Homero plerumque Apollini oblatae dicuntur, quamquam interdum et aliis: (nomen enim, uni rei proprium, pluribus, ut fit, commune factum esse, et de toto genere usurpatum:) quod consulentes oracula hecatombas obtulerunt: quod denique Apollo Athenis dictus est Ἑκατομβαιός, unde et mensis Hecatombaeon. Ceterum de splendore horum sacrorum, quibus lautae epulae adiunctae fuerunt, quaedam disserit. Ac nobis quidem, etiamsi non propositum est res dubias argumentis dubiis infirmare; neque enim in alterutram partem

certi

certi quid efficitur: tamen id, quo haec omnis ſententia nititur, ἕκατον et ἑκάτομον et ἑκατόμβην, ſimilia vocabula eſſe, profecto videbatur aliquo munimento indigere, cum veteres etymologos in originibus vocabulorum inueniendis tum potiſſimum nimios fuiſſe conſtet, cum mutandis, inſerendis, eximendisque literis, illuſtrare rem ſoliti ſunt.

Ultimo capite exponit V. Cl. de Oceano Homeri, ſtatuitque, intelligendum eſſe mare terram ambiens. Nam quod Strabo, aliique plures opinati ſunt, Nilum intelligi, id V. Cl. improbat: primo, quia veteres non exiſtimarunt, terram ambiri Nilo, cum tamen Oceanum circumfluum dixerint; ſecundo, quia Homerus Od. 4, 477. Nilum aliter adpellauit; tertio, quia Heſiodus (Theog. 338.) Nilum eſſe voluit Oceani filium. Reiicit etiam cosmogonicam rationem, quaſi Oceanus eſſet illud elementum, e quo omnia orta fuerint. In alio nominatim Homeri loco (Il. 14, 244) πάντεσσι ad deos refert; quorum mentio antea facta fuerat.

P. VIRGILII MARONIS OPERA, VARIETATE lectionis, et perpetua adnotatione illuſtrata, a CHR. GOTTL. HEYNE. Accedit Index uberrimus. TOMUS III. Aen. Libb. VII—XII.

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1775. octonis.

Doctiſſimus et laborioſiſſimus Heynius, V. Ill. adhuc illuſtrando Virgiliano Carmine occupatus, poſt aliquam temporis moram tertium Virgilii Operium Tomum nunc prodire iuſſit, ultimos ſex Aeneidos libros complexum. Eadem igitur, qua ſuperiores, hos quoque induſtria expoliuit, et conſtantia ſubeundos labores pertulit. Ac illam quidem

 loco

loco posuit in his libris, quibus explicandis et illustrandis maior propemodum, quam in superioribus, doctrinae apparatus, amplior Italiae veteris locorum eorumque situs, antiquitatum denique notitia requiritur; a qua destituti quidam, et ad luculentam elegantemque interpretationem afferendam parum idonei, culpam in se residentem ad librorum potius contemtum referre maluerunt, vanis quibusdam querelis et reprehensionibus mouendis, quibus nihil effectum est, nisi ut periti et sapientes hoc quoque exemplo cognoscerent, et alios discere iuberent, quam sit, etiam in re critica, difficile in se descendere, et vana de se suaque virtute opinione abiecta, caussam omnem incorrupto seueroque iudicio submittere.

Fecit hoc Vir illustris, nec sine ingrato molestiae, ab operis suscepti grauitate ortae, sensu. Cum enim iam dudum multa fuissent super Virgilio scripta, eius autem scriptoris, qui variis multorum interpretum ingeniis et consiliis tractatus sit, recensio, semper impeditior quam eius, qui adhuc pauciorum studia expertus sit, a peritis habeatur; quin operis cupide suscepti, tractando demum ingrauescentis mole sustinenda, non parum taedii hauserit, ipso etiam fatente, dubitare non licet. Cuius taedii abstergendi si cogitamus non aliud ipsi nisi variando ad idem opus expoliendum labore leuamen fuisse, et omnino in his omnia cum ad fidei datae seruandae curam, ad eorum quae in se recepisset officium, et ad tuendae existimationis sollicitudinem retulisse; quam multae grauesque cogitationes animum commentandi studio intentum, et insuper aliis rebus agendis implicitum circumsederint, facile poterit existimari.

Igitur textum, ad recensionem Heinsianam vel Burmannianam formatum, criticis pariter rationibus, et explicationi inseruientibus notis illustrauit. Illis varietatem lectionis, et virorum doctorum emendationes coniecturasque persequitur; his verborum formularumque vim et potestatem, originem caussasque elegantiae, tradit. Quae vero ex historia

ſtoria antiqua, ritibus vetuſtis, oraculisue olim editis, locorum denique deſcriptione repetenda eſſent, vel alio quo nomine longiorem diſputationem deſiderarent, ſub finem cuiusque libri excurſibus peregit; quae, quoniam eximia cum cura perſcripta ſunt, multaque recondita et inſignes antiquae grauisque doctrinae opes ſeruant, quin magno cum lectorum, tum omnium, tum eorum qui Virgiliani carminis luculentam et exactam intelligentiam deſiderant, legantur, dubitari non debet. Nam cum ſuperiorum interpretum alii quidem criticas res tantum rationesque exponerent; alii toti fere interpretandi negotio addicti, cumulandis ſimilium locorum aceruis, tamen origini et rationi illuſtriorum dicendi formarum declarandae non ſatisfeciſſent, in geographia vero, in hiſtoria antiqua, in re fabulari, ad Poetae commodam interpretationem referenda, parum accurati diligentesque fuiſſent, verbo, cum inter tot ſpecie magis quam uſu magnas opes tamen adhuc eſſet inopia eius editionis, in qua criticae accuratae, et diligentis doctaeque interpretationis partes, quas, qui ſuperiori tempore huic carmini illuſtrando manus admouiſſent, fere diſtraxiſſent, conſociatae reperirentur; nunc demum Interpretem nactus eſt Poeta, qui congeſtis ſuperiorum diligentia et induſtria opibus ita ſcienter uteretur, ut iuſtae tandem interpretationis legibus, et quorumcunque lectorum neceſſitatibus ſatisfactum et prouiſum eſſe appareret. Ac tam proöemia quidem ſingulis libris praemiſſa, quam inſignioribus librorum locis adſcriptae obſeruationes, multa bona continent, vel in totius orationis complexu comprehendendo, vel in poetae artificio commendando et demonſtrando, vel in admonendis iuuentutis magiſtris, ut ſi quid pie, ſi quid liberaliter, ſi magno animo, ſi quid cum virtute geſtum legatur, eo in explorandis formandisque adoleſcentum ingeniis ac moribus ſibi utendum putent, vel denique in reprehenſionum iniquitate refellenda. Aliquoties enim ſtupor ſapientiam affectantium quorundam corripiendus fuit, qui, quod Romanis moribus

 ac-

accommodate apteque ſcriptum fuiſſet, ad recentiorum horumque temporum conſuetudinem exigendum non eſſe parum perſpectum haberent, et quod ſummam doctrinae laudem Poetae ferret, id in ipſius inſcientiae vituperationem verterent. Quid? nihil crebrius et frequentius iactatur, quam Poetae quidlibet fingendi et audendi ampliſſimam eſſe poteſtatem; ſed quae iſta ingenio ſuggerant, quo iure iſta poteſtas nitatur vel niti debeat, ſi eius uſus ſit legitimus et ſobrius, non cogitatur. Quare nec quam apte, quam docte quodque fictum, quanto artificio totius carminis inſertum ſit textis, cognoſcitur. At nulla fere Maronis fictio, ſi *HEYNII* auctoritatem ſequimur, arbitrio concitati ingenii et ſponte nata, omnes vero ex antiqua quadam narratione ductae putandae; nec putandae ſolum, ſed etiam eo duce in antiquarum narrationum latebris, ad quas non niſi doctrinae variae et multae lectionis praeſidio aditus paratur, deprehendendae. Quo in genere nihil temere effuſum, nihil quod ad rem pertineat omiſſum, aut perperam traditum, ſine adulatione vereque affirmamus. Adeo doctrina, diligentia, ſagacitate, Viri in hoc litterarum genere ſummi, effectum eſt, ut, in quibus explicandis plurimi haeſiſſent, is feliciſſime expediret, quae vero diſſimulata difficultate intacta praetermiſiſſent, is oſtenſa difficultate, eiusque remouendae et vincendae via demonſtrata, ab eorum, qui, ubi in promtu habent notam adſcribunt magis, quam ubi lector deſideret, more, ſe alieniſſimum probaret. Cuius quidem ſententiae cum magnopere faueremus, nihil quae contra diceremus nobis in mentem venire, facile paſſi ſumus. Ne tamen prorſus intactam hanc noſtrarum recenſionum partem reliquiſſe videamur, hoc unum monere liceat, de Maronis iudicio et guſtu ſculpturae ac picturae antiquae, ad Lib. VIII, 625. ſeqq. qui locus clypei Achillis deſcriptionem habet, fruſtra dubitari Nam etiam Eclog. VII, 30. 31. Diana memoratur marmorea, cothurnis puniceis, verba enim ſunt:

leui

— — *leui de marmore tota*
Puniceo ſtabis ſuras euinčta cothurno.

et Catalect. 6, 9. 10.

Marmoreusque tibi, Dea, verſicoloribus alis
In morem pičta ſtabit Amor pharetra

Quare etiam clypei textum, variis coloribus diſtinctum, ſuſpectum eſſe non debet. Caetera autem continebunt Erneſti noſtri et Ruhnkenii V. Cel. aliorumque admonitiones, quas ſecum communicatas, quarti voluminis propediem exituri addendis, nouaeque prioris tomi recenſioni ſe inſerturum eſſe, liberaliſſime humaniſſimeque promiſit.

JO. FRIDER. FISCHERI PROLUSIONES DE Verſionibus graecis Librorum V. T. literarum hebraicarum magiſtris. Acceſſit alia, qua loci nonnulli Verſſ. Gr. Malachiae illuſtrantur, aut emendantur.

Lipſiae, MDCCLXXII. octonis.

Cum viri litterarum hebraicarum doctiſſimi, Lexica noſtra hebraica eſſe vitioſa, nec quemquam facile ex iis veram accuratamque linguae hebraicae ſcientiam ſibi comparare poſſe animaduerterent, non modo linguas, uti Grammatici vocant, cognatas, in auxilium vocarunt, ſed etiam Verſiones Graecas adierunt, quarum uſum ſingularem et utilitatem eximiam in interpretatione, Noſter, litterarum Orientalium, Graecarum et Latinarum doctiſſimus, nec non rei criticae peritiſſimus, in his V. Proluſionibus ſatis per-

ſpicue demonſtrauit. In prima igitur docuit, quomodo adhibitis Verſionibus Graecis V. T. ſingulorum verborum ſignificationes ex iis diſcere poſſimus. Sed quoniam dubitare non licet, quin etiam illi Interpretes Graeci ſaepiſſime aliam a noſtra recepta plane diuerſam lectionem in ſuis Codicibus habuerint, propterea Auctor ſcite regulas quasdam praeſcripſit, quas omni ſtudio adhibere et obſeruare debeas, niſi velis ea in re labi aut decipi. Nam illi litterarum Hebraicarum magiſtri non modo interdum lectionem plane alienam habuerunt aut receperunt, ſed etiam nonnumquam verba litterasque ſingulas transpoſuerunt, et puncta mutarunt: quomodo igitur in talibus rebus ſit procedendum, Auctor viam ita planam praeiuit, ut vix errare poſſis. Adiectum denique eſt in fine huius proluſionis ſpecimen Scripturae Codicis, qui in hac urbe hodienum in Bibliotheca Collegii Paulini aſſeruatur. Ex eo peritus huius rei quisque de tempore, quo ſit ſcriptus, iudicare poteſt. De eius conditione et bonitate Fiſcherus ipſe in Libello, qui has Verſionis Alexandrinae particulas complectitur, egit pluribus.

In ſecunda deinde Proluſione, quomodo, earundem Verſionum auxilio, verborum ſingulorum veram et ſuo loco aptam ſignificationem, (etiamſi orationis ſeries non ſuadeat,) eorumque originem et formam cognoſcere atque percipere poſſimus, Auctor demonſtrauit. Exemplum petiit e loco 1 Sam. XVII, 4, 23, in quo Iſraelitarum res geſtae temporibus Sauli cum Philiſtaeis enarrantur: ibi occurrit inter alia verbum, multifarias habens ſignificationes, בֵּינַיִם iunctum cum אִישׁ. Sed quo ſenſu hoc loco אִישׁ־הַבֵּינַיִם dicitur? Fiſcherus, adiuuantibus illis Verſionibus clare demonſtrauit, nil niſi *prouocatorem* ſignificare poſſe. Nam in Aquilae Fragmentis eius loco *ὁ μεσάζων* (i. e. *μεσίτης, μέσος δύο μεσῶν*) legimus, quod plane illud exprimit. Per hanc occaſionem Auctor alium locum Verſionis Alexandrinae 1 Sam. XVII. 17. ubi in Libro Complutenſi,

Al-

Aldino, et Alexandrino, ἀνὴρ Αμεσαχῖος ἀνέβαινε, haud dubie pro: ἀνὴρ ὁ μεσαῖος ἀνέβαινε, legitur, ex Aquilae reliquiis emendauit. Sic Grabius iam, reiecta illa altera lectione in marginem, ex coniectura hanc ὁ μεσαῖος in textum receperat. Sed utilitas Versionum Graecarum tam late patet, ut etiam earundem ductu et indicio, verba a nominibus, nomina a verbis, et unde ducta sint, dignoscere liceat. Utriusque generis exempla ibi sunt proposita. Ad primum v. c. חֲרִיצִים, 1 Sam. XVII. 18. ad alterum תָּכִין Pf. X, 17. pertinet. Primum Auctor varias verbi חֲרִיצִים sententias aliorum interpretum commemorauit, deinde etiam suam protulit, qui putet חֲרִיצֵי הֶחָלָב dici *caseos*, quod sint *segmenta lactis pressi*, quod sint *particulae lactis coacti concisae undique et orbiculares*. Nam ab Alexandrinis Judaeis חֲרִיצִים nominantur τρυφαλίδες. Quod vero ad תָּכִין attinet, Interpretes in loco paulo ante laudato mirabiliter titubant atque fluctuant: plerique vertunt et explicant tamquam sit verbi כון Futurum, quod vero, duce et suasore contextu, esse nullo modo potest; Substantiuum esse, discimus e Versionibus Graecis: Interpres Alexandrinus τὴν ἑτοιμασίαν τῆς καρδίας αὐτῶν, et Aquila τὴν πρόθεσιν τῆς καρδίας αὐτῶν reddidit. Eadem haec phrasis etiam in N. T. Act. XI, 23. XXVII, 13. 2 Tim. III, 10, occurrit, ex ab hebraica lumen accipit. Nam תָּכִין לִבָּם in hoc Psalmi loco manifeste respondet תַּאֲוַת עֲנָוִים atque hinc notionem *desiderandi, concupiscendi, volendi etc.* accipit. Jam Fischerus in Prolusione tertia alteram partem disputationis, de utilitate Versionum Graecarum V. T. quae est de verbis iunctis et contextis, persequitur. Hanc vero disputationem ita instituit, ut primo intelligas, quot quantosque fructus e lectione Versionum illarum capere possis, si iunctorum omnino verborum naturam et sententiam indagare velis: deinde, quomodo ex iisdem fontibus integrarum formularum intelligentiam, vel omnino, vel certe hoc illoue loco, haurire recte possis: subinde locos aliquot laudauit, ab iisdem interpre-

tibus

tibus Graecis ita conuersos, ut inde rationem veram, liberalique doctrina dignam, interpretandi libros diuinos cognoscere plane liceat. Rectissime Noster credit, nullam figuram, regulam, obseruationem, nullumque praeceptum reperiri in parte hebraicae Grammatices ea, quae est de verbis contextis, quod non e thesauris Graecarum Versionum multo certius et melius depromi possit, quam ex recentiorum Grammaticorum libellis: haec autem vera esse, exemplis illustratur, et probatur. Primo loco quaedam apposuit V. Cl. ex genere eo, ubi duo Substantiua, uti vocantur a Grammaticis, ita coniunguntur, ut alterutrum vim Adiectiui habeat. Sic, liceat unum modo exemplum commemorare, Esth. I, 6. et Cant. V, 15. עַמּוּדֵי שֵׁשׁ occurrit. Sed שֵׁשׁ et שַׁיִשׁ cuius potestas praeterea etiam vaga, nec satis certa putatur, ex linguae analogia nihil aliud quam Substantiuum, uti עַמּוּד, esse potest. Sed quis est qui non statim videat, שֵׁשׁ adiectiui loco poni? Videamus Versiones: Vulgatus vertit: *columnae marmoreae*, Aleaandrini עַמּוּדֵי שֵׁשׁ in loco Cant. vocant *στύλους μαρμαρίνους*; sed quia verbum שׁוּשׁ, a quo nomina שֵׁשׁ et שַׁיִשׁ ducta sunt, de iis rebus dicitur, quae tritae et perfrictae, veluti dentes, candent, propterea illi Alexandrini Judaei 1 Chron. XXIX. 2 verba λίθος Πάριος adhibuerunt. Aeque frequens est et illa forma loquendi apud Hebraeos, qua nomina pro Aduerbiis, vel nuda, vel particulis ב et ל ornata, ponant. Sic. e. g. בְּחָזְקָה, pro quo Alexandrini Judaei Aduerbio ἐκτενῶς usi sunt; porro בֶּטַח, cui etiam non raro particula ב praefigitur, ab iisdem Interpretibus per ἀσφαλῶς, atque ab alio ignoto interprete per πεποιθότως explicatur. Jam formam loquendi longe difficiliorem et elegantiorem A. explicare incipit, quae saepissime interpretes ita decepit, ut multi e verbis Scripturarum Sacrarum sententias ineptissimas et stultissimas proferrent. Haec omnino nominum quorundam hebraicorum, veluti אִישׁ, בֵּן, בַּת, בַּעַל etc. periphrases spectat: et huius circuitionis sensum optime ab interpre-

tibus

tibus Graecis discere possumus. Pro more nostro exemplum commemorabimus, esto hoc ex Gen. XXXVII, 19. בַּעַל הַחֲלוֹמוֹת quod Alexandrini Judaei per ἐνυπνιαστὴν eleganter verterunt. Per hanc occasionem Auctor vocabuli בְּלִיַּעַל originem est interpretatus. Igitur בְּלִיַּעַל a particula בְּלִי et nomine עוֹל deducit, quod proprie *contumaciam, legum impatientiam, rebellationem* significare, sed etiam interdum de ipsis *rebellatoribus* dici arbitratur. In hanc sententiam Aquilae reliquiis est adductus, qui verbis ἀποστασία et ἀποστάτης utitur. Symmachus autem eleganter, ubi occurrit בְּנֵי בְלִיַּעַל reddidit ἀνυπότακτοι 1 Sam. II. 12. et ἀπαίδευτοι Judd. XIX, 22. Alexandrini denique Judaei בְּנֵי בְלִיַּעַל dixerunt υἱοὺς λοιμοὺς 1 Sam. II, 14. λοιμὸς autem ab optimis Scriptoribus Graecis, uti latinorum *pestis*, de *homine scelesto* dicitur. Transeamus nunc ad circuitionis genus, longe frequentissimum, et interdum perquam obscurum, a solenni modo Hebraeorum loquendi desumtum, qui, cum quis fecisse aliquid, aut quid factum esse ab aliquo, dicitur, nominibus personarum rerumque adiicere solent vocabula facultatis animi, partiumque et membrorum corporis illorum, ad quae illae res et actiones maxime pertinent. Exempli loco A. utitur vocabulis לֵב, יָד. לֶרֶגֶ, פֶּה, מֵעִים, de singulis satis perspicua laudat. Unum modo ad laudem Auctoris augendam, et rei veritatem confirmandam, exemplum nos allegabimus. Deutr. IV. 11. legimus עַל־לֵב הַשָּׁמַיִם hoc interpres Alexandrinus, idiotismum τοῦ לֵב animaduertens rectissime per ἕως τοῦ οὐρανοῦ expressit. Hac obseruatione neglecta, nascitur incommodum maxime, vulgare ut homines in talibus verbis Emphasin quaerant, quod iam per se, quoniam nullum verbum, neque proprium neque tropicicum, per se Emphasin habere potest, stultum est et absurdum. Ultima huius Prolusionis pars versatur in cognoscenda verborum natura, quae ita cum aliis verbis componuntur, ut propemodum indolem et ingenium suum mutasse videantur. In hoc quoque genere Graecarum Versionum

lectio magnam praebet utilitatem iis, qui in verborum Infinitiuis, particulis ב et כ iunctis, quibus Hebraei pro Graecorum Genitiuis et Latinorum Ablatiuis consequentiae solent uti, haerent. Hanc vero partem Auctor leuiter tantum, quia non opus habet longa explicatione, attigit. Copiosius multo et accuratius differit de alio eiusdem compositionis usu, ob quem verba hoc modo cum aliis constructa saepe Aduerbiorum partes suscipiunt, velut סָבֵב, מַהֵר, תַּמֵּם, הֵיטִיב, הָלֹךְ, et complura alia. Inter alia exempla ab Auctore apposita, reperies etiam, Lector doctissime, locum Genes. XXVII, 20. לִמְצֹא מַה־זֶּה מִהַרְתָּ quem Alexandrini Judaei τί τοῦτο ὃ ταχὺ εὗρες reddiderunt. Porro locum in Oraculis Jonae II, 5. אַךְ אוֹסִיף לְהַבִּיט אֶל־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ, quem Symmachus in linguam Graecam sic transtulit: ἴσως πάλιν προσβλέψω πρὸς ναὸν ἅγιόν σου. Sic idem ille Symmachus cap IV, 9. huius Prophetae, Infinitiuum הֵיטֵב, verbo חָרָה iunctum, per δικαίως est interpretatus.

Accedamus nunc ad IV. Prolusionem de Versionibus Graecis V. T. quarum lectio etiam multum prodest, in inuestiganda formularum dicendi potestate, et in cognoscenda ratione legitima conuertendi libros Hebraicos V. T. in linguas alias. Cum autem multi sint qui hoc negent, inprimis propterea, quod illi Interpretes saepenumero, et Aquila fere semper, vocabula Hebraica ad verbum in sermonem Graecum transtulerunt; verissime igitur Vir doctissimus, non unum eorum, sed omnes quos tenemus esse inspiciendos, censet. Nam quae alius ad rationem loquendi Hebraicam, alius ad bene Graecam vertit, ex quibus optime diiudicare poterimus, quinam sensus sub verbis Hebraicis lateat. Sic formulae saepissime obuiae, תְּמוֹל שִׁלְשֹׁם et כִּתְמוֹל שִׁלְשֹׁם secundum litteras significant, uti Aquila etiam est interpretatus, ἐχθὲς τρίτην. Symmachus contra, elegantiae studiosus, Exod. V. 7. כִּתְמוֹל שִׁלְשֹׁם reddidit καθάπερ καὶ πρότερον. Eodem modo Alexandrini Judaei vim

for-

formularum דָּמוֹ בְרֹאשׁוֹ et דָּמוֹ בְרֹאשֵׁנוּ per ἔνοχος ἑαυτῷ ἔσαι et ἡμεῖς ἔνοχοι ἐσόμεθα, et similium, plane expresserunt. Multo vero clariorem lucem eaedem Versiones accendunt locis iis, in quibus formulae loquendi exquisitiores et obscuriores occurrunt. Statim exempla quaedam apponemus. Primo loco Auctor posuit Jos. IX, 5. de Gabaonitarum calceis, qui נְעָלוֹת מְטֻלָּאוֹת vocantur. De sensu autem verbi מְטֻלָּאוֹת h. l. magna est inter Interpretes dissensio, quapropter Noster veram eius significationem in Versionibus Graecis se inuenisse censet. Alexandrini Judaei ὑποδήματα καταπεπελματωμένα habent, h. e. ex sententia Auctoris, *calceamenta multiplicibus soleis munita*; sed pro καταπεπελματωμένα, ob Glossam Hesychii καταπεπολτωμένα (a nomine πολτός) legendum esse iudicat. Ceterum Symmachi interpretationem ὑποδήματα ἐπιβλήματα ἔχοντα non improbat, putatque *calceos* fuisse *variis corii particulis consutos; calceamenta quibus variae corii particulae assutae sint.* Quamquam autem hic locus satis diligenter quidem est tractatus; maiorem tamen utilitatem praestat ille Deut. 1, 36. ubi legimus אֲשֶׁר מִלֵּא אַחֲרֵי־יְהוָה יַעַן h. e. *ob constantiam*, uti vertit, *pietatis aduersus Deum.* Hanc מִלֵּא אַחֲרֵי יְהוָה phrasin Alexandrina Versio προσκεῖσθαι τὰ πρὸς κύριον reddidit. προσκεῖσθαι autem eleganter *de iis, qui aediti alicui sunt inprimis et addicti*, dicitur. Porro similem formulam legimus Deut. IV, 4. בַּיהוָה דְּבֵקִים ibi etiam Alexandrini Judaei προσκείμενοι τῷ κυρίῳ habent, h. e. *constanter pii in Deum.*

Sequitur iam quinta Prolusio, quae tota spectat rem criticam, propterea scienter, pro more, Auctor loco communi de necessitate artis criticae in V. T. est praefatus. Quoniam vero facile fieri non potest, ut particulam aliquam decerpamus, amatores et huius rei studiosos, inprimis eos, qui e libris profanis iam aliquam scientiam sibi compararunt ad lectionem huius Libelli ipsam amandamus. Summa totius fere redit eo, ut Auctor textum Hebraicum, Versionibus Graecis adhibitis, emendari posse demonstret, exemplisque

rei veritatem illuſtret. Haec iamiam Capelli, qui hac de cauſa acerbiſſimis calumniis petitus eſt, fuit ſententia in Opere peculiari de Critica Sacra. Apud Fiſcherum autem res facilior et breuior legitur, ita ut ſimul regulas quasdam diligenter determinatas atque exemplis illuſtratas habeas. Ex huius Proluſionis quoque lectione, quin magnam voluptatem et utilitatem capere poſſit is, qui ab omni partium ſtudio liber eſt, non dubitamus.

Quod denique ad ſextam et ultimam Proluſionem attinet, ea plane quidem alius eſt argumenti, tamen appendicis loco commode annexa [illegible]etur, nec ulla de cauſa eſt ſpernenda, cum Malachiam Prophetam, e quo loca quaedam explicantur, multis difficultatibus laborare ſciamus. Exempla igitur ſunt producenda, ut, qui nos legat, hoc ſibi perſuadere poſſit. Statim ab initio verbum apud Prophetas ſaepiſſime obuium מַשָּׂא explicatur, quod ſemper Interpretes vexauit, iidemque fruſtra ab Alexandrino Interprete et Aquila auxilium petierunt: ille per λῆμμα, hic per ἆρμα reddidit, utrumque ſapit Etymologiam et qui eam ſequuntur latinum verbum onus adhibent, alii, inprimis recentiores, verbum προφητείας. Haec interpretatio, ait V. Cl. ſane non diſplicet quoniam apud Suidam in λύμματα Gloſſam προφητεία habemus: tamen, notionem *praedicendi* nomine מַשָּׂא contineri, nobis non ſatis certum videtur. At, quaeſo, προφητεία non ſolum notionem *praedicendi* ſed etiam *pronunciandi* habet, ergo מַשָּׂא qualemcunque pronunciationem rerum futurarum, tam bonarum quam malarum, ſignificare poteſt. Denique Auctor, quin verbum נָשָׂא ſignificet *dicere*, et de iudicibus ſingulatim cum diceretur, *decernere*, *ſententiam ferre*, *ſententiam dicere*, atque nomen מַשָּׂא *ſententiam*, *decretum*, etiam in utramque partem notet, non dubitat. Recte quidem, ſed quia interdum verbo דבר iungitur, haud dubie ſimul decreti publicatio ſubintelligitur. In altera quaſi parte huius Proluſionis, Auctor, Interpretes Graecos loca huius Prophetae nonnulla longe

aliter

aliter quam nos legiſſe, atque eos propterea magnum in re critica habere uſum, demonſtrat. Talem locum ſtatim cap. I. 3. eſſe putat, cuius verba ita ſonant: הָרָיו־אֶת וָאָשִׂים שְׁמָמָה. Verſio Alexandrina habet: *καὶ ἔταξα τὰ ὅρια αὐτοῦ εἰς ἀφανισμόν*, hinc ſuſpicatur, in ſuis libris לִשְׁמָמָה habuiſſe. Nam fere ſemper ל in hac forma dicendi additur, ut Jer. XII. 11. Negare tamen non poſſumus, quin etiam Interpres ubi adſit, omitti, et ubi deſit addi poſſit. Similiter res ſe habet in verbis quae ſequuntur. Denique locos Verſionum Graecarum huius Prophetae nonnullos, quos vel librariorum incuria, vel correctorum inepta ſedulitas deprauauit, corrigere, et in priſtinam integritatem reſtituere annifus eſt. Exempla quae attulit, quorum numerum etiam lector diligens ex omnibus fere libris Sacri Codicis augere et cumulare facile poteſt, Lectoribus noſtris legenda relinquimus. Nam hoc Opus, quod non multis plagulis abſoluitur, atque leui pretio comparatur, neminem poenitere legiſſe certiſſime ſcimus. Sane nihil magis optamus et precamur, quam ut huic viro, tam ſui ipſius, quam reipublicae litterariae cauſa, conſtans valetudo ac robuſta ſemper adſit.

ELOGIVM IO. DANIELIS RITTERI, SERENIſſimo Principi Electori Saxoniae olim a Conſiliis aulae, Philoſophiae et I. V. Doctoris, Hiſtoriarum ac Moralium in Academia Vitembergenſi Profeſſoris P. O Bibliothecae Praefecti, Ordinis ſui Senioris ac Decani.

Placet Hector ille Naeuianus, qui non tantum laudari ſe laetatur, ſed addit etiam, a laudato viro. Ita, qui cupit ornari, longe maiorem animo concipit laetitiam, ſperata ſi ornamenta poſſit habere a tali viro, qui ſit ipſe hono-

 ribus

ribus, virtute ac doctrina comparatis, ornatiſſimus. Hic enim, quum omnium optime iuſtum honoris pretium aeſtimare didicerit, eſſe parcior in tribuendo ſolet, neque cum vulgo deſignatorum prodiga manu effundit praemia, merentioribus diligentiſſime cuſtodienda.

Talis vir hoc ſemeſtri ordinem Philoſ. Vitemb. ducere iuſſus, collega, ſplendidiſſimis honoribus muneribusque ſummo ſuo merito impetratis, prae multis egregie inſtructus; talis erat magiſtratus, digniſſimus omnium habitus, qui candidatis liberalium artium praeſtantioribus, more maiorum celeberrimoque ritu, ſupremos in philoſophia et arte poetica honores tribueret; talis ſpem faciebat frequentioris ad noſtra ſolemnia confluxus.

Haec autem ſpes nuper erepta eſt caſu triſtiſſimo. Fuit, heu! fuit ſpectatior ille philoſophorum decurio. Fuit RITTERVS, in toto, qua patet, litterarum orbe, fama exquiſitioris doctrinae celebratiſſimus. Quantus quantus moeror erat, quem cepimus e duplici plaga, quae anno elapſo reipublicae huic litteratae inflicta fuerat, tantus, tantus, quum vix ſuperiora vulnera reconcinnata videantur, incuſſo nouo, priorem memoriam refricat, ut et ordo noſter habeat, de quo peculiari iure contriſtetur. At ſi conſilium ciuitatis, praecipiente Floro, in primis eſt penes ſenes, qui patres ex auctoritate, ob aetatem ſenatus vocabantur; ſi cum Ciceronis Catone maximas respublicas ab adoleſcentibus labefactatas, a ſenibus ſuſtentatas et reſtitutas, animaduertimus: nihil, niſi triſtre, cogitandum iis, a quibus intra temporis exigui ſpatium tertius collegii ſui Senior elatus ſit. Hoc nempe reſtabat ad acerbiora fata huius litterarum uniuerſitatis, ut ſummum etiam praeſidium ornamentumque eriperetur. Illud enim peculiare RITTERI fuit, quod et paucos habuit, qui, quoad vixit, tantas virtutes aemularentur, nec plures, qui praeclarius illud vitae lumen, quod praetulit aliis, ſequantur, habebit mortuus. Omnibus tamen, qui ad veram gloriam adſpirent, ipſe exemplo eſt, quan-

quantum profit ab incunabulis virtuti ac litteris omnem operam nauasse. Quam ob rem Candidatis capessendorum honorum emortui Decani nomen tamquam signum, erigo, quod erectis animis oculisque suspiciant. Videtur laus mortui quoddam esse quasi semen, ex quo superstitum virtus habeat vel succum quo vigeat, vel vim, qua viuat aeternum. Proinde hoc praecipue argumentum delegi. Maior enim elogio nostro, ipse vir, scriptis longe celebrior, quam cuiusquam oratione, aeque cognitus exteris gentibus, atque inter pomoeria ciuitatis, ubi vixit honeste, praeclaraque docuit.

Visum est imagini IO. DANIELIS RITTERI adponere, quod in *T. Saluio Aristone*, qui Traiani aetate vixit, miratus olim fuit Plinius Caecilius, amico grauiter aegrotanti parentans, tamquam mortuo. Nihil hoc dicitur *grauius, sanctius, doctius* fuisse. Qualibus praesertim virtutibus noster etiam clarum ac nobile nomen effecit suum.

Si grauitas maiorum non nihil ponderis transmittit in eos, quos procrearunt, maxime hi si non modo se dignos parentibus praestitere, sed ipsi ad veterem stirpis amplitudinem plurimum dignitatis adiecerunt; nobilissimae gentis auctoritas auctoritati RITTERI omnino fautrix adiutrixque fuit. Stirps enim illa, cum primis vetus ac nobilis habita, multos praeclaros viros edidit, qui domi forisque armorum ac litterarum gloria non parum dignitatis obtinerent. Floruit inter Belgas gens Kroumbergia, quam sua quidem olim virtus nobilitauerat, in primis autem posteris claram reddidit magnitudo animi. Hanc autem tristissima ista tempestate, qua multa crudeliter agebantur ab Hispanis, satis satisque fecit testatam. Etenim inconcussa infractaque mente vicit aduersam fortunam, imo de ipso hoste triumphum deportauit; satius ducens, opes honoresque contemnere, suaque omnia portare secum, quam, abiecto animo, seruire tyrannidi. Igitur in Silesiam commigrauit in duas diuisa familias, quarum altera, retento nomine gentilitio

ho-

hodienum dicitur Krobergera, positis inter Polonos, Silesiae vicinos, sedibus; altera, Ritterorum adoptato nomine, stirps facta est nobilissima, unde celeberrimus ille noster IOANNES DANIEL, tamquam planta emergens, patulos longe lateque ramos effunderet. Pater fuit IOANNES, domi clarus militiaeque, qui, quum ordines duceret inter equites imperatoris Romani, hunc ex matre, ANNA ROSINA, de nobili gente Huiaschitiensium oriunda, Schlantii, quod nomen est pagi propter Vratislauiam, IX. huius Saeculi anno XVII. Kalend. Nouembres, progenuit. Nolim tamen, magna illa nomina, tamquam externa pigmenta illita putetis, vel adpicta, sed ab eiusmodi genere nihil humile, nihil leue, prodire potuisse existimetis.

Sicut enim filius a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus, grauitatem etiam, quam hereditario quasi iure videbatur obtinuisse, factus adultior magis magisque extulit. Hanc, quia frons saepenumero index animi solet haberi, statim eius vultus prodebat, mores, consilia prouinciaeque amplius reddebant conspicuam.

Haud sedebat tantae dignitatis eminentia in ore tetrico, superciliosо, et austero, velut paedagogi et Orbilii, sed in vultu ingenuo ac heroico, serio quidem, sed ad patrium morem composito, qui Lutheri similitudinem referre videretur. Huic gestuum maiestas, et reliquus corporis cultus respondit adeo, ut omnis habitus RITTERI externus animum grauem, eumque in se tamquam ad consilia seductum, manifestaret. Qui quum simul vicina vitia, in quae plerique homines grauitatis opinione inducuntur, a se quam longissime remoueret, laus Q. Fabii in ipsum cadebat, cuius comitate condita grauitas a Catone Ciceroniano laudatur. Hanc declarat oratio, iucundis conspersa floribus, ad aures audientium suauitate deliniendas, vincta simul neruis, ad animos eorum pondere perfringendum. Quemadmodum autem, quidquid illiberale sit ac petulans, a sermonis aberat gratia, nihil etiam tale in consiliis eius rebusque gerendis

dis offenditur. Ob consultissimam mentem iamiam in ipso flore aetatis, XXXIII. abhinc annis, iudicatus est dignus, cui cum munere Professoris Ordinarii dignitas Consiliarii regii mandaretur. Neque solo gauisus est officii titulo, sed ipse in caussis ad ius publicum pertinentibus saluberrima dedit consilia, atque honorem sibi delatum bene merendo, magnum sui reliquit desiderium. Delectus ob grauitatem prudentiamque a collegis, ad obeundas congressiones Ordinum prouincialium, haud parum habuit consilii, quod vel in commune conferret, vel ad tuendas augendasque Academiarum utilitates adhiberet. Idem, quum seueritatem morum coleret omni vita, maxima grauitate usus est ad felicem discipulorum prouentum, tum in moribus studiisque nobilium iuuenum regundis, quorum sat multi olim crediti essent Lipsiae commoranti, tum in clauo huius academiae gubernando, quem non leui brachio teneret, sed Rectoris personam semper insigni cum dignitate gereret. Et quoties iuuenes ipsum de aliqua re, potissimum de ineunda studiorum ratione, consultum adirent, tam grauiter respondit, ut, vocem diuinam audire visi, quidquid suaderetur vel dissuaderetur, id omne fideliter exequerentur. Cuius auctoritas quum tantum haberet ponderis apud litterar. studiosos, nihil reliqui factum ab amicis Augusti III. Poloniarum regis, qui graue munus, doctrinam morum publice docendi, Valteri morte vacuefactum, huic nostro, quo nemo incorruptior, conferrent, et quod rarissime factum, duplicem spartam tanti ponderis unius imponerent humeris.

Cui vero prius illa prouincia fuisset decernenda, quam viro, integritate vitae, quae soror est grauitatis, maxime suspiciendo, tali, inquam, doctori, qui sui exempli beneficio, quia longius iter est per regulas, a quo saepe resiliant homines, praetexentes difficultatem sequendi, breuiorem viam, magisque apertam directamque, discendis virtutibus

monſtraret? Nihil enim RITTERO ſanctius erat, ut in hoc etiam capite poſſit cum Ariſtone comparari.

Inſeuerat quidem alma parens, natura, bonam indolem, ſed diuinarum humanarumque rerum ſcientia, quae non ſinit eſſe feros, reddiderat in dies meliorem. Cultum religionis ratus eſſe quaſi apicem ſanctitatis, a puero diuinioribus litteris operam nauauerat, Graeca didicerat et Hebraica, ut, ex ipſis fontibus hauriendo, quomodo Numen recte velit coli, poſſet cognoſcere; nec minus, tractatis ſanctioris hiſtoriae ſtudiis, cuius etiam praecepta quondam de cathedra tradidiſſet, probe ſciebat a dogmatis veris falſa diſcernere. Ita, quid in religione verum, ſimplex, ſincerumque eſſet, non callebat modo, ſed ſtudiis etiam ac moribus exprimebat, ut vitae lumen, quid mens de deo ſentiret, omnibus, qui non oculis excoecati, vel maleuolentia inuidiaque praepediti eſſent, radiis quaſi diuinis faceret adprime manifeſtum.

Minime ſunt ferendi, qui, quod extrema aetate parcius templa frequentauerit, contemtae pietatis accuſent, in externo cultu rem omnem diuinam ponentes. Iniuriam iſti faciunt ſanctiſſimae boni Chriſtiani memoriae, ac, tamquam lepores, inſultant mortuo leoni. Habeo, quibus deprimam inſultus hominum maledicentiſſimorum. Quis veſtrum negat, ſceleſti, RITTERI animum litterarum amantiorem, plura ſciendi cupiditate ad extremum usque diem flagraſſe? Quando autem vidiſtis ſenem, in conuentibus eruditorum publicis conſidentem? Et quoties officium partes dicentis inter ſolemnia publica ipſi demandaret, legibus ordinis ita iubentibus, ad perbreue tempus acroaterium ingredi, nec tum quidem locum Senioris ſibi honeſtiſſimum in collegarum ſubſelliis capere, ſed inferiore loco ſedere in popularibus, memineritis. Ecquis ſanus ex eo, quod admodum raro dicentium, vel diſputantium, eruditorum coetibus adfuit, viro longe doctiſſimo ipſum ſtudium litterarum abiudicat? Id nemo ſane fecerit. At iſte ipſe cari capitis mor-

morbus, quo ſibi potiſſimum in locis editioribus adfecto circumagi omnia, aut tenebrae oboriri videbantur, ille ipſe ſanguinis ictus, quem dudum praeſenſerat, factus ſibi tandem fatalis, prohibuere, quo minus edita loca, concamerata et humida, ſuae noxia valetudini, quoties quidem vellet viſitaret. Quippe aras Deus iubet ab iis peti, qui capitis periculum effugere cupiant, minime autem vult, ut homines hic loci ſuapte ſponte irruant in vitae diſcrimen. Longe aliter iudicabunt de pietate RITTERI, qui ab domeſticis ac ciuibus, eius uſis hoſpitio, audiuerint, muſeum, e quo deo etiam redderet animam, fuiſſe ſacrarium, templis auguſtiſſimis religioſius. Hic ille ſtare defixus altiſſima meditatione, animo oculisque erectis contemplari coelum, cogitare diuina, ſaepenumero intimo adfectu pectoris ad religionem compoſiti, matutino in primis veſpertinoque tempore, hymnos in laudem numinis ſubmiſſa voce inter ambulandum cantillare. Quid? quod breui ante mortem conceptum animo conſilium, cum coetu piorum proximis diebus ad epulum diuinius redeundi, ſuis patefecerat, quo tamen ſupremo viatico ut reficeretur, vis fatalis, ſeu potius numen, prohibuit; cuius miſericordia cum ſatis refectum inter caelites recipi poſſe iuberet, qui mentem quotidie ſatiaſſet pabulo coeleſti. Maxime vero pro doctore ſuo dicant diſcipuli, quibus in praeceptis iuris naturae dei reuerentiam ita commendare ſolebat, ut nihil ſupra. Et haec pietas fuit regina plurium virtutum.

Innumera ſunt huius viri ſpectataque decora, quae oculis etiamnum inhaerent, neque umquam animis noſtris elabentur. Amantior ſuorum, humanus in alios, certus amicus in re incerta, propenſus ad miſericordiam, liberalior in egentes, non appetens alieni, diuitiarum, quarum in belli fluctibus magnam iacturam feciſſet, tamquam fluxae ac fragilis rei, contemtor, nimium fere ſententiae Platonis confiſus, ullo modo fieri poſſe negantis, ut valde bonus ſit idem et locuples. Haud igitur mirum, philoſophum, qui

animi bona fortunis omnibus antecellere exiſtimaret, diuitem non eſſe mortuum. Rariuscule enim opes cum bona mente creuiſſe nouimus. Suum cuique tribuens, coitionum, contra alios faciendarum, oſor, potius omnes iis vias intercludens, illatas iniurias numquam ulciſens, ſed delens memoria, maleuolorum facta infecta eſſe iubens, dicta indicta inſcribens obliuioni, et omne virus acerbitatis, quod modo cumque in ſe euomeretur, quemadmodum deceat magnum recti ultoris animum, frangens virtute.

Vnde vero, dixeris, in tantis virtutibus odia? Haec, inquam, veritas pariebat, quam noſtri homines, proh dolor! ferunt aegerrime. Eſt huius ſeculi labes quaedam et macula, bonis litteris inuidere, velle barbariei tormentis munimenta verae doctrinae diruere, profeſtum ac profanum vulgus hominum, in quibus parum ſit communium litterarum, nihil quidquam politioris humanitatis, in grauiſſima ſe munia inferre atque intrudere. Iſtis ille in ſalutem reipublicae fuit aduerſiſſimus, eorumque conatibus ſe, tamquam molem, ſemper obiecit, unde partim obſcuras, partim apertas ſimultates ſuſciperet. Deinde, ut dixi, in RITTERO vigebant ſtudia aequi bonique, eratque tenax iuſti rectique propoſitum. Si quis igitur contra ius fasque niſus eſſet, pectus apertum, quod animi cogitata clauſa tenere non poterat, indignationem ſtatim efferebat, nec tempori, nec voluntati malorum, obediens; quare mirum non eſt, ob ingenuitatem, bonis propriam, ſi nonnumquam caderet in aliorum offenſionem. Difficile tamen adducebatur, ut male ſentiret de aliis, praeceptum Ciceronis ante oculos habens: ut quisque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur. Qui ſi vero malum quem deprehendiſſet, ſcapham ſcapham dicebat. Non enim obſcurus ulla ſimulatione, ſed candidus, ſimplex, verax, ut, quidquid loqueretur, iuratum putaueris, ipſum vero ſimilem Epaminondae, qui ne ioco quidem mentiretur. Quae

quum

quum ita ſint, nemo RITTERI innocentiam in dubium vocabit, niſi qui ſanctitatem in terris umquam fuiſſe negauerit.

Cuiusmodi virtutibus ſicut excelluit, ut nihil prius, ita quoque in artibus ingenuis verſatus eſt, ut nihil doctius. Celerrimos litterarum progreſſus fecerat in ſcholis, quas magiſtri e ſocietate Ieſu, ad ingenia tractanda docendasque litteras humanitatis exiſtimati idonei pueris aperuerant. Nihil autem ſibi ſalutarius obtigiſſe praedicabat, quam ſollicitam inſtitutionem Lauterbachii, Rectoris Frauſtadienſis, cuius e diſciplina Vratislauiam ſe contulit in gymnaſium, Eliſabethae dedicatum, ac per ſexennium ibi praeceptis abundauit doctiſſimorum hominum, apud quos nihil intermiſit induſtriae. Uberrimos fructus cepit ex inſtitutione Hoffmanni in elegantioribüs litteris, ad quem etiam referebat auctorem, hunc quem tenuit ad ultimum vitae halitum politioris humanitatis amorem. Audiuit Gierſchium, mathemata profitentem, Deichſelium in philoſophia morum et politica, Polium in graecis et hebraicis, Kranzium in hiſtoria, tam ſacra, quam profana et litteraria Inſtructior enim, quam ſolet vulgus, volebat ad Theologiam accedere, cuius oracula magiſtri ingenio ſcientiaque florentiſſimi, Hanccii, Teubneri, et, qui primo loco nominandi erant, Burgii, docerent.

Auocabant tamen a ſanctioribus ſtudiis acerbiſſimae contentiones, iam tum inter ipſos purioris coetus doctores efferueſcentes, imbellem adoleſcentis animum, otia quaerentis inter Muſas iungendas Gratiis et concordiam, quandoquidem ipſe, nominis auiti immemor, non niſi ob amabile pacis ſtudium militiae nomen dare detractauerat. Eluctatus per varias calamitates anno huius Seculi XXX. Lipſiam venit, animum ad legum ſcientiam adiecturus ita tamen, ut alia, quae ad elegantiorem doctrinam referantur, adiungenda exiſtimaret, prae reliquis Cortii uſus inſtitutione, quo myſtagogo in adyta Muſarum penetraret.

Tantis eruditionis opibus praeditus, quum in academiam commigraſſet, quantis pauci nunc redeunt, breui tempore mire profecit, ut, facta ſtudiorum fide, poſt biennium maximi philoſophorum honores, ac, triennio poſt, Profeſſoris extraordinarii ſibi munia deferrentur. Aderat hic noui doctoris pulpitis flos iuuenum, ex humaniſſimis politiſſimisque populis delibatus. Nam frequentiſſimos commilitonum aemulantium ſtudia coetus iam tum habuiſſe conſtat. Quo factum eſt, ut, quum in hoc magiſtro tam excellentes et ſingulares animi dotes conſpicèrentur, Vitebergam ille excitus XXXIII. aetatis anno in locum magni Hoffmanni, cuius memoriam Hiſtorici in hac litterarum Uniuerſitate nulla umquam delebit obliuio. ſufficeretur. Et hic etiam multitudo diſcipulorum optimae ſpei, in quibus eſſent ſummo loco nati adprimeque nobiles, ad eius cathedram confluxere, e quibus EINSIDELIOS, VERTHERNOSque ac FLEMINGIOS, prae ceteris nominare liceat, eademque cupiditate extremo etiam tempore tot iuuenes, ſenem, qua ſenes olim iuuenem, audierunt. Multum quippe laboris in docendo ſuſtinuit, numquam ingreſſus ſcholam animo minus praeparato, ne qua negligentia doctrinae contraheretur aliquid vitii, quod deinceps non poſſit emendari. Solebat unius ſaepe horae momento in auditorum ſinum effundere, quod longiſſimo plurium annorum ſtudio coaceruauerat. Tantum vero ſi breuitati vir exactiſſimus ubique haud inſeruiret, quantum optaretur, copiae id eruditionis adſcribendum, minime vero inani verboſitati, ſed lacteae ubertati orationis, ad quam acceſſit memoriae felicitas, quae perceptas res cuſtodia ſepſerat tam fideli, ut numquam elabi eas pateretur, commodiſſimeque ſubminiſtraret narranti. Omitto, quod in breuitatis labore nolebat obſcurus fieri, quo vitio praeceptor eloquentiae neſcit eſſe maius. Mihi dumtaxat, per quatuor annos praecepta eius hiſtorica auide imbibenti, nihil, quidquid commemoraret, viſum eſt inutile, diffuſum, vel ſupra modum exultans et luxurians. Ex hi-

Hiſtoricis multa etiam utiliter ad ius priuatum publicumque attulit, nec minus ad morum doctrinam concinna exempla adhibuit, quibus praecepta aeque declararet et illuſtraret ac probaret.

Quibus non contigit eſſe tam felicibus, ut auſcultarent dicentem, tum ex fama doctrinam eius metiantur, qua moti exteri largiſſimis conditionibus eum ad ſe allicere ſtuderent, tum, quia fama interdum mendax eſt et fallax, e ſcriptis, quorum multa vel ad iuris elegantioris capita, vel ad hiſtoriarum emendationem, a ſe edita ſunt, nonnulla de ſchedis adhuc in publicum euulgabuntur. In his omnia, cum rebus, tum perſonis, adcommodata, nihil infucati, nullis ingenii luminibus diſtincta rerum narratio, ſed nuda; quales Caeſaris commentarii laudantur in Bruto, recta et venuſta, omni ornatu orationis, tamquam veſte detracta. Multis curis et vigiliis ab eo libri maiores minoresque elaborati ſunt. Numquam enim cum iis fecit, qui ſua effundere malint, quam ſcribere. Potius, quae cum Minerua ſaepe in marmoribus antiquis conſpicitur, teſtudo, in huius etiam muſeo ad pedes videbatur collocata, quae lento quaſi greſſu procedendum in componendis litterarum monumentis quotidie moneret. Nam ſcribentis officio cum laude ſatisfacturus, ipſe difficultatem ſibi comitem adiungere, indefeſſo ſtudio prius, quam arriperet calamum, adire fontes, mira ſolertia neceſſaria ad ſcribendum ſubſidia conquirere, incredibili diligentia genuina monumenta diſcernere a ſpuriis, omnia ſecum attente cogitare ac meditari, aliorum etiam ſubiicere examini. Dicat pro teſtimonio epiſtolium, quod recens ſcriptum in pluteo moriens reliquerat. Hoc vero Dürrio noſtrati, ad nundinas Lipſienſes proficiſcenti, mandauerat, qui ſe maiorem in modum excuſaret Reichio, ſibi amiciſſimo, quod ſudantibus prelis nihil hiſtoriae, quam ſub manibus haberet, hac occaſione potuiſſet committere. Legitimis autem ſonticisque collectis cauſis, quibus purget cunctationem, concludit his verbis: *ich wollte gern in teut-*

ſchen

schen Dingen ein Hauptwerk vor die Welt liefern, damit mit Ehren sterben könnte. Quum enim caeteris partibus aetatis plausum tulisset, nolebat, extremum actum, tamquam ab inerti poëta, neglectum videri. Cuiusmodi cunctationem, historico non indignam, recte C. Plinius decoram nominat, eamdem referens inter Aristonis virtutes, cuius fere omnes in nostro singulariter admirari solebamus. Ita vero Secundus de amico suo: *Quam peritus ille priuati iuris et publici! quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. Iam quanta sermonibus eius fides! quanta auctoritas! quam pressa et decora cunctatio! Quid est, quod non statim sciat? et tamen plerumque haesitat, dubitat: diuersitate rationum, quas acri magnoque iudicio ab origine caussisque primis repetit, discernit, expendit.*

Scripta praecipua doctissimi Viri haec sunt:

1) Diss. de fetialibus populi Romani, Lipsiae, 1732. inserta thesauro dissertationum maximam partem rarissimarum, edito a M Io. Christoph. Martini T. II. P. II. p. 188. seqq.
2) Comment. Epistol. de Marcio Primo Pontifice M. et famil. Marc. ibid. 1733.
3) Diss. obseruationes criticas complectens, ibid. 1735.
4) Progr. inaug. de cognitoribus, ibid. 1735.
5) Diss de Amalasuenta Ostro-Gothorum Regina, ibid. 1735.
6) Codex Theodosianus cum perpetuis commentariis Gothofredi et obseruationibus Ritteri, Lipsiae, 1736—1743. Tomi VI. Vol. VII.
7) Progr. inaug. obseruationes historicas continens, Vitemb. 1742.

8) Dis

8) Differt. de Galla Placidia Augufta; auctore Ruhnkenio, praefide Rittero, Viteberg. 1743.

9) Differt. de falfis barbaricae philofophiae fontibus; auctore Wernero, praefide Rittero. Vitemb. 1745.

10) Progr. de hiftoria Praefecturae Praetorianae ab origine dignitatis ad Conftantinum M. ibid. 1745.

11) Difputatt. IV. de Hypatia, Philofopha Alexandrina, fpeciatim de eius caede, de eius caufis, de Cyrillo, epifc. in caufa tumultus alexandrini caedisque Hypatiae defenfo, contra Arnoldum et Tolandum, auctore M. Io. Chrift. Wernsdorf 1747. 1748.

12) Heineccii hiftoria iuris emendata, obferuationibusque aucta ftudio Ritteri, Lugduni Batau. 1748.

13) Progr. de pago Steding et Stedingis, Seculi XIII. haereticis 1751,

14) Diff. de electione Henrici VII. in regem romanorum, refp. Car. Ben. Acolutho. Vit. 1752.

15) Diff. de Cerycibus myfticis, refp. M. Henr. Aug. Zeibich. ib. 1752.

16) Diff. de ethnarcha Aretae Arabum regis Paullo Apoft. infidiante, ib. 1755.

17) Progr. ad folemnia magifterialia, de bello a Carolo Guftauo, Suecorum rege, in Polonia et Dania geftis, ib. 1757.

18) Progr. quo errores circa captiuitates Wenceslai Romanorum Bohemiaeque regis, ab hiftoricis admiffi oftenduntur, 1763.

19) Diff. de ufu fcriptorum veteris ecclefiae, diff. I—III. refp. M. Sam. Godofr. Geyfero, 1765.

20) Progr. de foro antiquo Gothor. reg. Hifpaniae, hodie Fuero Iuzgo, 1770.

21) Diff. de Polonorum maioribus, in actis Societatis Iablonouianae, de Slauis caet. 4to. Lipf. 1771. p. 203. feqq.

22) Allgemeine Weltgeschichte, ausgefertiget von Guthrie und Gray, aus den Originalschriftstellern berichtigt und verbessert von Iohann Dan. Ritter, Tomi V. P. I—III. Leipzig, 1768—1774.

Hic autem, qui, siue morum grauitatem spectemus, in maxime venerandis; siue animi sanctitatem, in probatissimis; siue doctrinam, in maximis habendus erat, vitam adeo laudabilem, valens corpore, animo ingenioque alacrior, annum agens LXVI. cum nimis repentina morte iam commutauit. Vix dum apricatus in hortulo redit in museum, de more ientaculum sumit, Decani fungitur officio, dictam in rebus academicis sententiam confirmat adiecto nomine, acta tradit Rectori perferenda, pergit ad munus Censoris, catalogum librorum, typis excudendorum, examinat, calamum intingit, nomen adpositurus, corripitur apoplexia, moritur in puncto temporis, quemadmodum Platonem inter scribendum mortuum esse ferunt. Sit ei terra leuis!

D. JO. AVG. ERNESTI THEOL. IN ACAD. Lips. Prof. Primarii etc. De Paschate Disputatiuncula.

Literis Ratisbonensibus nuper cognouimus, Regem Potentissimum Borussiae, admonitum ab Academia Berolinensi, detulisse ad Consilium Principum Germaniae Euangelicorum, anno huius Seculi duodeoctogesimo fore, ut Pascha nostrum incideret in eum diem, quo Judaei Pascha suum agerent, ut de ea re, id est, de Paschate nostro in alium diem differendo ac definiendo deliberaretur, et de more, lege Nicena instituto, decerneretur. Socii illustris il-

lius

lius Academiae, siue Mathematicorum eius aliquis, utrum id suis rationibus reperirit, an e *Io. Bernullii* Epistola ad Senatum Tigurinum didicerit, qua ei, de die Paschatis anni 1724 in comitiis Ratisbonensibus constituto consultus, respondit, et obiter monuit, eandem rationem caussae Paschatis a 1778 fore; quae tum fuerit, et quid sibi de tota illa re videretur declarauit, T. IV. Opp. p. 474. nec possumus decernere, nec refert scire. Vero simile autem nobis videtur, si eam Vir ille doctus legisset, taciturum potius, quam ad Principem delaturum rem fuisse. Nobis autem non alienum visum est a persona nostra, super hac Paschali, quae iam agitatur publice, causa, sententiam et consilium dicere, cuius rei nobis etiam quidam eruditissimi Theologi, quibuscum de ea re locuti sumus, auctores fuerunt. *Bernullius* quidem ille, rem hanc non modo Astronomici iudicii esse, dicit, sed etiam Theologos audiendos esse atque Politicos p. 494. Et ille quidem Theologorum iudicium omne ad religionis rationem refert; ex qua non tam referre, qua die sacra Paschalia fiant, quam quomodo fiant: in quo ille angustius conclusit theologicam in hac causa rationem. Nam et in hanc partem erant consulendi Theologi, quae ad historiam totius rei pertinet; sed ii, qui eam per iustam literarum graecarum latinarumque scientiam, ex ipsis fontibus Ecclesiasticorum monumentorum hausissent. Sed ii, qui tum erant, cum adhuc libri de historia Ecclesiae multos haberent errores, ab inscitia linguarum natos, in his hunc ipsum de Paschali causa? Etenim, cum serioribus seculis Clerici illud decretum Nicenum, de Paschate Christianorum non agendo eodem cum Judaeis die, ex vocabulariis puerilibus intelligerent sic, *dass die Christen das Osterfest nicht an dem Tage feyern sollten, an dem die, Juden Ostern halten*, et causam illius decreti veram ignorantes, in odio Christianorum erga Judaeos quaererent, inde omnes libros haec opinio peruagata est, ut Christianis non licere putaretur, Pascha suum eodem cum Judaeis die agere. At-

que hinc orta est ea, quae ad hanc diem mansit consuetudo, ut in definiendo Paschatis Christiani die, si deprehensum esset rationibus astronomicis, eum incidere in diem Paschalem Judaeorum, solemnia nostra Paschalia differrentur in proximam Dominicam diem. Sed illam interpretationem decreti Niceni esse falsam atque ridiculam, hoc nostro seculo demum a nonnullis viris doctis est animaduersum, atque etiam ita demonstratum, ut nihil contra dici possit. Superiori quidem iam seculo errorem videtur vidisse *Joach. Hildebrandus*, Helmstadiensis Theologus, rerum ille historicarum studiosissimus, et notasse in *Enchiridio de priscae Ecclesiae sacris publicis* etc. sed sine effectu. Diligentius rem explicauit et demonstrauit *Daniel*, Francogallus, Vir Celeb. in libello *de disciplina Quartodecimanorum in celebrando Paschate* T. III. opp. 473. s. cuius rei notitia ad Germanos quosdam venit, *Heumannum* et *Moshemium*, ex Ephemeridibus, opinor, literariis, nam ille quidem non ipsum a se lectum libellum fatetur, sed ita, ut rem diligentius excuterent, et *Danielem* verum vidisse agnoscerent, ille in Programmate Paschali super hac re scripto, hic in Comment. de rebus Christ. ante Constantini M. tempora p. 439. quos deinde et alii secuti sunt, *Walchius* V. S. R. in historia Controuersiarum, P. I. et nuperrime *Schroekius*, V. C in Hist. Eccles. P. III. p. 51. Sed age totam rem breuiter et ad consilium nostrum accommodate exponamus.

Pascha proprie dictum est beneficium a Deo Israelitis in Aegypto tributum, cum ille perdens una nocte omnes Aegyptiorum primogenitos, Israeliticos intactos reliquit, et aedes Israelitarum, in quibus, ex eius praecepto, agnus mactatus et consumtus coena esset, et quarum ianuae sanguine illius agni essent respersae, veluti *transisset*. Usus deinde loquendi, ut fit, mutauit primam illam significationem, et id verbum de ipso agno, et conuiuio ex eius carne facto, denique die, quo agnus mactaretur et comederetur, dictum est; dum fierent formae loquendi ad exprimenda

ea,

ea, quae in memoriam illius tanti beneficii fierent, ut *facere pascha, mactare pascha*, in quibus similibusque formis intelligebant *propter*, ut Graeci cum dicunt v. c. θύειν γάμον, *sacrificium facere nuptiarum caussa.* Nec alio sensu verbum *pascha* in libris sacris dicitur, aut, quod nos quidem animaduerterimus, in libris graecorum et latinorum Ecclesiae scriptorum ante Nicenum Concilium. Postea, serius quidem, coepit etiam dici nostro more, de die memoriae reuersi in vitam Jesu Christi sacro; non, ut vulgo existimarunt, quod reditu Christi in vitam nobis securitas a pernicie parta esset, sed quod eo die, ut apud Judaeos, agnus coena consumeretur. Etenim, etsi Christiani non ignorabant, ritum illum Judaeorum, sicut alios, circumcisionem, victimas animalium, non necessario seruari, sed sine noxa omitti posse: tamen putarunt eum commode et utiliter seruari posse ad colendam memoriam ultimi illius conuiuii paschalis, quod Jesus cum discipulis suis amantissime fecisset, instituto etiam saluberrimo Eucharistiae sacramento, et illud ipsum sacramentum usurpandum: unde illa ipsa *coena* a latinis *dominica* coepit dici; cuius generis exempla nos reperimus; isque mos etiam diu post Nicenum Concilium durauit. Et quia Jesus illam coenam tempore Judaeis praefinito sumserat, eandem illi diem seruandam in hac coena putabant, quod id ad acuendum memoriae illius sensum valere posset. Post de die quidem, quo illa coena agenda esset, coeperunt variare Christiani, aliis illum diem seruantibus, aliis deserentibus, et rem ad sequentes dies, imprimisque diem Dominicam proximam transferentibus: unde controuersia orta, leniter illa primum, post vehementer agitata; cum essent, qui nullo modo probari posse dicerent, eam coenam cum Judaeis, siue eo, quo Judaei solerent, die fieri. Caussa autem illius dissidii non erat in odio Judaeorum, ut vulgo existimauere recentiores, sed in ieiunio solemni, quod eo die et proximis ante diem Dominicam agebatur ex instituto ecclesiastico, et illa coena tolli, nefas putabant, eius-

que seruandi caussa eam in diem Dominicam, laetam illam ex reditu Jesu Christi in vitam, transferri debere. Atque in hanc partem decreuit Nicenum Concilium. Ex quo etiam factum est, ut Graeci post πάσχα duplex facerent, σαυρώσιμον, quod esset idem Judaicum, die quo Christi passio coeperit, alterum ἀναςάσιμον, quod die tertio post fieret, quo Christus in vitam redisset. Atque hinc omnis illa confusio orta est, postquam mos conuiuii prisco more faciendi sublatus, diesque ille uni Jesu in vitam reuersi memoriae celebrandae destinatus esset: estque perspicuum, illam Nicenam legem de Paschate Christianorum non celebrando ea die qua Judaicum fit, ad nos nihil pertinere, frustraque in hoc laborari, ut rationibus astronomicis accurate subducendis reperiatur, an Pascha nostrum, quod proxima a primo post aequinoctium vernum plenilunio die Solis agere solemus, incidat in diem Paschatis Judaici: qui labor, si mos receptus manserit, hoc seculo repetendus erit, anno 94. praesertim cum omni illo labore raro aut nunquam aliquid certi reperiatur, atque adeo, ut bene is, quem supra laudauimus, *Bernullius* demonstrauit, incommoda quaedam non parua oriri possint.

Quid igitur ex his fit, quid faciendum videtur? Scilicet optandum est atque suadendum, ut Principes Ecclesiarum Protestantium in Germania, hac re cognita, superiorum temporum morem in Paschali causa decernendi relinquant, et consilium *Bernullii* sequantur, qui auctor fuit, ut potius aliqua dies Dominica vernalis definiretur, qua semper Pascha fieret, atque inde totus annus ecclesiasticus ordinaretur: quam ego quidem quartam aut quintam decimam esse velim. Huius consilii plures causas probabiles videor mihi habere. Nam primum, quis non videt, esse dignitatis tum Principum, tum Ecclesiae nostrae, eam labem, quam Ecclesia nostra ex illa consuetudine Paschatos nostri differendi, vbi cum Judaico concurrit, suscepit, deleri atque elui. Neque enim ullo modo dignum atque honestum est Ecclesiae ne-

nostrae, seruari ab ea, quod totum ab ignorantia graui ac prope ridicula natum est. Aliquoties accidit mihi, ut eum, in historia Ecclesiastica tradenda, illam causam explicarem, et unde consuetudo nostra Paschatos differendi, cum in Pascha Judaicum incideret, orta esset, docerem, iuuenes riderent.

Quod si dignitatis ratio non valet, quae vel maxime debet valere: at utilitatis variae ratio valeat. Nam illud nostrum vel *Bernullii* consilium, tum mercaturae exercendae rationibus opportunum est, tum etiam ipsarum, quae nobis maxime curae sunt, literarum studiis. Et mercaturae quidem opportunitas existet ex eo, quod ita mercatus plures et illustres, quorum tempora definiuntur Paschate, facilius et commodius poterunt a mercatoribus adiri, et amoenius tum itinera fieri, tum ipsi mercatus dies transigi. Quid vero? Academicis rationibus non admodum opportuna res erit? Etenim, quoniam annus Academicus fere a Paschate initium capit, et cum eo in orbem redit, eoque tempore maxime iuuenes vel petunt Academias, vel exacto studiorum cursu relinquunt; facile intelligitur, itinera iis commodiora fore, et deinde cum his, qui in Academiis discunt, tum doctoribus, commodiorem anni descriptionem futuram, ad lectionum modum, ne ille quadrans anni, qui Paschate finitur, aut breuior iusto sit, aut longior: quorum illud solet festinationem in docendo afferre iis, qui disciplinam, quam tradunt, absoluere cum Paschate volunt, aut ex legibus debent: quod est sane malum academicum non leue, et vel sic valde hodie in Academiis usitatum: hoc autem aestiuum curriculum breuius facit, unde eadem incommoda nascuntur.

Ceterum haec disputatiuncula cum doceat, quam necessaria sit Theologis accurrata scientia linguarum, ne in errores ridiculos incidant, et controuersias inanes, et tamen noxias, moueant, utque his iudicandis et accurate discutiendis ido-

idonei ſint, non aliena nobis a tempore praeſenti viſa eſt.

MEMOIRES CRITIQUES ET HISTORIQUES ſur pluſieurs points d'Antiquités militaires, par CHARLES GUICHARD, nommé QVINTVS ICILIVS, Colonel d'Infanterie aux Service du Roi de Pruſſe etc. enrichi de beaucoup de figures.

A Berlin chez Haude et Spener, MDCCLXXIV.

Quamquam inter omnes, qui artem militarem callent, nec vulgari modo didicerunt, probe conſtat, multos fortiter pugnaſſe, et res maximas geſſiſſe, qui plane antiquam rationem ignoraſſent: tamen experientia edoctiſumus. notitiam rei militaris antiquae multum hodiernae profuiſſe, ideoque hoc ſtudium ab omnibus, qui longius ea in re velint progredi, libentiſſime et diligentiſſime tractari debere et ſolere Sed relinquamus paululum utilitatem, ſpectemusque potius ſuauitatem, quam largiter ſuppeditat omnibus qui quaerunt; quorum multi inprimis in Gallia reperiuntur, ubi nomen Caeſaris, Hannibalis, et talium, ubique reſonat, et ubi de rebus geſtis pugnae Pharſalicae tempore plus loquuntur. quam de aetatis noſtrae factis. In his enarrandis comparandisve veterum et recentiorum armis, eorumque modo ea geſtandi et tractandi, ſummam capiunt voluptatem ac ſuauitatem. Hinc prodiere ſcriptores, qui in eo elaborant, ut huius ſtudii et utilitatis et ſuauitatis concentum demonſtrent. Horum numero merito *Quintum Icilium* adſcribimus, eumque fortaſſe primo loco collocare fas eſt. Nam eum rei militaris methodum antiquiorem atqueac recentiorem perſpectam habuiſſe, ex toto Libro patet. De eo valet dictum Ciceronis:

Nulla

Nulla eſt res in uſu militari poſita, quae huius viri ſcientiam fugiat.

Statim ab initio huius Operis, in Praefatione, Auctor demonſtrat, artem militarem, ut ita dicamus, nouam, haud dubie reſpe ille veterem rationem. Sed ſapienter Auctor huius rei peritiſſimus ſimul monet, Europaeos in hoc genere longius progreſſos eſſe, ſaepius de emendatione cogitaſſe, ſenſim aptiorem reddidiſſe, donec inuenirent modum illum, quem Graeci vocant τακτικήν. Haec autem longe diſcrepat ab illa Graecorum, quam Arrianus, Aelianus, et alii, nobis reliquerunt, ob noſtram longe diuerſam armaturam. Fruſtra igitur Folardus, eiusque aſſeclae, nimis extollunt adhuc illam antiquam rationem. Vnusquisque enim, qui non plane huius rei imperitus eſt, fatetur, et fateri debet, multo maiorem cautionem hodie, quam antiquioribus illis temporibus, adhibendam eſſe, ſi quis alicui exercitui bene praeeſſe velit.

Tractatio ipſa abſoluitur IV. partibus: his, in minores Sectiones diuiſis, adiecit Auctor peritiſſimus obſeruationes quasdam, quae omnino, ob earum nouitatem, et ἀκρίβειαν ſunt memorabiles. Plerique huius rei ſcriptores fere ſemper nimis amant antiquitatem, et inde quicquid eam ſapit ſummis laudibus, ſaepiſſime ſine cauſa, extollunt. Sed Auctor noſter, ab omni partium ſtudio liber, omnia, quae profert, grauiſſimis argumentis firmare, et in coniecturis proferendis omnem adhibere modeſtiam ſolet.

In prioribus duabus huius Operis partibus de expeditione Jul. Caeſaris contra Afranem et Petreium, qui a parte Pompeii militabant, differit, eamque bene explicat, atque notis lectu digniſſimis illuſtrat. Afferemus quasdam, pace tua Lector doctiſſime, obſeruationes. Ponimus primo loco

quintam sectionis secundae, quae est de veterum pontibus eorumrumque exstructione. Nec tamen, ait Auctor, in ipsis Legionibus tot erant fabri, ut haec omnia perficere possent, sed milites ipsi longo usu hoc opus didicerant, licet aliqui tamen fabri admixti iis fuerint, quibus fabrorum Praefectus praeerat. Quod vero ad materiam attinet, eam ex finitimis locis aduehebant. Vegetius quidem mentionem facit nauicularum, quas secum portarint; quod quidem ex parte concedi potest; sed tamen hoc non semper factum esse, certo scimus. Usi quidem iis sunt tam Graeci quam Romani, sed eas statim suo loco exstruebant. Rem vero sic se apud veteres habuisse, peritissimus Auctor, locis e Scriptoribus antiquis, inprimis e Suida et Arriano, allatis, quae hanc sententiam plane confirmant, probat. Nimirum in hunc modum usos fuisse nauiculis, ut in prora corbem e viminibus factam, lapidibusque oppletam, affigerent, quae instar anchorae esset. Nauiculis hoc modo comparatis, eas inuicem tignis connectere, hisque (trabibus) tabulata iniicere, atque ab utroque latere fulcimentum erigere, solebant.

Jam accedimus ad obseruationem X. huius Sectionis, in qua explicatur, quae fuerit ratio agminis militaris (apud milites) instituendi atque itineris faciendi. Haec antiquitatis rei militaris pars fere semper negligitur, saltem non satis accurate tractatur ab huius generis scriptoribus. Nam haec res magnis laborat difficultatibus, requiritque multum iudicii et cognitionis. Habemus quidem superstites Polybii huius argumenti Libros, reliqui tamen prope omnes periere. Auctore Polybio, agmine in unam aut tres partes diuiso iter faciebant. Hinc auctor non inepte iudicat, illum modum respexisse aciem eam, in qua Legiones secundum cohortes; hunc vero illam, in qua Legiones pro diuersis classibus, ad quas pertinebant, secundum manipulos in acie triplici collocarentur. Sic primum ordinem constituit agmen

Ha-

Haſtariorum, ſecundum autem agmen Primipilorum, tertium Triariorum.

Equitatus vero, quod Reipublicae temporibus minus eſſet numeroſus, non ſingulare agmen in itinere conſtituebat. Sed equites partim in prima et nouiſſima erant parte, partim impedimenta defendebant. Reſtant adhuc dicti Velites, quibus haud dubie apud veteres non fuit certus locus. Auctor arbitratur, eos in itineribus aut frontem agminis cuſtodiuiſſe, aut a latere fuiſſe. Porro iſtos extra caſtrorum fines habitaſſe, dubio caret. Hacetiam in re libenter nos ſubſcribimus Auctoris ſententiae. Circa Reipublicae Rom. finem, Legiones non amplius in varias claſſes diuidebantur, exercitus tantum ſecundum cohortes collocabantur, ita ut Legiones, ex opinione Auctoris, in hunc modum educerentur: Haſtarii, Principes et Triarii ſeſe inuicem excipientes in ordines ibant. Per hanc occaſionem Auctor demonſtrat, quantum militum numerum ſingulis ordinibus Romani aſſignauerint. Cohors conſtabat tribus manipulis; in manipulo autem Haſtariorum aut Principum quocunque CXX. Triariorum contra nonniſi LX. numerabantur. Haec tamen exercitus conſtitutio nullo modo regulas Tacticae, uſu tritas, et experientia ſpectatas, ſuſtulit. Imo Jul. Caeſaris temporibus caſtra, quoad interna et externa, cum figura et ſitu, tum diſciplina, tantum in rebus minutis a tempore Polybii differebant. Tandem Auctor in hac obſeruatione phraſes quaſdam, e re militari ductas, v. c. triplicem aciem ducere, triplici acie inſtructa ad locum venire, quadratum agmen, et talia, explicauit atque egregie illuſtrauit.

In obſeruatione IV. Sectionis tertiae Auctor loquitur de exercitus ducibus, modoque, quo ad altiores dignitatis gradus eſcenderent, donec peruenirent ad ſummum faſtigium in militia.

Ab initio Reipublicae, ait A. erant Centuriae LX. in una Legione, quarum vero numerus non semper fuit certus. His igitur Centuriis sexaginta praeerant Centuriones, qui omnes eo tendebant, ut ad Primipilatum eueherentur, qui summus gradus esset. Antequam vero aliuis eo perueniret, per LX. gradus ascendendum, nec esse erat. Nam paucis tantum, ei extra ordinem Primipilatum acciperent, contigit. Igitur Auctor, afferendis ex Caesare aliisque Scriptoribus exemplis, demonstrat, hanc ascensionem ita factam, ut Centuriae II. Manipuli X. Hastariorum Centurio, qui erat ultimi gradus, in gradu Centurionis X. Centuriae Primipilorum, tunc in gradu Centurionis X. Centuriae Triariorum collocaretur. Postea IX. Centuriae Hastariorum, Primipilorum, Triariorum adscribebantur: sic reliquis gradibus omnibus superatis, perueniebant tandem ad summum honorem in militia.

Quod ad Centurias vero attinet, II. faciunt Manipulum, qui sic collocari solebant: Manipuli Hastariorum tenuere primum locum, Primipilorum secundum, Triariorum denique tertium. Sic Manipuli, qui starent a dextra ala Legionis principatum tenebant, atque adeo eorum Centuriones dicebantur primi, et tunc descendere usque ad X. Manipuli Centurionem. Hinc communi nomine Manipuli appellati sunt Ordines. Propterea primus Manipulus Hastariorum, Primipilorum, Triariorum, dicebatur primus Ordo Hastatorum etc. hinc etiam venit Centurio primi Hastati, seu primus Hastatus; primus Princeps Porro Manipuli secundi duces dicebantur Centuriones secundi, tertii etc Hastati, Principis etc. Centuriones inprimis Triariorum primi Manipuli nominabantur Centuriones primipili, vel simpliciter Primipili.

Hic ordo modusue ad altiores honoris gradus semper est seruatus, etiam tum, cum milites in Cohortes diuiderentur.

tur. Nam Cohortes ſuccedebant in locum Manipulorum; (Cohors enim ex III. Manipulis cuiusuis generis, addito nempe Manipulo Velitum componebatur.) Igitur Centuriones decimae Cohortis, gradibus in hac omnibus ſuperatis, transiebant ad reliquas Cohortes antequam primae Cohortis Centuriones fierent.

In Obſeruatione XIV. Sectionis VI. agitur de Tribunis. Probe Auctor animaduertit, hunc honorem proprie non ad Legionem, ſed potius, inprimis quoad diſciplinam, ad VI. illos Centuriones primae Cohortis pertinere, qui erant illi II. Primi pili, II. Primi principes, et II. Primi haſtati, hi omnes omnino disciplinae partes curabant. Tempore quidem Reipublicae non ſingulis Cohortibus, ſed toti Legioni praeerant. Munus autem eorum erat: Jus dicere, militum lites componere, a militibus recens conſcriptis iusiurandum accipere, ſignum excubiis ab imperatore acceptum reliquis tradere, caſtrorum ſecuritatem atque diſciplinam curare, curam aegrotorum gerere et ſic porro.

Temporibus Polybii hoc munere non niſi viri peritiſſimi, qui et ipſi exercitum aliquoties in expeditionem eduxerant, fungebantur. Poſtea vero ea res, in gratiam iuuentutis Romanae, eſt mutata. Quia ſcilicet nullus ad dignitatem Senatus adſpirare poterat, niſi antea quibusdam expeditionibus interfuiſſet, conſtituerunt ordinem quendam in quo iuuenes artem militarem ediſcere poſſent, atque adeo ſemper felicis aut infelicis exitus participes fierent. Nam Romani ad Conſules imperium deferre ſolebant. In numero autem Tribunorum erant partim qui Conſulem aut Praetorem comitabantur, partim qui populi uniuerſi aut Imperatorum gratia eligerentur. Hi Rutili, et poſtea Rufuli, illi Comitiati dicebantur.

Haç re ſibi viam ad cuiusuis generis honores muniuerunt, atque ea ſpe freti, ſumma cum voluptate alacritateque rebus bellicis operam dederunt, ad magnam usque perfectionem, indefeſſum ſtudium, et ingentem placendi cupiditatem, breui tempore perduxerunt. Hac ratione plerique Imperatores romani uſi ſunt. Eos enim vulgaris militis officium quidem calluiſſe, minus tamen de eo ſollicitos fuiſſe, imo ad rei militaris ſcientiam pertinere res longe grauiores putaſſe, valde probabile videtur.

Lectione obſeruationis I. Sectionis IV. de impedimentis exercitus romani magnopere delectati ſumus. Exercitus enim ille demum dicitur bene comparatus et inſtructus, qui caret rebus omnibus, quae ad bellum non ſunt uſui. Hoc vel maxime militum romanorum leges ſpectabant, quamquam non raro eas violarent propttereaque poenas luerent. Attamen tenendum eſt, exercitum Romanorum non omnibus omnino curribus caruiſſe. Nam Imperatorum temporibus inſtrumenta bellica ſeu machinae bellicae adhibebantur, quae etſi ſuo demum loco aedificarentur, tamen opus erat materia, v. c. ferro, ligno, funibus, et ſimilibus; ad haec adhenda haud dubie adhibuerunt currus. Iſtorum vero numerum non nimis auctum fuiſſe patet inde, quia, quod ad alimenta attinet, miles romanus ſuam portionem, plerumque dimidiati menſis, ipſe portabat, quod vero ad arma, ea ſibi ipſe comparabat, his vero amiſſis aut fractis alia ex armamentario accipiebat. Eo conſilio quaeuis Legio quosdam a tergo habebat currus, ad quos miles, ſimulac ſine periculo ab honeſte fieri poſſet, teli petendi cauſa, curſitabat.

Pergimus ad partem alteram huius Operis, quae res geſtas Caeſaris in Hiſpania aduerſus Luſitanos aliosque populos ſpectat. Dionem Caſſium, Plutarchum, Appianum, et alios, Auctor fundamenti loco poſuit, indeque hiſtoriam huius

huius belli valde accuratam et perfectam nobis tradidit. Jure meritoque institutum Auctoris magni facimus, quia bellum hoc, quamuis iniustum, ratione Caesaris maxime memorabile est.

Ad hanc quoque partem obseruationes magni sunt pretii, atque Auctoris laudem augent. Omissis aliis valde delectati sumus Xma, quae de veterum Tabulis geographicis, earumque usu agit. Auctor, locis quibusdam Scriptorum veterum admonitus, hanc artem iam Graecos et Romanos, quamquam imperfectiorem, tenuisse putat. Fortasse plures eius hac in re sententiae fauent.

In parte tertia, et quidem ab initio, quasdam de Caesaris exercitu, eiusque Legionibus, obseruationes criticas et historicas legimus. Quae Sectio VIII. segmentis, quibus A. obseruationes adspersit non inutiles, constat. Hanc partem quam diligentissime Auctor elaborauit, ita ut non dubitemus, quin claram afferat lucem locis non paucis Scriptorum antiquorum obscurissimis.

Has obseruationes excipit Tractatio quaedam chronologica Calendarii Romani, cui annexa est tabula, quae res maxime memorabiles per IV. annos ante Calendarii emendationem continet. Circa finem partis tertiae Auctor loca quaedam e Julii Africani Libro, qui Κεςοὶ (Cesti) inscribitur, in linguam suam vernaculam transtulit.

Pars tandem ultima aduersus Dom. de *Lo-Lobz* scripta est, qui in Libro suo, gallice, sub titulo *Recherches d'Antiquités militaires* scripto, Auctorem nostrum vitia quaedam commisisse putat, in Libro illo qui titulum habet *Memoires militaires sur les Grecs et Romains etc.* Loca illa, quae Lo-Looz excitat, recognouit noster, et nouis grauissimisque argu-

gu-

argumentis ſuam ſententiam contra aduerſarium ſtabiliuit ac defendit. Per eam occaſionem acerbitatem hominis, atque ignorantiam paene puerilem in rebus iis, quas oppugnat, multo ſale perfricuit; poteruntque ex hac libri parte ſapere omnes ii, qui, quod laudibus alienis inuident, ſuis, per calumnias aliorum, conſultum eunt. Profecto verum eſt vetus verbum, ſummum eſſe in ignorantia, opinionem ſcientiae. Haec ſufficiant de Opere egregio *Guiſcardi*, quem cito nimis litterariae reipublicae ereptum, ex animo lugemus.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Novembris Anno MDCCLXXIII.

REDVCTIO QVARVNDAM AEQVATIONVM Differentialium Secundi Gradus, Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO de TVSCHIS a FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogalliensi.

Problema I.

Quaeritur Integrale Aequationis (1), ubi z Functionem y, vel x, cum Constantibus denotat; Littera c quemcunque Coefficientem positiuum, vel negatiuum; Litterae k, m, et n, quemcunque Exponentem, atque etiam zero; exceptan, quae ulterius nunquam esse potest unitati positiuae aequalis

$$(1)\quad \frac{z^k\, y^m d\, y^n}{d x^n} = \frac{c\, d d x}{d x^2} - \frac{c\, d d y}{d y d x} + \frac{c\, d y}{y d x}$$

Solutio.

Fingatur, quod sequens aequatio, in qua quantitas h est coefficiens constans, sed indeterminatus, Litterae vero l, r, t, u denotant exponentes similiter indeterminati; C constans addenda,

(2) $S.\, z^l\, y^r\, dy = \frac{h\, dy^t}{y^u\, dx^t} + c$

Sit Integrale praecedentis,
Haec differentiata exhibet

$$z^l\, y^r\, dy = \frac{h\, t\, dy^{t-1}\, ddy}{y^u\, dx^t} - \frac{h\, t\, dy^t\, ddx}{y^u\, dx^{t+1}} - \frac{h\, u\, dy^{t+1}}{y^{u+1}\, dx^t}$$

et ducendo in $\frac{y^u\, dx^{t-1}}{dy^t}$

(3) $z^l\, y^{r+u} \frac{dy^{1-t}}{dx^{1-t}} = \frac{h\, t\, ddy}{dy\, dx} - \frac{h\, t\, ddx}{dx^2} - \frac{h\, u\, dy}{y\, dx}$

Si huius aequationis Pars prima cum primo aequationis (1) membro conferatur, inuenietur $l = k$; $1 - t = n$; id est, $1 - n = t$; $r + u = m$, hoc est, $r = m - u$. Instituatur modo comparatio inter terminos sibi respondentes secundae Partis utriusque aequationis, eritque $h = -\frac{c}{t} = \frac{c}{n-1}$; $-u = \frac{c}{h} = n - 1$; ideoque $r = m - u = m + n - 1$.

Factis igitur substitutionibus in aequatione (3) eadem euadet aequatio (1), consequenter eius Integrale erit aequatio (2). hoc est,

(4) $S.\, z^k\, y^{m+n-1}\, dy = \frac{c}{n-1} \cdot \frac{dy^{n-1}}{y^{1-n}\, dx^{n-1}} + c$. Q. E. I.

Exempla; I.

Sit aequatio

(5) $dx^2 + dy^2 = y\, ddy$

Disponatur hoc pacto

d x

$\frac{dx}{ydy} = \frac{ddy}{dxdy} - \frac{dy}{ydx}$, si comparetur cum aequatione, in ue nietur $k = 0$; $m = -1$; $n = -1$; $c = -1$; ergo per aequationem (3) Integrale precedentis aequationis erit $S. \frac{dy}{y^3} = \frac{dy^2}{2y^2dx^2} + c$, hoc est $-\frac{1}{2y^2} - c = \frac{dy^2}{2y^2dx^2}$, et tandem

$$dx = \frac{dy}{\sqrt{-1 - 2cy^2}}$$

II.

Sit aequatio

(6) $Y = \frac{dx^2 + dy^2 - yddy}{y^3dx^2}$, quae sumat hanc formam $\frac{(Yy^3 - 1)dx}{y} = -\frac{ddy}{dy} + \frac{dy}{dx\,dy}$, collataque cum aequatione (1) erit $z^k = (Yy^3 - 1)$; $m = -1$; $n = 1$; $c = 1$; ideoque per aequationem (4) eiusdem aequationis Integrale erit $S. \frac{(Yy^3 - 1)dy}{y^3} = -\frac{1dy^2}{2y^2dx^2} + c$; sed $S. \frac{(Yy^3 - 1)dy}{y^3} = S.\ Ydy + \frac{1}{2y^2}$, ergo $S.Ydy = -\frac{1}{2y^2} - \frac{dy^2}{2y^2dx^2} + C$, et $2dx^2 S.\ Ydy = -dx^2 - dy^2 + 2y^2Cdx^2$, hoc est $dy^2 = dx^2(2Cy^2 - 1 - 2y^2 S.\ Ydy)$, et tandem $\frac{dy}{\sqrt{2Cy^2 - 1 - 2y^2 S.Ydy}} = dx$

III.

Proponatur aequatio

(7) $AY^g dx^p dy^{2-p} + y^q dy^2 = y^f ddy$ in qua A denotat quemcunque Coefficientem, Y quamlibet functionem y, et constantium.

Reducatur ad sequentem formam $\frac{A\, Y^g\, d\, y^{1-p}}{y^f\, d\, x^{1-p}} = \frac{d\, d\, y}{d\, x\, d\, y} - y^q - \frac{f\, d\, y}{d\, x}$. Facta, ut superius, Terminorum collatione, erit $Z^k = A\, Y^q$; $f = -m$; $1 - p = n$; $c = -1$, et $f - q = 1$. Ut ergo integrari possit per nostram methodum aequatio praecedens, oportet, ut $q = f - 1$, et in hoc casu per aequationem (4) illius Integrale erit $S. \frac{A\, Y^g\, d\, y}{y^{f+p}} = \frac{1\, d\, y^p}{p\, y^p\, d\, x^p} + C.$

IV.

Sit Aequatio

(8) $+ d\, x^2 + y\, d\, d\, y = d\, y^2 + 2\, y^2\, d\, x^2$ Erit transponendo $(4 - 2\, y^2)\, d\, x^2 = d\, y^2 - y\, d\, d\, y$, et ducendo in $\frac{1}{y\, d\, x\, d\, y}$; $\frac{(4 - 2\, y^2)}{y}\frac{d\, x}{d\, y} = \frac{d\, y}{y\, d\, x} - \frac{d\, d\, y}{d\, y\, d\, x}$ factaque de more terminorum comparatione, obtinebitur $Z^k = \frac{(4 - 2\, y^2)}{y}$; $m = -1$; $n = -1$; $c = 1$; consequenter per aequationem (4) praecedentis aequationis, Integrale erit $S. \frac{(4 - 2\, y^2)\, d\, y}{y^3} = \frac{-1}{2\, y^2} \times \frac{d\, y^2}{d\, x^2} + c$, sed $S. \frac{(4 - 2\, y^2)\, d\, y}{y^3} = \frac{-2}{y^2} + L. \frac{1}{y^2}$; Ideoque $\frac{-2}{y^2} + L. \frac{1}{y^2} = \frac{-1}{2\, y^2} \times \frac{d\, y^2}{d\, x^2} + C$, et $d\, x^2\, (-4 + 2\, y^2\, L. \frac{1}{y^2} - 2\, y^2\, C)^2 = -d\, y$, et tandem $d\, x = \frac{d\, y}{\sqrt{4 - 2\, y^2\, S. \frac{1}{y^2} + 2\, y^2\, C}}$

V.

V.

Sit aequatio $Y = \frac{dx^2 y ddy}{y^3 dx^2}$, siue $\frac{(Yy^3 - 1)dx}{ydy} = -\frac{ddy}{dxdy}$. Haec comparata cum aequatione (1) dabit $z^k = Yy^3 - 1$; $m = -1$; $n = -1$; $c = 1$; ideoque per aequationem (4) eius Integrale erit $S. \frac{(Yy^3 - 1)dy}{y^3} = -\frac{dy^2}{2y^2 dx^2} + c$; sed $S. \frac{(Yy^3 - 1)dy}{y^3} = S. Ydy + \frac{1}{2y^2} + A$; ideoque $S. Ydy = -\frac{1}{2y^2} - \frac{1\,dy^2}{2y^2 dx^2} + B$

Problema II.

Quaeritur Integratio sequentis aequationis (1), ubi Littera X denotat quamcunque Functionem x, et Constantium; Litterae a, c, quemcunque numerum integrum, siue fractum, positiuum, et negatiuum, et a etiam zero; m, n, L, significant quemcunque exponentem, et quoque zero, excepta n

(1) $\frac{X y^L dy^n}{x^m dx^n} = \frac{a}{x} + \frac{cddx}{dx^2} - \frac{cddy}{dydx} - \frac{cLdy}{nydx}$

Solutio.

Fingamus, quod praecedentis aequationis Integrale sit Aequatio (2)

(2) $S.\ X x^r dx = \frac{f x^t dx^s}{y^u b y^s} + c$

In qua quantitas f est coefficiens constans, sed indeterminatus; per litteras vero r, s, t, u, exponentes pariter indeterminati designantur.

 Dif-

Differentietur aequatio (2), eritque $X x^r dx = \frac{f t x^{t-1} dx^{s+1}}{y^u dy^s} + \frac{f s x^t dx^{s-1} ddx}{y^u dy^s}$

$$\left\{ \begin{array}{l} - \frac{f u x^t y^{u-1} dx^s dy^{s+1}}{y^{2u} dy^{2s}} \\ - \frac{s f x^t y^u dx^s dy^{s-1} ddy}{y^{2u} dy^{2s}} \end{array} \right.$$

et multiplicando per $\frac{y^u dy^s}{x^t dx^{s+1}}$

$$(3)\ \frac{X y^u dy^s}{x^{t-r} dx^s} = \frac{ft}{x} + \frac{fs\,ddx}{dx^2} - \frac{fs\,ddy}{dy\,X\,dx} - \frac{fu\,dy}{y\,dx}$$

Comparetur huius aequationis pars prima, cum aequationis (2) primo membro, eritque $s = n$; $u = L$; $t - r = m$, hoc est $t = m + r$

Nunc instituatur comparatio inter terminos, qui sibi respondent, secundae Partis utriusque aequationis et obtinebitur $t = \frac{a}{f}$; modo vidimus $t = m + r$, ergo $r = \frac{a}{f} - m$; similiter inuenietur $f n = c$, ideoque $f = \frac{c}{n}$, et $r = \frac{na - mc}{c}$; ulterius $u = \frac{c L}{n f} = L$. Factis igitur surrogationibus, aequatio (3) immutabitur in aequationem (1), consequenter eius Integrale erit aequatio (2), nempe

$$(4)\ S.\,X x^{\frac{na-mc}{c}} dx = \frac{c x^{\frac{na}{c}} dx^n}{n y^L dy^n} + c$$

quae dispositia debit

$$y^{\frac{L}{n}} dy = \frac{c^{\frac{1}{n}} x^{\frac{a}{c}} dx}{\left(S.\,X x^{\frac{na-mc}{c}} dx - c\right)^{\frac{1}{n}}} \qquad \text{Q. E. I.}$$

Exem-

Exempla I.

Sit Aequatio

(5) $y^{r+5}\,dx^2\,(1+x^2)^{\frac{r-1}{2}} = 2\,B\,y\,ddy - 4B\,dy$

in qua B eſt Coefficiens Conſtans. Disponatur ſequenti pacto

(6) $\frac{1}{2}\,y^{r+4}\,(1+x^2)^{\frac{r-1}{2}}\,\frac{dx}{dy} = \frac{B\,ddy}{dy\times dx} - \frac{2\,B\,dy}{y\,dx}$

Facta collatione huius aequationis terminorum cum aequationis (1) terminis, inuenietur $m = 0$; $a = 0$; $X = (1+x^2)^{\frac{r-1}{2}}$ $L = r + 4$; $B = -c$; $n = -1$; $-2B = -\frac{c}{n}L = -BL$; ergo $L = 2$; ſed modo vidimus $L = r + 4$; ergo $2 = r + 4$; hoc eſt, $r = -2$. Patet igitur, ut per hanc methodum integrari poſſit aequatio (5), neceſſe eſſe, ut $r = -2$; atque aequatio (6) euadat $\frac{1}{2}\,y^2\,(1+x^2)^{-\frac{3}{2}}\,\frac{dx}{dy} = \frac{B\,ddy}{dy\times dx} - \frac{2\,B\,dy}{y\,dx}$, eiusque Integrale per aequationem (4) erit $\frac{1}{2}\,S.\,(1+x^2)^{-\frac{3}{2}}\,dx = -\frac{B\,dy}{y^2\,dx} + c$ quae perfecte integratur, nam $S.\,\frac{dx}{(1+x^2)^{\frac{3}{2}}} = \frac{x}{\sqrt{1+x^2}}$; ideoque $\frac{x}{2\sqrt{1+x^2}} = -\frac{B\,dy}{y^2\,dx} + c$, et ducendo in dx $\frac{x\,dx}{2\sqrt{1+x^2}} = -\frac{B\,dy}{y^2} + c\,dx$, et rurſus integrando $\frac{1}{2}\sqrt{1+x^2} = \frac{B}{y} + Cx + A.$

$+ A. A.$ est Constans addenda.

II.

Sit aequatio $d x^2 + 2 d y^2 + 2 y d d y = 0$. Disponatur, ut sequitur, $\frac{d x}{2 y d y} = - \frac{d d y}{d y d x} - \frac{d y}{y d x}$ factaque comparatione inuenietur $X = \frac{1}{2}$; $m = 0$; $c = 1$; $a = 0$ $n = - 1$; $L = - 1$; ideoque per aequationem (4) praecedentis aequationis Integrale erit $S. \frac{d x}{2.} = - \frac{y d y}{d x} + c$, id est $\frac{x}{2} = - \frac{y d y}{d x} + c$, et multiplicando per $d x$ $\frac{x d x}{2} = - y d y + C d x$, et rursus integrando $\frac{x^2}{4} = - y^2 + C x + B$.

III.

Sit aequatio $\frac{y^3 d x^2}{(1+x^2)^{\frac{1}{3}}} = 2 A y d d y - 4 A d y^2$, reducatur ad $\frac{y^2 d x}{2 A (1+x^2)^{\frac{1}{3}} d y} = \frac{d d y}{d x d y} - \frac{2 d y}{y d x}$. Factaque Terminorum comparatione, erit $X = \frac{1}{2 A (1 + x^2)^{\frac{1}{3}}}$; $S. = 2$; $n = - 1$; $c = - 1$; $a = 0$; $m = 0$; $- \frac{c L}{n} = - 2$, ergo ut prius $L = 2$, et per aequationem (4) praecedentis aequationis Integrale erit $\frac{1}{2 A} S. \frac{d x}{(1+x^2)^{\frac{1}{3}}} = \frac{d y}{y^2 d x} + c$; sed $S. \frac{d x}{(1+x^2)^{\frac{1}{3}}} = \frac{x}{1 + x^2}$; ergo $\frac{x}{2 A \sqrt{1+x^2}} = \frac{d y}{y^2 d x} + C$, et $\frac{x d x}{2 A \sqrt{1+x^2}} = d y$

$= \frac{dy + c\,dx}{y^2}$, et rursus integrando $\sqrt{1 + x^2} - 2ACx = -\frac{2A}{y} + B$.

IV.

Sit aequatio $x\,dx^2 = y^2\,ddy + B\,y\,dy^2$ (B est coefficiens constans,) reducatur ad sequentem $\frac{x\,dx}{y^2dy} = \frac{ddy}{dxdy} + \frac{B\,dy}{y\,dx}$, et cum aequatione (1) conferatur, eritque $X = 1$; $c = -1$; $a = 0$, $L = -B$; $m = -1$; $n = -1$; $L = -2$; ideoque $B = 2$. Oportet igitur, ut nostra aequatio per praesens Problema integretur, ut sit $B = 2$, atque ipsa euadet $\frac{x\,dx}{dy} = \frac{ddy}{dydx} + \frac{2\,dy}{y\,dx}$, et tunc eius Integrale per aequationem (4) erit $S.\,x\,dx = \frac{y^2\,dy}{dx} + c$; Id est $\frac{x^2}{2} = \frac{y^2\,dy}{dx} + c$, et ducendo in $2\,dx$ $x^2\,dx = 2\,y^2\,dy + 2\,c\,dx$, et rursus integrando $\frac{x^3}{3} = \frac{2\,y^3}{3} + 2\,c\,x + A$

V.

Sit aequatio $y^r (F + 2Gx + Ex^2)^{\frac{2r}{1-r}} dx^2 = -B\,ddy + \frac{r\,B\,dy^2}{y}$. Coefficientes quantitates denotant Constantes. Diuidatur per $dy\,dx$, et conuertetur in $y^r (F + 2Gx + Ex^2)^{\frac{2r}{1-r}} \frac{dx}{dy} = -\frac{B\,ddy}{dydx} + \frac{r\,B\,dy}{y\,dx}$, factaque ut in praecedentibus comparatione, inuenietur $X = (F + 2Gx + Ex^2)^{\frac{2r}{1-3}}$; $l = r$; $n = -1$, $m = 0$; $a = 0$; $B = c$; $cl = rB$;

$= rB$; ideoque rursus $l = r$; nostraeque Integrale aequationis per aequationem (4) erit $S.\,(F + 2Gx + Ex^2)^{\frac{2r}{1-r}}\,dx - \frac{B\,dy}{y^r\,dx} + c$

VI.

Sit aequatio $f = \frac{dx^2 + dy^2 - x\,ddx}{x^3\,dy^2}$ (f sit quomodocunque data per x, et Constantes,) disponatur, ut sequitur, $\frac{(fx^3 - 1)}{x}\,\frac{dy^2}{dx^2} = \frac{1}{x} - \frac{ddx}{dx^2}$, factaque huius aequationis comparatione cum aequatione (1), erit $X = fx^3 - 1$; $m = 1$; $n = 2$; $a = 1$; $c = -1$; $l = 0$; proindeque per aequationem (4) praecedentis aequationis Integrale erit $S.\,(fx^3 - 1)\frac{dx}{x^3} = -\frac{dx^2}{2x^2dy^2} + c$; sed $S.\,(fx^3 - 1)\,dx = S.\,f\,dx + 1$; ergo debite operando $dy = \frac{dx}{\sqrt{2x^2C - 1 - 2x^2 S.\,f\,dx}}$

VII.

Sit Aequatio $V\,dt^2 = \frac{2A^2\,dt^2}{r^3} - 2\,ddr$, *in qua* sit V functio r, et constantium; reducatur ad formam $(V - \frac{2A^2}{r^3})\frac{dt^2}{dr^2} = -\frac{2\,ddr}{dr^2}$, et cum aequatione (1) comparetur, erit $ddr = ddx$; $dr = dx$; $r = x$, $dt = dy$; $X = V - \frac{2A^2}{r^3}$; $c = -2$; $n = 2$; $m = 0$; $l = 0$; Ideoque per aequationem (4) praecedentis aequationis Integrale erit $S.\,(V - \frac{2A^2}{r^3})\,dr = -\frac{dr^2}{dt^2} + C$; Sed prima huius aequationis pars aequatur $S.\,V\,dr + \frac{A^2}{r^2}$, ergo

ergo $S.\,V\,dr + \frac{A^2}{r^2} = -\frac{dr^2}{dt^2} + c$; ordinataque aequatione $r^2 dr^2 = (r^2 C - A^2 - r^2 S.\,V\,dr)\,dt^2$, et tandem $\frac{r\,dr}{\sqrt{(r^2C - A^2 - r^2 S.\,V\,dr)}} = dt$

VIII.

Si Aequatio integranda esset $ddr - \frac{A^2B^2ds^2}{r^3} + \frac{B^3ds^2}{r^2} + R\,ds^2 = 0$, in qua R est quantitas data per r, et constantes; A, et B quantitates sunt constantes: Diuidatur per dr^2, et ut sequitur disponatur $\left(R - \frac{A^2B^2}{r^3} + \frac{B^3}{r^2}\right)\frac{ds^2}{dr^2} = -\frac{ddr}{dr^2}$ factaque terminorum collatione, aequationis (1) terminis respondentium inuenietur $X = \left(R - \frac{A^2B^2}{r^3} + \frac{B^3}{r^2}\right)$; $ddr = ddx$; $dr = dx$; $x = r$; $ds = dy$; $c = -1$; $n = 2$; $m = 0$; $l = 0$; $a = 0$. Consequenter, per aequationem (4) Integrale praecedentis aequationis $S.\left(R - \frac{A^2B^2}{r^3} + \frac{B^3}{r^2}\right)dr = -\frac{dr^2}{2ds^2} + c$

Sed primae Partis Integrale $S.\,R\,dr + \frac{A^2B^2}{2r^2} - \frac{B^3}{r}$; ergo $S.\,R\,dr + \frac{A^2B^2}{2r^2} - \frac{B^3}{r} = -\frac{dr^2}{2ds^2} + c$, et tandem disposita aequatione $\frac{r\,dr}{\sqrt{2r^2C + 2B^3r - A^2B^2 - 2r^2 S.\,R\,dr}} = ds$

IX.

Sit Aequatio $F = \frac{dy^3 + dx^2dy - x\,dy\,ddx + x\,dx\,ddy}{2x^3\,dy^3}$

Qqq 2 (per

(per F significatur vis centralis, per quam corpus ad Centrum impellitur.) Haec transposita, et ducta in $\frac{x^2 dy^2}{dx^2}$ dabit $\frac{(F-1)dy^2}{2x^3\, x^{-2} dx^2} = \frac{1}{2x} - \frac{ddx}{2dx^2} - \frac{ddy}{2dxdy}$, et comparando cum aequatione (1) $X = \frac{F-1}{2x^3}$; $m = -2$; $a = \frac{1}{2}$ $c = -\frac{1}{2}$; $n = 2$; $L = 0$; ideoque per aequationem (4) eius Integrale erit $S. \frac{(F-1)dx}{2x^3} = -\frac{dx^2}{4x^2 dy^2} + c$; id est $S. Fdx + \frac{1}{4x^2} = -\frac{dx^2}{4x^2 dy^2} + c$; dispositaque aequatione inuenietur

$$\frac{dx}{\sqrt{4Cx^2 - 4x^2 S. Fdx - 1}} = dy,$$

factoque ut homogenea suppleantur $b\sqrt{2} = 1$; $\frac{b^2 dx}{\sqrt{cx^2 - x^2 S. Fdx - b^4}} = dy$, et demum posito $dy = \frac{xdz}{g}$; (7) $\frac{gb^2 dx}{x\sqrt{cx^2 - x^2 S. Fdx - b^4}} =$

Quae aequatio eadem est ac illa, quam dedit Joh. Bernullius pro omnibus Traiectoriis.

Scholium I.

Sit $F = x$. Tunc $S. Fdx = \frac{x^2}{2} + B$, et per aequationem (7) erit $\frac{gb^2 dx}{x\sqrt{cx^2 - \frac{x^4}{2} - Bx^2 - b^4}} = dz$

hoc

hoc est

$$\frac{dx}{x\sqrt{\frac{cx^2}{g^2b^4} - \frac{x^4}{2g^2b^4} - \frac{(B+b^4)}{g^2b^4}}} = dz$$

Aequatio ad Ellipsim ad Centrum relata, cuius Sexmiais maior

$$\sqrt{\frac{(B+b^4)C}{2g^4b^8} + \frac{1}{2gb^2}\sqrt{\frac{(B+b^4)^2C^2 - 4(B-b^4)}{g^{16}b^{12}}}}$$

et Semiaxis minor

$$\sqrt{\frac{(B+b^4)C}{2g^4b^8} - \frac{1}{2gb^2}\sqrt{\frac{(B+b^4)^2C^2 - (B+b^4)}{g^{16}b^{12}}}}$$

II.

Si fuerit $F = x$; tunc aequatio (7), cum sit $S.\,F\,dx = -x^2 + B$ euadet

$$\frac{dx}{x\sqrt{\frac{cx^2}{g^2b^4} + \frac{x^4}{2g^2b^4} - \frac{(b^4-B)}{g^2b^4}}} = dz,$$

aequatio ad Hyperbolam, relata ad Centrum, cuius Semiaxis maior

$$\sqrt{\frac{(b^4-B)C}{2g^4b^8} + \frac{1}{2gb^2}\sqrt{\frac{(b^4-B)c^2 - 4(b^4-B)}{g^6b^{12}}}}$$

Semiaxis minor

$$\sqrt{\frac{(B-b^4)C}{2g^4b^8} + \frac{1}{2gb^2}\frac{(b^4-B)C - 4(b^4-B)}{g^6b^{12}}}$$

III.

Fiat nunc $F = \frac{1}{x^2}$, eritque $S.\,F\,dx = -\frac{1}{x} + B$, et aequatio (3) euadet

$$\frac{dx}{\sqrt{\frac{(C-B)x^2}{g^2b^4} + \frac{x}{g^2b^4} - \frac{1}{g^2}}} = dz$$

quae

quae est ad Coni sectiones ad Polum relatas. Nempe ad Ellipsim si fuerit B $>$ C, cuius Axis secundarius $\frac{2\,b^2}{\sqrt{B-C}}$; Axis vero primarius $\frac{1}{B-C}$; si vero B $<$ C ad Hyperbolam, cuius Axis secundarius $\frac{2\,b^2}{\sqrt{C-B}}$; Axis primarius $\frac{1}{C-B}$. Tandem si fuerit C $=$ B, ad Parabolam, cuis verticis distantia a foco $\frac{b^4}{1}$.

IV.

Si fuerit F $= \frac{1}{x^3}$ tunc S. F d x $= -\frac{1}{2x^2} + \frac{B}{2}$, et aequatio (7) euadet

$$(8) \quad \frac{dx}{x\sqrt{\left(\frac{C}{g^2 b^4} - \frac{B}{2g^2b^4}\right)x^2 + \frac{1}{2g^2b^4} - \frac{1}{g^2}}} = dz$$

Ubi adnotandum, si C $=$ B; praecedentem aequationem esse ad logarithmicam spiralem, nam tunc $x\,dz.\,dx :: 1.\ \frac{1}{g b^2}\sqrt{\frac{1}{2} - b^4}$ si fuerit C $>$ B, aequatio (8), ut sequitur disposita, dabit $\frac{dx}{x\sqrt{\frac{2C-B}{2g^2b^4}}\sqrt{x^2 - \frac{(2b^4-1)}{2C-B}}} = dz$, et per Circulum traiectoria describetur.

Si vero C $<$ B, aequatio (8) induet hanc formam $\frac{dx}{x\sqrt{\frac{B-2C}{2g^2b^4}}\sqrt{\frac{(2b^4-1)}{B-2C} - x^2}} = dz$, et Traiectoria per

Hy-

Hyperbolae aequilaterae Sectorem habebitur, si fuerit $1 = a b^4$; aequatio (8) conuertetur in $\frac{dx}{x^2\sqrt{\frac{2C-B}{2g^2b^4}}} = dz$,

et loco dz subrogando $\frac{g\,dy}{x} \frac{dx}{x^2\sqrt{\frac{2C-B}{2g^2b^4}}} = \frac{g\,dy}{x}$,

et tandem $\frac{b\sqrt{2}}{\sqrt{2C-B}} = \frac{x\,dy}{dx}$, aequatio ad logarithmicam Hyperbolicam si ulterius $C = B$, tunc $\frac{b\sqrt{2}}{0} = \frac{x\,dy}{dx}$;

oportet ergo ut dx euanescat, et traiectoriae erit Circulus, patet, quod B denotat Constantem, addendam in Integratione differentialis $F\,dx$.

Problema III.

Saluis, quae in praecedenti Problemate supposuimus, excepto, quod in sequenti Aequatione denotat Y quamcunque Functionem Y, et Constantium, et n nunquam esse potest unitati positiuae aequalis

(1) $\frac{Y^l . y^k\, dY dy^{n-1}}{x^m dx^n} = \frac{a}{x} + \frac{c\,d\,dx}{dx^2} - \frac{c\,d\,dy}{(n-1)y\,dx}$

Quaeritur Integrale Aequationis (1)

Solutio.

Fingamus Integrale quaesitum esse

(2) $S. x^g Y^r dY = \frac{f x^t dx^s}{y^u dy^s} + c$ Differentiando erit

$x^g y^r dY = \frac{f t x^{t-1} dx^{s+1}}{y^u dy^s} + \frac{f s x^t dx^{s-1} ddx}{y^u dy^s}$

— s f

$-\frac{s f x^t d x^s d d y}{y^u d y^{s+1}} - \frac{f u x^t d x^s}{y^{u+1} d y^{s-1}}$ et multiplicando per $\frac{y^u d y^s}{x^t d x^{s-1}}$

(3) $\frac{y^u Y^r d y^s d Y}{x^{t-g} d x^{s+1}} = \frac{f t}{x} + \frac{f s d d x}{d x^2} - \frac{f s d d y}{d y d x} - \frac{f u d y}{y d x}$

Facta igitur primo exponentium primi Membri utriusque aequationis (1) et (3) comparatione, erit $s = n - 1$; $u = l$, $r = k$; $t - g = m$. Deinde collatis inter se secundae Partis utriusque aequationis Coefficientibus, erit $f t = a$, et $f = \frac{a}{t} = \frac{a}{m+g}$; ulterius $f = \frac{o}{s} = \frac{c}{n-1}$; ideoque $t = \frac{a}{f} = \frac{a(n-1)}{c}$; $g = t - m = \frac{a(n-1)}{c} - m$; similiter $f u = \frac{c\, l}{n-1}$ consequenter $u = \frac{c\, l}{n-1} \times \frac{n-1}{c} = l$.

Factis igitur substitutionibus, aequatio (3) immutabitur in aequationem (1), proindeque Integrale aequationis (3) erit quoque Integrale aequationis (1), factisque surrogationibus in aequatione (2) Integrale quaesitum erit S. $Y^k x^{\frac{a n - a - c m}{c}} d Y = \frac{c x^{\frac{a n - a}{c}} d x^{n-1}}{(n-1) y^l d y^{n-1}} + c$, hoc est

(4) $\frac{1}{y^{\frac{l}{n-1}}} d y = \frac{c^{\frac{1}{n-1}}}{(n-1)} \times \frac{x^{\frac{a}{c}} d x}{(S. Y^k x^{\frac{an-a-cm}{c}} d Y - c)^{\frac{1}{n-1}}}$ Q. E. I.

Exempla. I.

Sit Aequatio

(5) $x y (d x d d y - d y - d d x) = y d y d x^2 - y^2 d Y d y^2 - x d x d y^2$. Disponatur ut sequitur $y^2 d Y d y^2 =$

y d

$y\,dy\,dx^2 + x\,y\,d\,y\,ddx - x\,y\,dx\,ddy - x\,dx\,dy^2$

Postea per $x\,y\,dy\,dx^2$ diuidatur, eritque $\frac{y\,dY\,dy}{x\,dx^2} = \frac{1}{x} + \frac{ddx}{dx^2} - \frac{ddy}{dx\,dy} - \frac{dy}{y\,dx}$

Comparetur haec aequatio cum aequatione (1), et obtinebitur $l = 1$; $m = 1$; $n = 2$; $a = 1$; $c = 1$; $k = 0$; consequenter per aequationem (4) aequationis (5) Integrale erit $y\,dy = \frac{x\,dx}{S.\,dY - C}$, hoc est $Y = \frac{x\,dx}{y\,dy} + C$.

II.

Sit Aequatio

(6) $x\,dx^2 = y^2\,ddy + y\,dy^2$, siue $\frac{x\,dx}{y^2\,dy} = \frac{ddy}{dy\,dx} + \frac{dy}{y\,dx}$

Facta, ut superius, terminorum comparatione, inuenietur, $k = 0$ $dY = dy$; $n = -1$, $l = -2$; $m = -1$; $c = -1$; $a = 0$; Ideoque per aequationem (4) Integrale aequationis (6) $y\,dy = dx\sqrt{2\,S.\,x\,dy - 2\,C}$

III.

Non secus, si fuerit Aequatio

(7) $y^2\,dy^2 = x\,y\,ddx - x\,dy\,dx$, siue $\frac{y\,dy^2}{x\,dx^2} = \frac{ddx}{dx^2} - \frac{dy}{y\,dx}$; per assuetam terminorum comparationem obtinebitur; $k = 0$; $l = 1$; $dY = dy$; $m = 1$; $c = 1$; $n = 2$; $a = 0$; proindeque per aequationem (4) aequationis (7) Integrale erit $y\,dy = \frac{dx}{S.\,\frac{dy}{x} - C}$

IV.

Sit Aequatio

(8) $(a+z)\,dz\,ddy = dz^2\,dy - dy^3$

Fiat $a+z=x$; ideoque $dz=dx$, et praecedens aequatio conuertetur in

$$x\,dx\,dy = dx^2\,dy^3$$

Et transponendo, et postea per $x\,dx^2\,dy$ diuidendo,

$$\frac{dy^2}{x\,dx^2} = \frac{1}{x} - \frac{ddy}{dx\,dy}$$

Atque adhibita de more terminorum comparatione, habebitur $K=0$, $dy=dY$; $n=2$; $m=1$; $a=1$; $c=1$; $L=0$; ideoque per aequationem (4) praecedentis aequationis integrale erit $dy = \frac{x\,dx}{S.dy-C} = \frac{x\,dx}{y-C}$ et substituendo $a+z$ loco x, et dz pro dx $dy = \frac{a\,dz + z\,dz}{y-C}$ et multiplicando per $y-C$ $y\,dy - C\,dy = a\,dz + z\,dz$, et rursus integrando $\frac{y^2}{2} - Cy = az + \frac{z^2}{2} + B$ (B est constans post secundam Integrationem addenda.)

V.

Sit Aequatio

(9) $8\,dx^2 + 2y\,ddy = dy^2 + 4y^2\,dx^2$ quae rite disposita exhibet $2\left(\frac{2}{y} - y\right)\frac{dx}{dy} = -\frac{ddy}{dy \times dx} + \frac{dy}{2y\,dx}$

factaque terminorum comparatione inuenietur $c=1$; $n=1$; $L=1$; $a=0$; $m=0$; atque $\frac{y^L Y^k\,dY}{dy} = 2\left(\frac{2}{y} - y\right)$; ideoque $Y^k\,dY = 2\left(\frac{2}{y^2} - 1\right)dY$, et $S.\,Y^k\,d$

Y =

$Y = -\frac{4}{y} - 2y$. Factis ergo debitis substitutionibus in aequatione (4), Integrale aequationis (8) erit $\frac{dy}{\sqrt{y}} = dx \frac{\sqrt{8+4y^2+2Cy}}{\sqrt{y}}$, idest $\frac{dy}{\sqrt{2}\sqrt{Cy+2(y^2+2)}} = dx$,

et faciendo $y = a^2$ $\frac{-a^2\,dz}{z\sqrt{2}\sqrt{Ca^2z+2(a^4+2z^2)}}$

Aequatio quae absolute, vel per Tabulas Sinuum, et Logarithmicorum integrabitur.

Problema IV.

Sit Aequatio.

(1) $Z^k \frac{dy\,dV^n}{dx\,du^n} = \frac{c\,ddx}{dx^2} = \frac{c\,ddu}{dx\,du} - \frac{cl\,dy}{ny\,dx}$

in qua sit Z data per x, et y; d V denotet differentialem Functionis z, vel x, vel y, siue cuiuscunque alterius variabilis; litterae k, et n, quemcunque Exponentem denotant, et k etiam zero; Litterae c, et L quemcunque Coefficientem, et L etiam zero. Quaeritur huiusce Aequationis Integrale.

Solutio.

Supponamus, quod Integrale quaesitum sit

(2) $S.\,\frac{Z^r\,dV^g\,dy}{y^m\,dx^g} = \frac{h\,du^s}{y^u\,dx^s} + C$

Differentietur, eritque $\frac{Z^r\,dV^g\,dy}{y^m\,dx^g} = \frac{hs\,du^{s-1}\,ddu}{y^u\,dx^s} -$

 hs

$\frac{hs\,du^s\,ddx}{y^u dx^{s+1}} - \frac{uh\,du^s\,dy}{y^{u+1} dx^s}$, et multiplicando per $\frac{y^u dx^{s-1}}{du^s}$

(3) $\frac{Z^r dy\,dV^g}{y^{m-u} dx^{g-s+1} ds^s} = \frac{hs\,ddu}{dx\,du} - \frac{hs\,ddx}{dx^2} - \frac{uh\,dy}{y\,dx}$

Praesentis aequationis, atque aequationis (1) inter se Termini conferantur, et obtinebitur $r = k$; $g = n$; $s = n$; $hs = -c$; ideoque $h = -\frac{c}{n}$; $u - m = o$; ergo $u = m$; $-hu = -\frac{cl}{n}$; $\frac{cu}{n} = -\frac{cl}{m}$; ergo $u = -l$; $m = -l$. Ergo facta surrogatione aequatio (3) euadet aequatio (1); sed aequatio (1) est Integrale aequationis (3), erit ergo etiam Integrale aequationis (1). Hoc est, eius Integrale erit

(4) $S.\frac{Z^k y^l dV^n dy}{dx^n} = -\frac{c}{n}\frac{y^l du^n}{dx^n} + C$. Q. E. I.

Exempla: I.

Sit Aequatio

(5) $du\,dy = 2y\,ddx + dy\,dx$ diuidatur per $2y\,dx^2$, eritque $\frac{dy\,du}{2y\,dx^2} = \frac{ddx}{dx^2} + \frac{dy}{2y\,dx}$, factaque comparatione inuenietur $Z^k = \frac{1}{2y}$; $dV = dy$; $n = 1$; $l = \frac{1}{1}$; ideoque per aequationem (4) integrale aequationis (5 erit $S.\frac{dy}{2\sqrt{y}} = \sqrt{y} \times \frac{dx}{du} + C$, hoc est $\sqrt{y} = \sqrt{y} \times \frac{dx}{du} + C$, et $(\sqrt{y} - C)\,du = \sqrt{y} \times dx$, et quadrando $du^2(y - 2C\sqrt{y} + C^2) = y\,dx^2$; et posito quod $du = \sqrt{dx^2 + dy^2}$, erit

erit transponendo $(y - 2C\sqrt{y} + C^2)\, dy^2 = dx^2\, (2C\sqrt{y} - C^2)$, et demum $\frac{(y - C)\, dy}{\sqrt{2C\sqrt{y} - C^2}} = dx$. Aequatio quae absolute integrabitur, si fiat $z = \sqrt{2c\sqrt{y} - c^2}$

II.

Sit aequatio:

(6) $\frac{(y - a)}{Ra} \times \frac{dy \times du}{dx \times dx} = \frac{ddx}{dx^2}$

factaque collatione cum aequatione (1) erit $Z^k = \frac{(y-a)}{Ra}$ $n, = -1$ $dV = dx$; $c = 1$; $l = 0$; proindeque per aequationem (4) praecedentis aequationis Integrale erit S. $\frac{(y - a)}{Ra} \times dy = \frac{dx}{du} + C$; id est $\frac{y^2}{2Ra} - \frac{ay}{Ra} = \frac{dx}{du} + B$, et tandem $du\,(2raB - 2ay + y^2) = 2Ra\,dx$, Aequatio, si R radius fuerit Osculator ad verticem, ad Curvam, quam Tailorus musicalem appellat.

III.

Sit Aequatio

(7) $Y dy = \frac{2ay\,ddx}{du} + \frac{a\,dy\,dx}{du}$ ducatur in $\frac{du}{2ay\,dx^2}$

eritque $\frac{Y dy\, du}{2ay\,dx^2} = \frac{ddx}{dx^2} + \frac{dy}{2y\,dx}$, quae collata cum aequatione (1) dabit $Z^k = \frac{Y}{2ay}$; $dV = dx$; $n = -1$; $c = 1$; $l = \frac{1}{2}$; ideoque per aequationem (4) Integrale aequationis (7) erit $\frac{1}{2a}$ S. $\frac{Y dy}{y^{\frac{1}{2}}} = y^{\frac{1}{2}} \frac{dx}{du} + C$

IV.

Sit Aequatio

(8) $\frac{y\,dy\,du^2}{dx\,dy\,du - y\,dx\,ddu} = F$, sive $\frac{y\,dy\,du^2}{F} = dx\,dy\,du - y\,dx\,ddx$, et ducendo in $\frac{1}{y\,dx^2\,du}$ $\frac{dy\,du}{F\,dx^2} = \frac{dy}{y\,dx} - \frac{ddu}{dx \times du}$, quae comparata cum aequatione (1) exhibebit $Z^k = \frac{1}{3}$; $n = -1$; $dV = dx$; $c = 1$; $l = 1$. Ideoque per aequationem (4) Integrale aequationis (8) S. $\frac{y\,dy}{F} = \frac{y\,dx}{du} + C$. Hoc est, si fuerit $du = \sqrt{dx^2 + dy^2}$ S. $\frac{y\,dy}{F} =$

$$\frac{y\,dx}{\sqrt{dx^2 + dy^2}} + C$$

V.

Sit Aequatio

(9) $\frac{b\,y^m}{p^m} = \frac{2\,A\,y\,ddx + A\,dx\,dy}{du \times dy}$; sive $\frac{b\,y^m\,dy}{p^m} = \frac{2\,A\,y\,ddx}{du} + \frac{A\,dx\,dy}{du}$, patet hanc non differre ab aequatione (8): nam quod in illa est Y, hic est $\frac{b\,y^m}{p^m}$, et loco a in hac habetur A, ergo Integrale praecedentis aequationis $\frac{b}{2Ap^m}$ S. $y^{\frac{m-1}{2}}\,dy = \frac{y^{\frac{1}{2}}\,dx}{du} + C$; hoc est $\frac{b}{A\,p^m}$ $\times \frac{y^{\frac{m+1}{2}}}{2m+1} = \frac{y^{\frac{1}{2}}\,dx}{du} + B$.

VI.

VI.

Sit Aequatio

(10) $F = \frac{dx\,dy\,du^2 + y\,du^2\,ddx - y\,dx\,du\,ddu}{y\,dx\,dy\,dt^2}$

immutetur in $\frac{F\,dy\,dt^2}{dx\,du^2} = \frac{ddx}{dx^2} - \frac{ddu}{dx\,du} + \frac{dy}{y\,dx}$,

factaque huius aequationis collatione cum aequatione (4) inuenietur $F = Z^k$; $dV = dt$; $n = 2$; $c = 1$; $\frac{-c\,k}{n} = 1$; ideoque per aequationem (4) Integrale aequationis (10)

$S. \frac{F\,dy\,dt^2}{y^2\,dx^2} = \frac{-du^2}{2y^2\,dx^2} + C$

VII.

Sit modo Aequatio

(11) $F = \frac{dx\,dy\,du^2 + y\,du^2\,ddx - y\,dx\,du\,ddu}{y^3\,dx^3\,dy}$

Haec rite disposita dabit $\frac{F\,y^2\,dy\,dx^2}{dx\,du^2} = \frac{ddx}{dx^2} - \frac{ddu}{dx\,du} + \frac{dy}{y\,dx}$ quae non differt ab aequatione (10), nisi quod hic $Z = F\,y^2$, $dV = dx$; ideoque praecedentis aequationis Integrale $S.\,F\,dy = \frac{-du^2}{2y^2\,dx^2} + C$

VIII.

Sit Aequatio

(12) $b\,y^{f-1}\,du = 2\,a\,y\,ddx + a\,dy\,dx$, patet, praesentem aequationem in aequatione (7) contineri, posita $Y = b\,y^{f-1}$. Ideoque eius Integrale $\frac{b}{2a} S.\, y^{\frac{2f-1}{2}}\,dy = y^{\frac{1}{2}}\,dx$

$\frac{dx}{du}+c$; sed S. $y^{\frac{2f-1}{2}} = \frac{2y^{\frac{2f-1}{2}}}{2f+1} + A$; ergo $\frac{b}{a}\left(\frac{y^{\frac{2f+1}{2}}}{2f+1} + A\right) = y^{\frac{1}{2}}\frac{dx}{du}+C$; factaque $A - C = B$ $b\,(y^{\frac{2f+1}{2}} + (2f+1)B) = a(2f+1)\,y^{\frac{1}{2}}\frac{dx}{da}$, et quadrando, positoque dx^2+dy^2 pro du^2 $b^2(y^{\frac{2f+1}{2}}+(2f+1)B)^2 \times (dx^2+dy^2) = a^2(2f+1)^2\,y\,dx^2$, et transponendo $b^2(y^{\frac{2f+1}{2}}+(2f+1)B)^2\,dy^2 = (a^2(2f+1)^2\,y - b^2(y^{\frac{2f+1}{2}}+(2f+1)B)^2\,dx^2$. Consequenter

$$\frac{b(y^{\frac{2f+1}{2}}+(2f+1)B)\,dy}{\sqrt{a^2(2f+1)^2y-b^2(y^{\frac{2f+1}{2}}+(2f+1)B)^2}}=dx$$

quae si fuerit $B=0$, euadet $$\frac{b\,y^{\frac{2f+1}{2}}\,dy}{\sqrt{a^2(2f+1)^2y-b^2(y^{\frac{2f+1}{2}})^2}}$$

hoc est $$\frac{b\,y^f\,dy.}{\sqrt{a^2(2f+1)^2-b^2y^{2f}}}=dx$$

Aequatio, quam dedit celeberrimus Varignonius in Actis Academiae Parisiensis ad Annum 1710. Si ergo fuerit $f=1$, erit $\frac{b\,y\,dy}{\sqrt{ga^2-b^2y^2}}=dx$: atque integrando $-\frac{1}{b}\sqrt{ga^2-b^2y^2}+D=x$

Aequatio ad Circulum, si in casu, quo x euanescit, euanescat et y.

IX.

IX.

Sit Aequatio.

(13) $$\frac{y\,dy\,du^{2}}{a\,dx\,dy\,ddu + y\,du\,ddx - y\,dx\,ddu} = R$$

in qua R radius Osculator. Ad sequentem reducatur

$$\frac{dy\,du}{R\,dx \times dx} = \frac{ddx}{dx^{2}} - \frac{ddu}{dx\,du} + \frac{a\,dy}{y\,dx}$$

Quae collata cum aequatione (1) dabit $n = -1$; & $V = dx$; $Z^{k} = \frac{1}{R}$; $c = 1$; $-\frac{1}{n} = 1 = a$; ideoque per aequationem (4) Integrale aequationis (13)

$$S.\frac{dy}{R} \times y^{a} = \frac{y^{a} \times dx}{du} = \frac{y^{a}\,dx}{\sqrt{dx^{2} + dy^{2}}}$$, surrogando $\sqrt{dx^{2} + dy^{2}}$ pro du, et quadrando

$$S.\frac{dy}{R} \times y^{a} \times S.\frac{dy}{R} \times y^{a} = \frac{y^{2a}\,dx^{2}}{dx^{2} + dy^{2}}$$

Ideoque

$$dy^{2}\left(S.\frac{dy}{R} \times y^{a} \times S.\frac{dy}{R} \times y^{a}\right) = dx^{2}$$

$\left(y^{2a} - S.\frac{dy}{R} \times y^{a} \times S.\frac{dy}{R} \times y^{a}\right)$ atque extrahendo

$$\frac{dy\,S.\frac{dy}{R} \times y^{a}}{\sqrt{y^{2a} - S.\frac{dy}{R} \times y^{a} \times S.\frac{dy}{R} \times y^{a}}} = dx$$

Aequatio ad Curvam, cuius Radius Osculator sit datus.

Scholium.

Adnotandum, quod si detur Aequatio, cui aptari non possint nostrorum Problematum formulae, tunc in nostris aequationibus, cum nulla differentialis constans fuerit posita, tentandum, an in aequationibus quae conferuntur inter se, posita differentiali d y, vel d x, aut du, atque etiam

y d x, vel x d y constanti haberi possit, quod intendimus.

Exempla: I.

Sit aequatio $dx^3 - dx\,dy^2 = y\,dx\,ddx + 2x\,dy\,ddy$. Haec reduci non potest per Problema II. Sed dx constantem supponendo, praecedens aequatio dabit $dx^3 - dx\,dy^2 = 2x\,dy\,ddy$, hoc est $\frac{dx^2}{2x\,dy^2} = \frac{1}{2x} + \frac{ddy}{dy\,dx}$, quae comparari poterit cum Problematis II. aequatione (1), eritque $X = \frac{1}{2}$; $n = -2$; $m = \frac{1}{2}$; $a = \frac{1}{2}$; $c = -1$; ideoque per aequationem (4) dicti Problematis praecedentis aequationis Integrale erit $S.\frac{dx}{2} = \frac{dy^2}{2dx^2} \times x + c$; hoc est $\frac{x}{2} + A = \frac{x\,dy^2}{2dx^2} + c$, factoque $A - C = \frac{B}{2}$; $dx^2(x + B) = x\,dy^2$, proindeque $\frac{dx\sqrt{x+B}}{\sqrt{x}} = dy$.

II.

Sit aequatio $x^m\,ddx = ddy + dy^2$; haec quoque integrari nequit per Problema II. Fiat ergo $ddy = 0$, supponendo dy Constantem, et praecedens aequatio dabit $\frac{ddx}{dx^2} = \frac{dy^2}{x^m dx^2}$, quae comparari poterit cum aequatione (1) Problematis II, atque invenietur $X = 1$; $c = 1$; $n = 2$; $l = 0$, $a = 0$; ideoque eius Integrale $S.\frac{dx}{x^m} = \frac{dx^2}{2dy^2} + C$; id est $\frac{x^{1-m}}{1-m} + A = \frac{dx^2}{2dy^2} + C$, factoque $A - C = B$ $dy = \frac{\sqrt{1-m}}{\sqrt{2}} \times \frac{dx}{\sqrt{x^{1-m} + (1-m)B}}$

quae

quae aequatio si fuerit $m = -1$, euadet $dy = \frac{dx}{\sqrt{x^2 + 2B}}$, et rursus integrando $y \times la = l(x + \sqrt{x^2 + 2B})$, et posito quod a pro suo Logarithmo habeat unitatem $a^y = (x + \sqrt{x^2 + B})$.

III.

In praecedenti aequatione $x^m d d x = d d y + d y^2$, loco $d y$ fiat constans $d x$; ideoque in hoc Hypothesi euadet

$$\frac{dy}{dx} = -\frac{ddy}{dx \times dy}$$

quae collata cum aequatione (1) Problematis II. exhibebit $X = 1$; $n = 1$; $c = 1$; $m = 0$; $a = 0$; $l = 0$; ideoque illius Integrale $x + A = \frac{dx}{dy} + c$, factoque $A - C = B$; $dy\,(x + B) = dx$, et $dy = \frac{dx}{\sqrt{x + B}}$, et rursus integrando $y \times la = l(x + B)$.

IV.

Supponi quoque potest $d y$, et $d x$, esse simul Constantes, ut in sequenti aequatione $A x d y^3 = y^3 d x^3 - x y^2 d y d x^2 - A^3 d y^3$, quae reducitur ad $\frac{A^2 (x + A) d y^3}{x y^3 d x^3} = \frac{1}{x} - \frac{dy}{y dx}$, quae collata cum aequatione canonica Problematis II. dabit $X = A^2 x + A^3$; $K = 1$; $n = 3$; $m = 1$; $l = -3$; $a = 1$; $\frac{cl}{n} = -1$; id est $c = -1$; ideoque praecedentis aequationis Integrale $\frac{dy}{y} =$

$$\frac{-dx}{3^{\frac{1}{3}} x \left(\left(S.\left(A^2 x + A^3\right) \frac{dx}{x^4} - C\right)^{\frac{1}{3}}\right)}\text{; Sed}$$

 S.

$S.(A^2x+A^3)\frac{dx}{x^4} = -\frac{A^2}{2x^2} - \frac{A^3}{3x^3} + B$; ergo $\frac{dy}{y} =$

$$\frac{-dx \times 2^{\frac{1}{3}}}{(-3A^2x-2A^3+6Bx^3)^{\frac{2}{3}}}$$

V.

Sit aequatio $Y y^2 dy dx^2 = du$ data. Haec reducatur ad $\frac{Y y^2 dy dx^2}{dx\ du^2} = -\frac{ddu}{dx\ du}$.

Haec ob terminorum deficientiam in secundae Parte, cum aequatione canonica Problematis IV. comparari non potest; sed cum termini deficiant, qui respondeant $+\frac{c\,ddx}{dx^2} - \frac{ddy}{n\,y\,dx}$, patet, quod Constans assumpta in praecedenti aequatione fuerit $y\,dx$, quae differentiata exhibet $y\,ddx + dx\,dy$; siue $\frac{ddx}{dx^2} + \frac{dy}{y\,dx} = 0$, quae differentialia si addantur secundae Parti praecedentis aequationis, patet, aequationem non immutari. Sit ergo aequatio $\frac{Y y^2 dy \times dx^2}{dx \times du^2} = +\frac{ddx}{dx^2} - \frac{ddu}{dx\ du} + \frac{dy}{y\,dx}$, quae cum aequatione canonica conferri poterit; consequenter $Z^k = Y y^2$; $dV = dx$, $n = 2$; $c = 1$; $-\frac{c\,l}{n} = 1$; ideoque $L = -2$; eiusque Integrale erit $S.\,Y\,dy = -\frac{du^2}{2y^2dx^2} + C$, et surrogando $dx^2 + dy^2$ pro du^2 $S.\,Y\,dy = -\frac{dx^2 - dy^2 + 2y^2 C dx^2}{2y^2dx^2}$. Consequenter $dy^2 = (2y^2C - 1 - 2y^2 S.\,Y dy)\,dx^2$, et tandem

$$\frac{dy}{\sqrt{2y^2C-1-2y^2S.\,Y dy}} = dx.$$

Non

Non erit inutile, saltem tironibus, sequens Problema pro reductione Aequationum differentialium primi gradus, quae Homogeneae appellantur; proinde lubet hic addere.

Problema elementare Calculi Integralis pro Aequationum differentialium primi Gradus, quae sunt Homogeneae, Reductione, nec indigent Indeterminatarum separatione.

Problema:

Sit Aequatio differentialis

(1) $a x^{m-1} z^{n} y\, dx + b x^{m} z^{n}\, dy + c z^{m-1} x^{m} y\, dz = Y\, dy.$

In qua per litteras a, b, c, quaevis denotatur Quantitas Constans, per litteras vero m, et n, quisque Exponens; et tandem Y est quaecunque Functio y, et Constantium. Quaeritur Aequationis (1) Integrale.

Solutio.

Fingamus, quod Aequatio (2) sit Integrale quaesitum

(2) $x^{r} y^{s} z^{p} = K S. Y y^{h} z^{t}\, dy + C.$

Litterae r, s, p, h, t sunt Exponentes indeterminati; K coefficiens inditerminatus; C vero Constans addenda post Integrationem. Differentietur aequatio, eritque $r x^{r-1} y^{s}\, dx + s x^{r} z^{p} y^{s-1}\, dy + p x^{r} y^{s} z^{p-1}\, dz = K Y y^{h} Z^{p\; t}\, dy$, quae divisa per $K y^{h} z^{t}$ exhibet

(3) $\frac{r}{k} x^{r-1} y^{s-h} z^{p-t}\, dx + \frac{s}{k} x^{r} z^{p-t} y^{s-h-1}\, dy + \frac{p}{k} x^{r} y^{s-h} z^{p-t-1}\, dz = Y\, dy$

Ideoque, cum sit Pars secunda aequationis (1) eadem, quae secunda pars aequationis (3), aequabitur etiam pars prima aequationis (1) primae parti aequationis (3), ideoque Integrale Aequationis (3) erit etiam Integrale Aequationis (1), quod determinabitur, facta tam coefficientium, quam exponentium utriusque aequationis inter se comparatione: etenim habebitur

(4) $\frac{r}{k} = a$

(5) $\frac{s}{k} = b$

(6) $\frac{p}{k} = c$

(7) $m - 1 = r - 1$

(8) $s - h = t$

(9) $p - t = u$

Sed per aequationem (7) $m = r$; ergo per aequationem (4) $k = \frac{m}{a}$; per aequationem (5) $s = b\,k = \frac{b\,m}{a}$, et per aequationem (6) $p = c\,k = \frac{c\,m}{a}$. Per aequationem vero (8), cum fit $s - 1 = h$, erit $\frac{b\,m - a}{a} = h$; tandem per aequationem (9), cum fit $p - t = u$, erit $t = \frac{c\,m - a\,u}{a}$. Factis igitur debitis in aequatione (1) Substitutionibus, eadem euadet

(10) $x^{m}\,y^{\frac{b\,m}{a}}\,z^{\frac{c\,m}{a}} = \frac{m}{a}\,S.\,Y\,y^{\frac{b\,m - a}{a}}\,z^{\frac{c\,m - a\,u}{a}}\,d\,y + C$, eritque Integrale quaesitum. Q. E. I.

Scholium I.

I. Ex Analysi superius exhibita patet, quod si loco aequationis (1) haberetur

(11) $a\,x^{m-1}\,z^{u}\,et^{L}\,y\,d\,x - b\,x^{m}\,z^{u}\,et^{L}\,d\,y + c\,x^{m}\,z^{u-1}\,et^{L}\,y\,d\,z + c\,x^{m}\,z^{u}\,y\,et^{L-1}\,d\,et = Y\,d\,y$ huiusce aequationis Integrale esset

(12) $x^{m}\,y^{\frac{bm}{a}}\,z^{\frac{c\,m}{a}}\,et^{\frac{c\,m}{a}} = \frac{m}{a}\,S.\,Y\,y^{\frac{bm - a}{a}}\,z^{\frac{cm - au}{a}}\,et^{\frac{cm - aL}{a}} + C$

II.

II. Similiter, ſi aequationis (11) priori membro, ſalua homogeneitate, noui adderentur Termini, pari facilitate nouae huius aequationis Integrale haberetur.

III. Patet, ut aequatio (1) perfecte integretur, oportere ut in aequatione (10) ſit c m — a u = o, id eſt $u = \frac{c\,m}{a}$. Similiter, ut aequatio (11) integretur, opus eſſe, ut in aequatione (12) ſit ulterius $I = \frac{c\,m}{a}$.

Scholium II.

Liquet, in hoc Problemate omnes contineri regulas, quae pro ſimilium aequationum conſtructione tradi ſolent.

JO. FRIDER. FISCHERI, HUMANIOR. LITTER. in Acad. Lipſ. Profeſſoris, de Verſione Librorum diuinorum V. T. Vulgata, verae legitimaeque rationis Hebraea in Latinum conuertendi magiſtra, Commentatio.

Indignari non magis, quam mirari ſaepenumero ſoleo, quod, in hoc tanto tamque flagranti ſacrarum litterarum ſtudio, quod quin in maximis aetatis noſtrae laudibus et ornamentis recte ponatur quis dubitet? tamen reperiantur admodum pauci, qui Verſionem librorum diuinorum Veteris Teſtamenti latinam, quae Vulgata appellatur, in legendis libris hebraicis ſtudioſe adeant et inſpiciant; pauciſſimi, qui eam in cognoſcenda ſermonis Hebraei natura et ingenio, et in lectione librorum Hebraicorum, vel indaganda et conſtituenda, vel adiuuanda et confirmanda, diligenter adhibeant atque conſulant. Cuius quidem negligentiae leuitatem et temeritatem proficiſci arbitramur maxime ab ignoratione multorum et magnorum iſtius Verſio-

nis

nis bonorum. Nam etsi exemplum eius integrum hodie et purum non habetur, immo valde interpolatum contaminatumque circumfertur; etsi multis locis non tam Hieronymi, qui, vel auctor eius et parens, vel corrector et emendator putatur, quam aliorum potius interpretum verba leguntur; etsi oculi festinantes, et negligentes manus librariorum, corpus eius multis magnisque omnis generis labibus et mendis deformarunt: tamen dubitari recte non potest, quin ab idoneis et cautis consultoribus, ex huius vnius Versionis fonte, possint longe plures maioresque fructus hauriri, quam e riuis omnium aliarum huius generis Versionum. Tanta, tamque excellens est eius praestantia, tam multiplex et varia vtilitas!

Nam primo quidem haec Versio multis et certis exquisitae cuiusdam interiorisque Latinitatis scientiae vestigiis impressa cernitur; multa verba vulgo ignota, sed quae non ficta et formata ab ipso interprete, immo iam ante eius aetatem frequentata et trita, appareat, multi multorum verborum eiusdem generis significatus, reconditi hac in Versione, tanquam in quodam thesauro, inueniuntur, adeo, ut cognitio copiarum linguae Latinae mirifice amplificari egregieque ornari studiosa eius diligentique lectione possit: deinde, quum haec ipsa Versio fere tota fluxerit ex Alexandrina reliquisque Versionibus Graecis, sane in promtu est, auxilio eius et auctoritate, non modo orationi Graecorum interpretum, a librariis aliisque multimodis corruptae et vitiatae, suam restitui integritatem et pulcritudinem; sed etiam ipsas Versionum Aquilae, Symmachi, et caeterorum reliquias multis aliis particulis augeri posse: denique, quum horum ipsorum interpretum Versiones sint praeclarae magistrae potestatis verborum Hebraeorum, et simplicium, et iunctorum; quum multae Hebraicorum vocabulorum significationes amissae, possint indicio earum et ductu inuestigari et reperiri; quum Graecae Versiones ipsae sint, sine ulla controuersia, ex antiquissimis optimisque Codicibus Hebraicis

-cis factae, ut lectiones multorum locorum bonae et elegantes possint ex iis conquiri ac colligi: quis dubitet, quin iidem illi fructus repeti recte et conferri queant ex iis latinae Versionis locis, quibus intercepta Graecorum interpretum verba reddita inueniantur? Sed haec tamen doctrinae Hebraicae auxilia qui arcessere inde sollerter, scienterque iis uti velit, eum, sponte intelligitur, non debere esse tironem linguarum veterum, sed diu iam in earum studio, magnaque diligentia versatum; eum debere accuratae lectionis assiduitate, et usum loquendi Latini interpretis imbibisse, et rationem, quam interpretum Graecorum quisque in conuertendis verbis Hebraicis tenuerit, cognouisse; eum denique debere omni artis Criticae instrumento et apparatu esse ornatum, ut verba interpretis Latini domestica et propria ab alienis et aduentitiis internoscere ac discernere valeat. Et si quis vir doctus, qui instructus esset his subsidiorum generibus, institueret, non tantum accuratius exponere has tantas Versionis Latinae utilitates, latiusque explicare, sed etiam ostendere et docere uberius, quomodo percipi illae inde et possent, et deberent: eum sperabamus praeclare meriturum esse de salute, et linguarum veterum, atque adeo omnis doctrinae liberalis, et ipsius iuuentutis bonarum litterarum cupidae. Eo enim futurum esse videbamus, ut adolescentes liberales, et verae laudis siti flagrantes, si discerent, quam utilis et fructuosa esset huius Versionis lectio, cognoscendae eius studio et cupiditate incenderentur eiusmodi, quae noua cotidie nutrimenta caperet, neque unquam extingueretur: et, si accepissent, quibus quantisque adiumentis et auxiliis instructi esse deberent ii, qui tantos illos fructus petere inde et percipere vellent, serio constituerent subsidia ista persequi omni studio et contentione, neque de industria quidquam prius remittere, quam ea consequuti essent, hoc est, omne tempus, omnem operam, curam omnem, ponere in comparanda litterarum Latinarum et Graecarum et Hebraicarum iusta idoneaque scientia. Quibus quidem inuitamentis, et vero etiam inci-

 ta-

tamentis iuuenilis diligentiae et assiduitatis, eo magis opus est nostra aetate, quo latius manant cotidie venena blanda illa quidem, sed dira et crudelia, desidiae et negligentiae, quibus vernacula multorum stultitia, et famelica leuitas, extinguere audet atque perdere omnes ingeniorum liberalium virtutes.

Nos vero, relictis his partibus aliorum doctrinae et grauitati, docere paulo diligentius et uberius conabimur, quam utilis et salutaris esse possit lectio Versionis Latinae studiosa tironibus sacrarum litterarum iis, qui velint cognoscere et imbibere rationem, qua versandum sit in libris diuinis Hebraice scriptis in Latinum ita conuertendis, ut exspectationi et cupiditati lectorum humanorum satisfiat. Nam hanc ipsam disputationem non modo utilem fore speramus disciplinae liberalis alumnis, quorum maxime caussa etiam hi a nobis libelli eduntur, quum ad eam intelligendam tantum docilitate quadam ingenii et discendi cupiditate opus sit; quibus virtutibus nec tirones carere debere, quis neget? sed etiam admodum necessariam videmus, quum vulgaris illa ratio, qua utuntur magistri scholarum, et alii, in oratione Hebraica scriptorum diuinorum Latine explicanda, reperiatur et religioni Christianae, et discipulorum studiis perniciosissima. Etenim quum verba Hebraica non tam illustrentur verbis Latinis, quam obscurentur etiam magis, ut, quid dixerint sriptores diuini, nemo fere consequi nec coniectura ullo modo valeat: fieri non potest, quin adolescentes, qui elegantia et puritate sermonis Latini assueti sint, a legendis libris Hebraicis, atque adeo a cognoscenda ipsa doctrina diuina, deterreantur. Et profecto si interpretes librorum Graecorum et Latinorum vernaculi eandem rationem sequerentur ac tenerent in scriptis utriusque linguae in sermonem patrium conuertendis, ea neque intelligere quisquam posset, neque attingere cuperet. Plerique enim in libris Hebraicis Latine interpretandis ita versantur, ut primo verba Hebraea singula, fere omnibus lo-

cis

cis, reddant iisdem verbis Latinis, hoc est iis, quae unam alteramue notionem habeant cum verbis Hebraeis communem, atque adeo verbis Latinis nouos tribuant inusitatosque significatus: deinde in explicandis loquendi formulis, omninoque verbis iunctis, persequuntur eorum naturam et numerum, ordinem et structuram retinent, ut substantiua nomina eiusdem generis nominibus reddant, particulas nominibus verbisue iunctas exprimant particulis, usu et consuetudine Latina neglecta, nihil demant, nihil addant, adiuuandae perspicuitatis caussa; ita ut iunctura verborum laboret iis vitiis, quibus mens Latinae pulcritudinis usu assuefacta impediatur, ne sententiam orationis Hebraicae reperire et perspicere ullo modo possit: denique, in coniungendis coagmentandisque membris et partibus orationis regulam et normam Hebraicae consuetudinis adhibent, non Latinae, ita ut tota oratio formam referat et faciem peregrinam atque barbaram. Iam quum talis Versio non modo nihil prodesse reperiatur tironum studiis, sed etiam multum obesse; periculum enim est, ne obscuritate eius et stultitia deterriti, tanto capiantur Hebraeae linguae fastidio et odio, ut libros Hebraicos omnes abiiciant: sane mirari quis posset, quod plerique hanc interpretandi scilicet rationem amplecterentur tanto et tam acri studio, ut non modo negligerent monita et voces alia omnia suadentium, sed etiam iis obiicerent barbarae profanaeque doctrinae studium; nisi caussae tantae illius pertinaciae et iniquitatis essent in promtu positae. Nam primo quidem plurimi eorum, qui litteras Hebraicas tractant, a studio linguae Latinae sunt ita alieni, ut, quum scientia eius idonea careant, ne possint quidem verba Hebraica explicare eiusmodi verbis Latinis, quae vim eorum et potestatem aperiant, multo minus membra orationis ita componere et coagmentare, ut structura Latina existat, et elegans: deinde multi capti tenentur eo opinionis errore, ut credant, in explicandis libris diuinis longe aliter versandum esse, quam in vertendis li-

 bris

bris humanis; quippe quum in verbo quoque, in particula quaque, in quaque syllaba verborum Hebraicorum, lateat singularis quaedam et inusitata vis, quae religiose sit verbis Latinis diligenterque reddenda. At libri diuini quibus tandem scripti sunt et relicti? nonne hominibus? Cur igitur negabimus, Deum in iis componendis Prophetas uti iussisse eiusmodi oratione, quae intelligi ab omnibus posset? cur putabimus, sententiam verborum Hebraicorum aliter inuestigari et reperiri debere; quam Graecorum Latinorumque verborum potestatem? cur existimabimus, in libris Hebraicis in Latinum conuertendis alias leges, alia praecepta, sequenda esse, quam quae interpretes librorum Graecorum et Latinorum sequantur, in iis alias in linguas vertendis? cur persuadebimus nobis et aliis, Versionibus Latinis librorum diuinorum his, quae ob verborum obscuritatem a nemine intelligi queant, ob nouitatem orationis et insolentiam ab omnibus contemnantur, summae religionis Christianae plus consuli, quam iis, quae ob perspicuitatem ab omnibus intelligantur, ob puritatem et elegantiam verborum cupide legantur? cur auctores earum Versionum, quae cuiuis latine docto patefaciant orationis Hebraicae sententiam, studii profanae et barbarae doctrinae, nescio cuius, accusabimus? cur vindicare audebimus doctrinae religiosae et sacrae laudem, nescio quam, conditoribus Versionum Latinarum, quae intelligentiam librorum diuinorum non adiuuent, sed impediant? Auctor quidem Versionis Vulgatae, qui nemini fuit doctrinae barbarae studii nomine unquam suspectus, etsi et ipse fere sequutus reperitur eam rationem, quae nunc tantopere probatur et placet multis, pueris et tironibus digniorem, quam magistris et viris: tamen innumeris locis persequutus est, praeeuntibus Graecis interpretibus, eam orationis perspicuitatem et elegantiam, quam si imitarentur omnes librorum Hebraicorum interpretes Latini, praeclare sane consulerent studiis et commodis iuuentutis ingenuae, et ipsius religio-

nis

nis Christianae saluti. Neque enim modo verba singula expressit verbis iis, quibus excitarentur in mente lectorum qui Latine scirent, imagines et species earum rerum, quae verbis Hebraicis significantur, sed etiam in formulis dicendi, omninoque verbis iunctis reddendis, ita versatus est, membra orationis et partes ita coniunxit inter se et copulauit, ut totum eius corpus formam faciemque Latinam referret. Quae quidem hominis doctrina et diligentia salutaris ut magis pateret omnibus; ut Versionem eius Latinam cuncti viderent esse praeclaram magistram verae legitimaeque rationis Hebraea in Latinum conuertendi; ut disciplinae liberalis alumni auocarentur a vulgari illa et trita ratione; non tam illustrandae, quam obscurandae orationis Hebraicae; imitarenturque ad Versionem Vulgatam non minus, quam ad ipsos libros Hebraicos, studiose legendos: visum est nobis, praecepta cuiusque generis quaedam, non omnia, longum enim hoc foret et prope infinitum, libellis nonnullis proponere; quae sequutum esse interpretem illum Latinum appareret, et ad quorum normam dirigi oportet operam eorum, qui vellent Versiones librorum diuinorum Latinas componere eiusmodi, quae libenter ab omnibus cupideque legerentur; et legum illarum quamque exemplis aliquot egregiis, vel confirmare, vel illustrare.

In conuertendis igitur verbis Hebraicis singulis, interpretes Latini diligenter videre debent, ut, usus loquendi Latinorum admonitu, deligant loco quoque ea verba, quibus excitentur in mente lectoris Latine docti imagines et formae earum rerum, quas menti scriptorum diuinorum obuersatas esse appareat, atque adeo studiose cauere, ne sequantur et imitentur stultitiam eorum, qui Hebraica reddere audent verbis Latinis eiusmodi, quae impressas ostendant notas originis eorum: ita ut noua ipsi verba fingant contra omnes saepe analogiae leges, quique eadem verba Hebraica interpretari omnibus locis instituunt iisdem verbis Latinis,

nis, ita, ut oratio exiſtat barbara et contaminata iis verbis, quae, ob nouitatem et inſolentiam poteſtatis, intelligi a nemine ullo modo poſſint. Quo quidem barbariſmi vitio etſi interpretis Latini veteris opus laborare reperitur innumeris locis: tamen nec eius rationis exempla, quae perſpicuitatem et proprietatem orationis perſequitur, rara ibi et infrequentia apparent. Haec igitur exempla conquirere ſtudioſe, et diligenter intueri, et imitari ſolerter oportet eos, qui verba Hebraica ſingula velint Latine ita explicare, ut interpretatio eorum probetur et placeat lectoribus doctis et humanis. Cuius elegantiae et munditiei ſtudium ut excitetur maxime in adoleſcentum liberalium animis; ut habeant omnes regulam, ad quam dirigant ſuam hoc in genere induſtriam et diligentiam: hanc interpretis Latini curam et doctrinam ita demonſtrabimus, ut exempla eius nonnulla egregia afferamus, quorum excellentia utili cognita, ipſi reliqua indagare inſtituant. Initium diſputationis ducemus a nominibus: inde ad verba et particulas proficiſcemur.

Poteſtas nominis חַיִל, quod proprie de *robore* et viribus, ἰσχὺν, corporis uſurpatum videtur, tam late patet, ut complectatur ea omnia, quorum auxilio effici aliquid et parari facile poteſt; cuius generis res Latini ſignificare *opum* nomine ſolent, veluti milites, diuitias, virtutem quamcunque. Joabus quidem, filius Seruiae natu maximus, in Commentariis Samuelis [a]) vocatur שַׂר־הַחַיִל. Jam eum e re ipſa, tum ex aliis locis librorum diuinorum,[b]) quibus idem Joabus dicitur שַׂר הַצָּבָא, apertum eſt, nomine חַיִל declarari *exercitum*, *militiam*. Quod quum videret interpres Latinus, vocabulum חַיִל intelligenter expreſſit nomine *exercitus*; nam Joabum, qui ab Alexandrinis Judaeis inepte dicitur ἄρχων τῆς ἰσχύος, nominat eleganter *principem exercitus*, hoc eſt, *praetorem*, *imperatorem*, quem ipſum alibi aeque ſcienter appellauit *principem militiae*

a) 2 Sam. 24, 2.
b) 1 Regg. 1, 19.

tiae, c) ut Sisran, qui copiis Iabini, Cananitarum regis, praefuisse legitur, *magistrum militiae.* d) Sed eo loco eorundem Commentariorum, e) quo ciuitas Israelitarum perhibetur, Sauli temporibus, assidua gessisse et grauia bella cum Palaestinae populis, Saulus custodes corporis et satellites legisse dicitur כָּל־בֶּן־חַיִל. Quae ipsa res quum satis ostendat, nomen חַיִל ibi ad *virtutem bellicam* fortitudinemque referri, praeclare sane Latinus interpres eum, qui בֶּן־חַיִל vocatur, dixit *aptum ad praelium*: quem tamen nescio an *fortem* fuisset dicturus, nisi nomen גִּבּוֹר, quod eo quidem loco, haud dubie ad *vires* et *robur corporis* pertinet, de *fortitudine* accepisset, atque adeo vertisset *fortis.* Nam aliis locis, quibus idem nomen ad fortitudinem refertur, eum, qui בֶּן־חַיִל nominatur, *virum fortem* f) vocat, et eos, qui גִּבּוֹרֵי הַחַיִל dicuntur, appellat *fortes manu* g). Sed locis iis, quibus vocabulo חַיִל significari videret virtutes alias, ea legit verba, quibus menti lectoris afferrentur earundem virtutum imagines. Salomon quidem Adoniae, fratri germano, qui rebus nouis studuisset, sed tandem ad sanitatem rediisset, delictorumque veniam et impunitatem petiisset, hanc ei ita promitti ab amicis, suo nomine, iussisse refertur, h) אִם־יִהְיֶה לְבֶן־חַיִל. Qua in oratione manifestum est, nomine חַיִל *probitatem* et *pietatem* indicari, hoc est, eam virtutem, quae in eo posita sit, ut principi ciuitatis tuae atque regi fidem modestiamque probes; ut a studio rerum nouarum alienus, otium quietemque sequare; ut rationibus regis, et ciuium commodis, nullo modo obsis, modis omnibus prosis. Sed quum viri et ciues, hac virtute praediti, a Latinis *viri, ciues, boni* dicantur, ut a Graecis ἀγαθοί, quis non delectetur doctrina et diligentia interpretis La-

c) 1 Regg. 1, 19.
d) 1 Sam. 12, 9.
e) 1 Sam. 14, 52.
f) 1 Sam. 18, 17.
g) Iosu. 1, 14.
h) 1 Regg. 1, 52.

Latini, qui eum, qui Hebraice בֶּן־חַיִל dicitur, *virum bonum* appellauit? Quae eius interpretatio etiam eo confirmatur, quod interdum i) nomini הֶחָיִל absolute posito opponuntur בְּנֵי בְלִיַּעַל, hoc est, *ciues mali* et *furiosi*, qui res nouas moliuntur. Sed eiusdem curae et elegantiae vestigia comparent in hac ipsa Versione loco historiae Ruthae eo, k) quo Boasus, necessarius eius et propinquus, ostendisse legitur, se paratum esse ipsam in matrimonium ducere, quod virtus ipsius nota esset et spectata omnibus Bethlehemi incolis; inducitur enim ibi cum Rutha ita agens, כִּי יוֹדֵעַ כָּל־שַׁעַר עַמִּי כִּי אֵשֶׁת חַיִל אָתְּ. Hic quum nomen חַיִל ad mulierem, eamque viduam, referatur, dubitari non potest, quin omnes eo virtutes, quae mulieres viduas ornant, significentur, hoc est, sanctitas et castitas, pietas in socerum socrumque et maritum mortuum, diligentia et parsimonia, prudens etiam industria, et laboris patientia. Quae mulierum viduarum ornamenta omnia recte comprehendi uno *virtutis* vocabulo posse, quis nescit? et quum

i) Vid. 1 Sam. 10, 26. T.: quem locum Josephus Arch. 6, 5. p. 157. Bas. ita explicauit. Σαύλῳ δ' ἀπερχομένῳ εἰς Γαβαθὴν, ἐξ ἧς ὑπῆρχε, συνήρχοντο πολλοὶ, τὴν προσήκουσαν βασιλεῖ τιμὴν νέμοντες· πονηροὶ δὲ πλείους, οἳ καταφρονοῦντες αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἐχλεύαζον, καὶ οὔ δῶρα προσέφερον, οὔτ' ἐν σπουδῇ καὶ λόγῳ τὸ ἀρέσκεσθαι τὸν Σαῦλον ἐτίθεντο. Nam etsi in exemplo Alexandrinae Versionis Alexandrino legitur υἱοὶ δυνάμενοι, in caeteris υἱοὶ δυνάμεως, ut in libris Hebraicis excidisse videri possit nomen בְּנֵי: tamen, ne ita statuamus, impedit, primo reliquorum interpretum auctoritas, qui omnes הֶחָיִל simpliciter legerunt; nam Sym. habet δύναμις· Aqu. εὐπορία, Vulg. *exercitus pars*: Ionath. דַּחֲלֵי חֲטָאִין: deinde consuetudo interpretum Alexandrinorum, qui solent exprimere duo verba, quae fere coniuncta leguntur, etiam iis locis, quibus alterutrum deest: denique ipsius linguae Hebraicae leges, hae enim, intruso nomine בְּנֵי pro הֶחָיִל reponi חַיִל, eiecto Articulo, iubent. Et quis nescit, nomina virtutum ab Hebraeis saepe poni pro vocabulis eorum, quibus virtutes insunt?

k) C. 3, 11.

quum Boasus spectari in propinqua sanctitatem maxime et castitatem voluerit; quis Versionis Vulgatae auctorem reprehendere conetur, quod verba Hebraica כִּי אֵשֶׁת חַיִל אָתְּ verterit, *mulierem te esse virtutis*, hoc est, sanctam et probam? Etsi enim Latini personarum nominibus non solent, quod sciam, simpliciter casus secundos nominum virtutum vitiorumue ita adiungere, ut vim Adiectiuorum habeant; haec enim forma loquendi linguarum Orientis propria est: condonari tamen homini negligentiam istam non ingratam eo facilius posse putamus, quo magis diligentia eius accurata elucet e *virtutis* verbo, quippe quod naturam et vim Hebraei nominis חַיִל omnino referat. Sed hoc ipso vocabulo supra diximus etiam *diuitias*, facultatumque et fortunarum copiam atque abundantiam, significari. Atque hoc quidem sensu legitur eo eiusdem libelli loco, quo Rutha dicitur, permissu et auctoritate socrus, abiisse rus, ut spicas legeret, et casu venisse in agrum Boasi. Quod ut intelligeretur qui fieri potuisset, Boasus perhibetur [1]) fuisse אִישׁ גִּבּוֹר חַיִל, hoc est, interprete Latino auctore, *homo potens et magnarum opum*: quod eleganter et exquisite dictum est pro *homo diues et opulentus*. Nam etsi nomen גִּבּוֹר cum nomine חַיִל cohaerere certum est, ita, ut גִּבּוֹר חַיִל sit *valens*, *potens*, *opibus et fortunis*: tamen nec dubitari ullo pacto licet, quin verba illa separari ita, ut a Latino interprete factum est, recte possint. Hominem enim *diuitem* et beatum nemo ignorat a Latinis simpliciter *potentem* appellari: sed Adiectiuis iis, quae potestate multiplici gaudeant, quo in numero vocabulum *potens* haberi scimus, addi solere Adiectiua alia, certe alia verba, quibus vis eorum definiatur loco quoque et circumscribatur, nisi quidem iam alia eius rei indicia adsint, quem fugit? Sed studium perspicuitatis et elegantiae, quod interpres Latinus probauit in explicanda potestate varia nominis חַיִל, idem in

1) C. 2, 1.

in reddendis pluribus nominibus aliis declarasse reperitur. Nomen דָּבָר usurpant Hebraei, non modo de omni orationis genere, sed etiam de omnis generis rebus, idque propterea, quia rerum et verborum tanta est necessitudo atque coniunctio, ut verba sine rebus nasci et existere nullo modo possint. Itaque ut nomen hoc reddatur, loco librorum diuinorum quoque, verbis Latinis iis, quae ei respondeant, diligenter videre interpretes debent, num de verbis, an de rebus, positum legatur; num omnino de oratione et rebus, an de certo quodam orationis rerumue genere exponatur. Atque ad huius iudicii normam institui verborum Latinorum delectus debet. Qua in re ut versari posset tironum opera facilius et felicius, effecit ac praestitit docta Latini interpretis diligentia. Auctor Historiae Estherae quum narrasset, uxorem Hamanis et amicos ei auctores suasoresque extitisse, ut patibulum erigi iuberet, cui Mardochaeus, ipsius aduersarius, affigeretur: ipsum hominis consilium complexus est m) his verbis וַיִּיטַב הַדָּבָר לִפְנֵי הָמָן. Haec vero diuini scriptoris verba, quae Josephus, doctissimus Graecaeque elegantiae studiosissimus historicus, praeclare vertit *) *ἐπαινέσας τὴν γνώμην*, Versionis Latinae auctor aeque scienter interpretatus est, *placuitque ei consilium*. Sed eo loco eiusdem libelli, quo Ahasuerus, rex, legitur n) ab Esthera rogatus esse, ut una cum Hamane apud ipsam coenaret, Hamanemque iussisse statim arcessi, לַעֲשׂוֹת אֶת־דְּבַר אֶסְתֵּר, satis euidens est atque perspicuum, vocabulo דָּבָר *imperium* et *voluntatem* declarari. Jam vero quis desideret in Latino interprete elegantiae studium, qui orationem illam ita explicauit, *ut Esther obediat voluntati?* Et quum Ahasuerus, eiusdem Hamanis impulsu, edixisset, ut Judaei ad unum omnes, qui ipsius imperio parerent, uno die interficerentur: Judaei dicuntur

m) C. 5, 14.
*) Archaeol. 11, 6. p. 336.
n) C. 5, 5.

tur vehementer incredibiliterque luxiſſe o) בְּכָל־מְדִינָה וּמְדִינָה מְקוֹם אֲשֶׁר דְּבַר־הַמֶּלֶךְ וְדָתוֹ מַגִּיעַ. Qua quidem in oratione verbis דְּבַר וְדָת unam eandemque rem ſignificari, nempe *litteras* regis ad ſatrapas prouinciarumque praefectos miſſas, de gente et nomine Judaeorum funditus delendo, non ſolum Alexandrini Judaei atque Joſephus p) viderunt, qui verba illa Hebraica Graeco γράμματα expreſſere, ſed etiam interpres Latinus, qui, praeeunte interprete aliquo Graeco, utrumque nomen reddidit vocabulo *dogma*, hoc eſt, *edictum*: quo nomine Latino Graecum δόγμα ipſe interpretatus eſt alicubi in Lucae Commentariis q). Sed quum duo ſatellitum et cuſtodum corporis Ahasueri conſtituiſſent regi manus afferre, et Mardochaeus has iſtorum inſidias certis indiciis comperiſſet: legitur rem ſtatim omnem ad Eſtheram reginam detuliſſe. Auctor libelli ipſe uſus eſt his verbis r), וַיִּוָּדַע הַדָּבָר לְמָרְדֳּכַי וַיַּגֵּד לְאֶסְתֵּר הַמַּלְכָּה: et quum Latinus interpres videret, nomen הַדָּבָר ad rem ante commemoratam pertinere; hoc eſt, ad inſidias, quas ſatellites vitae regis facere auſi eſſent: verba וַיִּוָּדַע הַדָּבָר לְמָרְדֳּכַי vertit ſane pereleganter, *quod Mardochaeum non latuit.* Nam quis eſt, qui, ſi legat haec verba, non videat ſtatim, Pronomen *quod* idem valere, quod *quae eorum inſidiae*? Sed a libello Eſtherae redeamus ad Ruthae Hiſtoriam. Etenim eo loco, quo Bethlehemita quidam, qui Elimelecum, Naëmae maritum, maiore neceſſitudine attingeret, quam Boaſus, atque adeo potiori iure gauderet Rutham, filii Elimeleci alterius viduam, in matrimonium ducendi, conceſſiſſe hoc ius ſuum Boaſo legitur, dicitur apud Judaeos antiquitus viguiſſe hic mos s), ut, qui ius iſtud alteri cederet, is exueret ſibi dextrum calceum,

o) C. 4, 3.

p) Archaeol. 11, 6. p. 335. Baſ.: qui ipſe Joſephus eodem loco idem regis edictum dixit et γράμμα, et p. 334. πρόσταγμα.

q) Luc. 2, 1.

r) C. 2. 22.

s) C. 4, 7.

ceum, quem traderet ei, cui ius suum cederet, לְקַיֵּם כָּל־דָּבָר. Hic quum videret interpres Latinus, orationem paulo obscuriorem fore, si verba כָּל־דָּבָר redderentur Pronomine *id;* ut studio lectoris consuleretur, ut omni obscuritati et errori occurreretur, neque tamen ingenium linguae Latinae laederetur: legere ei visum est formae vocabulum, totumque illum locum ita interpretari, *ut esset firma concessi*. Atque hoc ipsum perspicuitatis studium probauit eo loco Commentariorum Josuae [1]), quo caussa commemoratur, quare deus Josuan iusserit praeputia omnium Israëlitarum cultellis lapideis et siliceis desecare. Ibi enim leguntur haec verba, וְזֶה הַדָּבָר אֲשֶׁר־מָל יְהוֹשֻׁעַ, quae Latinus interpres, vocem ipsius rei sequutus, intelligenter explicauit, *haec autem caussa est secundae eorum circumcisionis.* Sed de nomine דָּבָר satis dictum videtur. Ex iis enim, quae à nobis hactenus disputata sunt, non modo patere arbitramur, quam diligenter interpres Latinus versatus sit, supra conmmemoratis locis, in couertendo illo vocabulo, sed etiam cognosci posse a studiosis speramus, quomodo eandem hanc diligentiam imitari ipsi debeant aliis locis in eo Latine reddendo. Veniamus ad alia nomina. Vocabulo בַּיִת, non semper tota *domus*, sed saepenumero, ut apud Graecos nominibus οἶκος et οἴκημα, δῶμα et δωμάτιον, δόμος et τέγος, certa quaedam aedium pars, hoc est, *conclaue* et cubiculum *certum*, significari reperitur: quo ipso modo nemo ignorat etiam nomen חֶדֶר usurpari. Jam quum conclauia aedium et cubicula a Latinis suis quaeque vocabulis appellentur: interpretes librorum Hebraeorum Latinos oportere hoc agere, ut indagent loco quoque atque inuestigent genus conclauis, eoque reperto deligant e reliquo numero nomen id, quod consuetudo ei Latina artribuisse inueniatur, quis non intelligit? Vetus quidem interpres Latinus conclauę regiae Dauidis illud, in quo Bethsabe, mater Salomonis, legitur cum rege egisse, et quod in Commen-

1) C. 5, 4.

mentariis regum Judaeorum v) חֶדֶר dicitur, eleganter vocat *cubiculum*. Hoc enim vocabulo appellatur proprie *conclave dormitorium:* sed in conclaui illo cum Dauide versata esse perhibetur Abisace, et ipse rex in lectulo iacuisse x), adeo, ut dubitari non possit, quin nomine חֶדֶר ibi *dormitorium* indicetur. Sequutus autem Hieronymus duces videtur, aut Alexandrinos Judaeos, qui illud ipsum conclaue vocant *ταμεῖον*, hoc enim vocabulum aliis quoque locis *) redditum in Versione Latina nomine *cubiculum* extat; aut potius Graecum Interpretem eum, qui nescio an Symmachus fuerit, cuius verba exemplum Complutense Alexandrinae Versionis seruauit. In eo enim pro verbis *εἰς τὸ ταμεῖον*, quae in exemplis reliquis leguntur, habenrur verba *εἰς τὸν κοιτῶνα·* quae quin ex alia Versione Graeca petita sint, quis dubitet? Etenim, ut taceam, in exemplo Complutensi, multis aliis locis pro verbis Alexandrinorum Judaeorum substituta inueniri aliorum interpretum verba; qua de re iam nuper admonuimus y) studiosos; non solum alibi **) pro *ταμεῖον*, in Hexaplorum Origenianorum reliquiis, ex alia Versione Graeca, nescio qua, *κοιτὼν* afferri videmus, sed etiam in Hesychiano Glossario extare scimus glossam, haud dubie ex illo ipso loco Alexandrinae Versionis sumtam, hanc: *ταμιεῖον· κοιτῶνα.* Jam vero in Glossario isto verba interpretum Alexandrinorum, constat z), fere verbis aliorum interpretum Veteris Testamenti explicata legi. Porro illo Historiae Estherae loco a), quo regina refertur ad Ahasuerum

v) 1 Regg. 1, 15.
x) 1 Regg. 1, 47.
*) Matth. 6, 6.
y(Prolus. de Versf. Grr. Malach. scientiae litt. Hebrr. et Grr. adiutricibus p. 11. s.
**) Gen. 43, 30. Iudd. 15, 1.
z) Vid. Proluss. de Versf. Grr. p. 196. et Specim. Clauis Versf. Grr. p. 12. Exempla ibi laudata augeri possunt hoc. Hesychius: ἐνεκαλλον· ἀνηρεύναν. Glossa sumta est e Vers. Alex. Ps. 76, 6: glossema est e Vers. Alex. Ps. 76, 6: glossema est verbum Symmachi.
a) C. 5, 1.

rum ſponte nec vocata adiiſſe, rex dicitur in ſolio ſediſſe בְּבֵית הַמַּלְכוּת. Ibi autem res ipſa oſtendit, vocabulo בית indicari *conclaue*, in quo rex operam dederit petentibus, conſulentibus, ſalutantibus: quod interpres Latinus, e more loquendi ſuorum temporum, eleganter *conſiſtorium palatii* *) appellauit. Qui ipſe interpres, eodem loco b), nomen מַלְכוּת recte accepit de *veſtimentis regalibus;* quippe quum vel verbum וַתִּלְבַּשׁ doceat quemque, nomen מַלְכוּת idem valere, quod verba לְבוּשׁ מַלְכוּת, quae alio eiusdem libelli loco c) de *ornatu* et veſtitu ipſius Ahasueri leguntur. Aeque eleganter interpretatus eſt idem homo nomen גָּג in Commentariis Joſuae d), ubi exploratores duo, Hierichuntem publice miſſi, deuertiſſe perhibentur domum Rachabae copae, ſed ab ea ſeducti eſſe גַּגָּה ibique ſub lino calamorum faſciculis occultati. Vocat enim iſtam aedium partem *ſolarium*. Nam quia tecta domuum in ciuitatibus orientalibus aequa erant et plana, ſed loricis cincta et munita, adeo, ut ſoli omnino paterent: nullum ſane exquiſitius poterat, nec ad exprimendam illam tectorum formam et ſpeciem accommodatius vocabulum legi quam nomen *ſolarium.* Qua quidem obſeruatione non parum illuſtrantur verba Iſidori Hiſpalenſis ſatis obſcura, qui libro Originum quinto decimo e), *Solarium,* inquit, *quod ſoli et aurae pateat, qualis fuit locus, in quo Dauid Berſabeam lauantem aſpexit et adamauit.* Dauides enim conſpexit feminam inambulans f) עַל־גַּג בֵּית־הַמֶּלֶךְ, hoc eſt, *in tectis regiae,* quae ab interprete Latino *ſolarium domus regiae*, a Joſepho g) *στέγος τῶν βασιλείων*, appellantur. אַשְׁדּוֹת הַפִּסְגָּה, quae in Deuteronomio h) commemorantur, non ſunt *decliuitates*, quo ver-

*) Vid. Cangius Gloſſ. Latin. h. v.
b) C. 5, 1.
c) C. 6, 8.
d) C. 2, 6.
e) C. 3. p. 1195. Gothofr.
f) 2 Sam. 11, 2.
g) Archaeol. 7, 7. p. 201. Baſ.
h) C. 3, 17. 4, 49.

verbo vulgo utuntur, immo *radices*, Phasgae montis, ut eleganter, et ad intelligendum apposite, dicuntur in Versione Vulgata. Nomen עָקֵב poni interdum, ut militare vocabulum, constat, ita, ut *agmen nouissimum* indicet, non *postremum exercitus*, quibus verbis vertitur a Simonio multisque aliis: Latinus interpres *nouissimos* dixit in Josuae Commentariis i), praeeunte Graeco quodam interprete, quem ego quidem Symmachum esse suspicor, cuius e Versione in Hexaplis Origenianis laudatur τὰ ἔσχατα. Et חֲלוּצִים vocantur, non *milites leuis armaturae*, ut idem ille Simonius in Lexico praecipit, sed *milites, qui nihil, praeter arma, gestant;* quorum humeri non premuntur graui sarcinarum onere, qui exuti quasi sarcinarum vinculis stant, vel incedunt. Ab Aquila *), qui ad primam et propriam verbi חָלוּץ notionem, ut solet, respexit, ἐξῃρημένοι dicuntur, ab Alexandrinis Judaeis, qui ipsam sibi verbi Hebraici vim reddendam Graecis nominibus censuissent, nunc ἐνωπλισμένοι k), nunc ὁπλῖται l), etiam εὔζωνοι m), appellati reperiuntur. Quorum quidem Graecorum interpretum auctoritatem sequutus interpres Latinus, istos milites non modo *armatos* nominat, sed etiam *expeditos* n), idque ad Latinam rationem perquam accommodate. כַּנְפֵיךָ eo loco libelli Ruthae, quo haec ipsa femina refertur o), socrus suae admonitu, ad Boasum, qui epulatus somno se dedisset in area iux-

i) C. 8, 13.
*) Deuter 3, 18.
k) Numerr. 32, 30. 32. — Vnde etiam Numerr. 32, 17. et Deut. 3, 18. pro ἐνοπλισάμενοι, quod est in libris editis, reponendum videtur ἐνωπλισμένοι ut scriptum legitur in Cod. Coislin. Deut. d. l. et Numerr. d. l. in Cod. Lips., cuius librarius scripsit ἐνοπλισμένοι quae scriptura quodammodo ostendit originem lectionis ἐνοπλισάμενοι.
l) Numerr. 32, 21.
m) Josu. 4, 13. Hesychius: εὔζωνοι· εὔοπλοι, ἔνοπλοι.
*) Numerr. 32, 30. 32.
n) Deut. 3, 18.
o) C. 3, 9.
*) Vid. omnino Salmasius ad Tertul. Pallium p. 110. sq.

iuxta aceruum granorum extritorum, ſuſpenſa digitis acceſſiſſe, ad pedes dormientis ſe proieciſſe, ſomnoque excitum rogaſſe, פָּרַשְׂתָּ כְנָפֶךָ עַל־אֲמָתֶךָ non ſunt *orae, extremitates, veſtis*, ſed ipſum *pallium.* Nam pro כְּנָפֶךָ legi haud dubie כְּנָפֶיךָ debet, ut diſerte ſcriptum extat in quatuor Codicibus, Helmſtadienſi, utroque Regiomontano, et Vuagenſeiliano altero: quam ſcripturam res ſane ipſa confirmat. Nam pallia erant veſtes quadratae, non rotundae, atque adeo, a parte aduerſa, in medio apertae, ita, ut duas ab utroque latere partes haberent, quae referrent ſpeciem alarum auium. Quam ipſam ob cauſſam partes iſtas apparet ab Hebraeis כְּנָפַיִם, a Graecis πτέρυγας et πτερύγια *), dictas eſſe. Ruthia igitur, rogans Boaſum פָּרַשְׂתָּ כְּנָפֶיךָ עַל־אֲמָתֶךָ, operiri voluiſſe intellegitur ipſo eius *pallio*; quo nomine nomen Hebraicum כְּנָפַיִם ſcienter expreſſit Latinus interpres; hoc eſt, ab eo in matrimonium duci, ut recte interpretatus eſt locum Chaldaeus Paraphraſtes. Vertit enim verba illa Hebraica ſic, וְיִתְקְרֵי שְׁמָךְ עֲלַי מֵאתָךְ לְמִסְבִּי לְאִנְתּוּ׃ Et quum lingua Hebraica admodum referta ſit iis nominibus, quae in Singulari numero multitudinem ſignificent; Priſcianus reliquique Grammatici *Collectiua* vocant: neque in hoc genere verborum explicando immemor reperitur fuiſſe Verſionis Latinae auctor praecepti ſupra a nobis propoſiti. Nam בָּקָר nominat, modo *armenta boum*, modo *vitulos*; צֹאן nunc *ouium greges* dicit, nunc *arietes*; שׁוֹר vocat *boues*; מְרִיא *pinguia* appellat p). Sed de ſingulis nominibus, pro inſtituto noſtro, ſatis expoſitum videtur.

p) Vid. 1 Regg. 1, 9. 19. 25.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXXIII.

JACOBI MAKNIGHTI S. T. D. COMMENTARIus Harmonicus in IV. Euangelia, secundum singulorum ordinem proprium dispositus. Ex Anglico latinum fecit, notas et alia nonnulla adiecit, A. F. RUCKERSFELDER, S. Th. D. eiusdem et LL. OO. P. P. Daventr. TOMUS I. continens praecognoscenda et ipsam Harmoniam.

Bremae et Dauentriae 1772. octonis.

Celebre Maknighti nomen, et Opus eius praeclarum, quoniam ab omnibus, qui veram accuratamque libros diuinos interpretandi cognitionem sibi compararunt, iustissimis laudibus iamiam effertur, haud dubie nostra non eget commendatione; nostri tamen officii est, ut omnes laudes in doctissimum Ruckersfelderum, qui hoc opus noua atque adeo splendidissima veste exornauit, congeramus. Profecto institutum eius iam admiraremur, si Commentarium hunc, quoniam pauci linguam anglicanam callent, latinum modo fecisset; sed in eo non acquieuit, verum etiam Librum hunc multis in locis meliorem reddere studuit. Sic excerpta prolixiora ex Shawio aliisque, quibus Maknightus in Dissertationibus de Judaeorum Antiquitati-

bus est usus, ita in compendium redegit, ut sensum modo retineret. Quod deinde ad Versionem latinam attinet, eam ex textu authentico elaborauit, ita tamen, ut eam inter varias lectiones eligeret, quam pro optima haberet, de quibus in notis rationem reddere promisit. Porro etiam Pericopas longiores, ubi facti cuiusdam apud unum Euangelistam est mentio, contraxit, earumque initium et finem tantum indicauit. Deinceps ea, quae inter se conueniebant, verba, ex uno tantum Euangelista repetiit. Denique ipse II. Tractatus addidit, alterum de Affectione daemoniaca, alterum de Tentatione Jesu, quibus annexuit Epitomen ex Salomonis van Till Dissertatione, de anno, mense et die Christi natali.

His de Ruckersfeldero V. Cl. praemissis, ad accuratiorem ipsius Operis partitionem et descriptionem nos conuertimus. Post Praefationem statim VIII. Obseruationes, quae quasi praeparationem ad Harmoniam Euangelicam continent, saltem eo consilio conscriptae sunt, sequuntur. Quas deinde quaedam Dissertationes de Antiquitatibus Judaicis, aliisque ad rem pertinentibus rebus excipiunt. Denique ipsam Harmoniam habemus.

Primum, si Obseruationes accuratius consideremus, tres earum non tam ad praeparationem, quam potius ad ipsam Euangeliorum explicationem pertinere videntur: quibus fortasse annumeranda est Obseruatio V. de Antiquitatum cognitione necessaria, ut Historias sacras intelligere possimus. Porro Obseruatio VII. quae quatuor capitibus absoluitur: 1. de ordine, 2. de tempore editorum Euangeliorum, 3. de scopo Euangelistarum in ea scriptione, 4. de Auctoribus ipsis. Denique Obseruatio VIII, Historiam Euangelicam fide dignam esse. Has III. obseruationes, nisi nostrum iudicium plane nos fallit, ad finem usque Operis potius seruare oportebat. Sed hoc leue est: mittamus igitur, videamusque potius reliquarum summam. Prima inscribitur, de Verbis, Phrasibusque, quibus Scriptores θεόπνευστοι sunt usi; Secunda, de factis et euentibus quorum Euangelistae faciunt mentionem; Tertia, de ordine quem

quem ſequuntur, et ratione, quam Auctores θεόπνευστοι in connectendis variis partibus obſeruant; Quarta de caſibus ſimilibus; (probe tenendum eſt, Maknightum, quod etiam plerique doctorum concedunt, pro certo accipere, Euangeliſtas in Commentariis ſuis ordinem temporis ſeruaſſe, quem propterea ubique, tribus modo locis exceptis, retinuit. Hanc autem hypotheſin in hac IV. Obſeruat. argumentis ſatis idoneis firmauit atque ſtabiliuit) Sexta, de iudicio, quod de opinionibus, nullo, niſi traditionis, fundamento, nixis, ferendum ſit. Omnes has obſeruationes diligenter elaboratas aduertimus, nec dubitamus, quin ii, qui ad Euangeliorum interpretationem accedant, multum inde fructum capere poſſint. Verum enim vero A. non admodum bene huic rei, conſuluiſſe videtur eo, quod theſin palmarem ex natura rei atque uſu loquendi Scriptorum Graecorum et Latinorum illuſtrare et firmare omiſerit. Etenim, hoc neglecto, Canones harmonici fide digni et utiles non poſſunt componi. Nos profecto, cur Auctor id neglexerit, vehementer miramur, quum tamen ignorantiae accuſare eum non poſſimus. Nam interdum ex ſcriptoribus profanis exempla attulit, uti Obſeru. III. ex Polybio, Liuio, Tacito, Suetonio, Xiphilino aliisque; ſic etiam in Obſeruat. V. ubi loquitur de ratione diem diuidendi apud Romanos uſitata, ad Plinii H. N. et iunioris Epiſtolam ad Caluiſium, [quae eſt libr. III ep. 1.] ad Varronem aliosque prouocat.

His nunc perluſtratis, eodem animo ad Diſſertationes, quae ſequuntur, atque lectu digniſſimae ſunt, tranſibimus. Earum numerum Maknightus nuper, quum ſecundam huius Commentarii harmonici editionem in lucem ederet, ſex nouis auxit atque ornauit. Capita ſingularum iam breuiter indicabimus. Prima agit de Cenſu Luc. XI. 1. Secunda, de morte Herodis. Quilibet, qui difficultates chronologicas Euangeliorum cognitas atque perſpectas habet, libenter concedet, omnes fere ex incertitudine anni, quo tandem Herodes ſit mortuus, exoriri. Nam litterae ſacrae ſimpliciter

citer mortem eius, omisso anno, quo sit consecuta, commemorant. Hinc alii quidem Regem hunc A. V. C. 750. breui ante Paschatis solemnia; alii die XXV. Nouembris eiusdem anni; alii denique breui ante Pascha sequentis anni, e vita discessisse statuunt. Cuiusque sententiae argumenta, quae partim refutauit, partim magis firmauit, A. attulit. Defendit nempe, Herodem breui ante Paschatis solemnia mortuum esse, quoniam apud Josephum de Bell. Jud. II, 20. et Antiquit. XVII, 11. narratur, Archelaum post patris fata Hierosolymis solemnia haec celebrasse. Hoc autem Pascha anni 750. V. C. fuisse, iterum ex nonnullis Josephi locis, veluti de Bell. Jud. I, 21. et Antiquit. XVII, 8. probatur. Sequitur iam tertia, de anno Tiberii XV. et aetate Saluatoris, quum Baptismo tingeretur. Magnus est dissensus inter viros eruditos, quo anno Jesus Baptismum suum susceperit. Nam Lucas cap. III, 24. tantum refert, annum XV. imperante Tiberio, hoc factum esse. Constat autem, imperium Tiberii duplex habere principium, alterum, quum Augustus eum imperii socium adsumeret, alterum, quum, Augusto mortuo, solus regnare inciperet. Quam igitur ob causam, nemo, ne noster quidem, alias in rebus chronologicis versatissimus, id tempus certo atque accurate definire ausus est. Quartae deinde Dissertationes argumentum est de initio muneris Joannis, et Praeturae Pilati in Judaea gestae.

Apud Lucam cap. III. Joannem munus docendi, Pontio Pilato Judaeae Procuratore, iam adiisse dicitur. Josephus contra, Antiquit. XVIII, 5. tradit, Pilatum, exactis in Judaea decem annis, iussu Vitellii, Romam petiisse, sed ante eius aduentum, Tiberium iam e vita discessisse. Haec ἐναντιοφανεία ab Maknigtho fere sic componitur, ut sumat, Pilatum, praeter decem annos, menses quosdam ibi permansisse, et Praeturam gessisse; concesso hoc, qnod magnam veri speciem habet, omnis dissensus tollitur. Videamus iam quintam de tempore Diss. quo templum structum esse Judaei

ad-

adſerunt Joann. II, 20. Bene hoc templi exſtructionis tempus conciliatur deſcriptione ea, quam apud Joſephum legimus. Verum Joſephus hanc rem dupliciter enarrare videtur: nam de Bell. Jud. 1, 6. ait Herodem anno regni decimo quinto templum inſtauraſſe, Antiquit. LXV, 14. autem, decimo octauo demum anno de templo inſtaurando conſilium cepiſſe. Auctor igitur putat, Judaeos templi reſtitutionem, a primo eius inſtaurandi conſilio magis, quam ab eo tempore, quo reuera manum operi Herodes admouerit, numeraſſe. In ultima tandem Diſſertatione quaeritur, quo die Chriſtus ultimam Coenam Paſchalem celebrauerit. Auctor, ponderatis utriusque ſententiae argumentis, ſtatuit, Jeſum epulum ultimum die uno ante, quam Judaeos cum diſcipulis ſuis comediſſe. Disputationem hanc maxima ex parte iuſta diligentia elaborauit A. quo effectum eſt, ut is, qui accurate de hac re ſe velit erudiri, eam tuto adire, et cum fructu legere poſſit.

Perſpectis his, nouum faſciculum Diſſertationum, in quibus, res quaedam ex Judaeorum Antiquitatibus illuſtrantur, euoluamus. In prima ſtatim de Sectis Judaeorum differit. Totum hoc argumentum in V. capita diuiditur, nec minori, quam in reliquis diligentia ab Auctore eſt tractatum. Inprimis autem cap. IV. de Herodianis, aliisque, omnium eſt lectu digniſſimum, licet quaedam, in quibus diſſentiamus, occurrant. Hanc mox excipit Diſſertatio de urbe Sichar Joann. IV, 5. Sichar igitur olim appellata eſt Sichem, quae hodie Naploſa vocatur. Sed illa urbs antiqua, Sichar, poſtea locum ſuum mutaſſe videtur. Nam Maundrellus, ut Auctor narrat, hunc locum ipſe inuiſit, urbemque in anguſta valle ita ſitam verbis depinxit, ut ab altera parte mons *Garizim*, verſus meridiem, ab altera vero *Ebal*, verſus ſeptentrionalem plagam ſit collocatus. Per hanc occaſionem A. ſuam de varia lectione Codicis Pentateuchi, litteris Samaritanis ſcripti, ſententiam explicauit. Nimirum Deutr. XXVII, 4. locus, in quo ex mandato diuino altare

 erat

erat erigendum, describitur. Judaei ad hunc locum dicunt Samaritanos textum sacrum, quoniam *Garizim* legunt, in hoc loco corrupisse. Samaritani contra, eodem modo, propter lectionem τȣ *Ebal*, accusant Judaeos. Maknightus lectionem hebraeam, fortasse presso nomine, uti iam Ruckersfelderus animaduertit, contra Kennicottum, pro Samaritanis causam agentem, acriter defendit. Tertia, quae inscribitur, de Samaritanis, nec satis accurata, nec certa videtur. Inprimis quod ad Dei cultum Samaritanorum attinet, noster, sine ullo temporis discrimine, eum plane a vero rectoque instituto alienum fuisse opinatur.

Verum enim vero, in uniuersum hoc dicere non possumus. Nam post Manassis tempora, procul dubio ad meliorem mentem Samaritani redierunt, idololatriam, saltem ex parte, deseruerunt, Prophetarum vaticinia audiuerunt atque Deo pium verumque cultum praestiterunt. Similiter nos dissentimus ab Auctore dicente: certum est Samaritanos nullum librorum sacrorum accepisse, solo Mosis Pentateucho excepto. At unde, quaeso, de Messia acceperunt? aliisque rebus ad salutem et veram Dei cognitionem necessariis, si solummodo Mosis libros legerunt? — Sed mittamus hoc, reliquasque, quarum sex supersunt, videamus, quae omnes Judaicas Antiquitates spectant; veluti de aedibus Hebraeorum, de Vestibus Orientalium, de solo Palaestinae, de climate Syriae, plantisque in ea obuiis, de moribus et ritibus Orientalium ex itinerario Shawiano, de animalibus quibusdam in Codice sacro memoratis, ex iisdem Shawii itineribus. De his omnibus vix est quod moneamus; de bonitate enim et ἀκρίβεια, nemo, lectis modo iis quae a nobis antea iamiam sunt dicta de Auctore atque proprolata, dubitare potest, nisi forte reprehendere velis propterea, quod hae Disputationes fere omnes a scopo sint alienae. At forsitan alii, angustiori librorum apparatu instructi, hoc magis laudant quam ut improbunt: igitur non est quare eum reprehendamus, sufficit monuisse. Pergimus iam ad aliam longe grauiorem et utiliorem Commentatio-

tionem, cuius lectio inprimis nostris temporibus, quibus multum de hac re disputatur, quam maxime est commendanda, scilicet de Daemoniacis, quorum in Euangelio fit mentio. Multum certe, partim ob argumenti grauitatem, partim ob sententiarum a viris eruditis prolatarum diuersitatem, interest, ut sciamus, quid noster statuerit. Summa huius disputationis respicit quaestionem: utrum daemoniaci, in Euangelio memorati, reuera fuerint a malo daemone obsessi, an vero homines morbo quodam naturali laborantes? Ante omnia Maknightus argumenta, quorum vulgo septem commemorantur, et satis nota sunt, ad priorem sententiam tuendam, protulit; deinde etiam alterius sententiae probationes addidit, ita tamen, ut semper suas dubitationes immisceret. Sub finem suam ipsius, tanquam mediam, inter duas priores, sententiam protulit. Audiamus, quae huc pertinent, verba: ex „iis, quae apud Euangelistas leguntur, patet, omnes obsessos violentiori quodam corporis morbo laborasse, e. g. epilepsia, paralysi, mania, lunatico morbo, aliisque similibus. Clarum etiam est, morbos hos operationi daemonis, clarissimis verbis, adscribi: sed, an eos naturalibus causis mediantibus, an minus, produxerit? non additur. Et paulo post, commemoratis interea exemplis, eadem pagina pergit:" nonne haec omnia magnam veri speciem conciliant sententiae, obsessiones daemonum in Euangeliis memoratas morbos fuisse, per praesentiam et operationem daemonis ad gradum quendam altiorem perductos? Haec autem noster neutiquam intellexit ita, ut semper mali spiritus in corpore obsessorum habitarint, aut adeo per influxum in eorum mentes operati sint, sed eos tantummodo aegrotantibus saepius adfuisse, morbos excitasse, interdum etiam, quale Marc. IX, 18. exemplum occurrit, ex iis locutos fuisse, contendit.

Quis autem est, qui, perlectis quidem his, nunc omnes dubitationes plane abiiciat, totamque rem ab omnibus difficultatibus liberatam existimet? Quod si verum esset, pro-

profecto Ruckersfelderus, Commentatione sua, quam nunc inspiciemus, plane inutilem laborem suscepisse videretur. Verum non licet dubitare, quin multi reperiantur qui talia desiderent, alii qui in suam utilitatem haec conuertere possint. Expositio autem ipsa huius Lucubrationis, ut inscribitur ab Auctore doctissimo, ita est comparata, ut nemini sua obtrudere, aut controuersiam omnem dirimere audeat, sed ut viam tantum monstret, de hac re accurate iudicandi. Primum igitur, morbum hunc longe rarissimum fuisse, nec alibi eiusmodi historias, fide dignas, nisi in Euangeliis et Actis Apostolicis, occurrere, probe animaduertit. Loca, quae huc pertinent, omnia collegit, simulque pro ratione et instituto quaedam illustrauit; ubi inprimis notandum est, eum ex locis iis, in quibus daemonum plurium, a Christo expulsorum, fit mentio, nullum, uti non raro fieri solet, pro huius mali frequentia argumentum ducere. Obseruato autem hoc, multae grauesque difficultates tolluntur.

Quod deinde ad naturam huius mali inuestigandam et cognoscendam attinet, eam neque ex nominum huius mali varietate, neque ex morbi descriptionibus ausus est explicare. Nam his omnibus quam diligentissime consideratis et ponderatis, nihil cognoscitur, nisi quod, ut etiam in aliis morbis fit, varia aegrotantibus huius generis fuerint symptomata, quae in alio vehementius, in alio minus redderent malum istud. Verumtamen ex hac Symptomatum diuersitate, Auctor argumentum sumsit contra eos, qui morbos naturali modo productos, sub phrasi daemoniacae passionis designari intelligique sibi persuasum habent. Recensuit igitur, ut argumentationis grauitas magis magisque appareret, ista symptomata secundum ordinem locorum, in quibus singulorum sanatorum, indicatis simul quibusdam symptomatibus, narrantur. Ex his itaque efficitur quod Vir ille doctissimus etiam in medium protulit, haec symptomata iudicium nostrum dirigere, saltem in eo dirigendo multum

prod-

prodesse posse. Perlustratis hisce symptomatibus tandem A. accedit ad quaestionem illam, quae huic prolatae interpretationi magnam speciem conciliat: nisi malum daemoniacum, inquit, aliis signis fuerit distinguendum a morbis reliquis, quam his Symptomatibus, quare non omnes omnino aegrotos dixerunt daemoniacos? — Minime tamen hac Symptomatum diuersitate, ex A. sententia, significatur, omnes morbos, quum tam varii fuerint, in iis, qui a daemone obsiderentur, immediate a daemone esse productos, sed eos interdum naturali modo exoriri potuisse, quamuis iidem a daemone tenerentur, atque actiones peragerent, ad quas a diabolo instigarentur, acute coniicitur. Nam potestas diaboli, licet hodie vehementer extollatur, ut quasi reuiuiscere videatur, semper tamen limitibus et viribus spiritus finiti est adstricta; hinc igitur clare patet, eum immediate, ac sine omni causa secunda, in corpus aut mentem hominum operari nullo modo posse, alias viribus infinitis pollere eum necesse esset: quis autem est, qui diabolum hac potentia praeditum statuat? Tuto inde noster colligit, diabolum, ea, quae in daemoniacis effecisse dicitur, nec per miracula, nec per influxum immediatum, sed per media naturalia produxisse, atque adeo hanc facultatem ne in lubitu suo quidem et arbitrio fuisse positam. Totum autem de mediis caput nititur coniecturis. Noster suam pag. 301. proposuit, verba eius sic sonant: „quid vetat, quo minus statuamus, diabolum, (cui tamen Deus, in hoc casu, hanc quoque facultatem concessit,) corpora quaedam, in sensus daemoniacorum cadentia, eo affecisse modo, ut Symptomata ad morbum accederent talia, quae ex morbi nullius natura sequerentur, quaeque spectantes, de operatione daemonis conuincerent? vel ut, mediantibus eiusmodi corporibus malum augeretur, conseruaretur, excitaretur quoque? organa loquendi, videndi etc. redderentur inepta, producerentur obstructiones vel debilitationes eorum etc. — Qui fortasse obiiciant, dici tamen in huius mali descriptionibus, diabolum in corpore obsessorum habitasse, et sic por-

ro, iis A. recte respondit, verba: *esse, habitare, sedem habere* nihil aliud significare, quam in eo *operari*, sicut *ex eo egredi* vel *eiicii* nil nisi *operari prohibere*. Imo potius, omissis omnibus aliis, A. summam rei eo redire vult, ut inuestigetur, an mala ista, sub daemoniacae passionis nomine nota, nil fuerint nisi morbi naturales, ex corruptis corporum humoribus, neruis, musculis orti, ex superstitione daemoni malo tributi? an in iis producendis, vel ad tempus aliquod continuandis, aliquae fuerint diaboli partes? Haec profecto iudicium nostrum regere possunt, qua mente etiam ab A. prolata videntur: at tot tantisque difficultatibus talis inquisitio laborat, ut certitudinem plenam exinde exspectare vix possimus; noster adeo, rei grauitatem et obscuritatem intelligens, eam instituere recusauit. Circumspecte tandem ad morbos eiusmodi, qui cum illis similitudinem quandam habere videntur, confugit. Huc primo loco exemplum Sauli, Regis, refert, 1 Sam. XVI, 14, 16, 23. ubi morbus ille malo spiritui tribuitur. Caput igitur rei in eo versatur, ut interpres quisque, qui de hac re iudicare velit, quid significent verba: רוּחַ־רָעָה מֵאֵת יְהֹוָה ante omnia diligenter exploret. Nam hinc factum est, ut alii, qui diaboli imperium ampliare et propagare contendunt, eum hoc loco statim, pro recepta opinione, huius morbi auctorem constituant, magno strepitu clamantes, verbis clarissimis רוּחַ־רָעָה dici: alii contra, et quidem multo plures, morbum naturalem, qualis est melancholia, intelligunt. Ruckersfelderus, cuius interpretatio eodem redit, duplicem huius loci explicationem proposuit, aut, ut Spiritus malus Dei, ut saepissime occurrit, pro Superlatiuo, hoc est, pro spiritu pessimo, ponatur; aut, ut eadem phrasis notet, Deum permisisse, ut affectus malus Saulum regeret, atque ad actiones prauas alliceret. Cum porro morbi huius Symptomata A. inquirit, plane nihil reperit, quod a morbo naturali modo orto sit alienum. Quae cum ita sint, quomodo Saulus cithara tranquillari potuerit, intelligimus.

Nam

Nam experientia edocti ſcimus, artem muſicam, animum triſtem, ſollicitum, anxium, quae omnia in melancholiam cadunt, omnes exhilarare atque ſedare poſſe. Similiter res etiam cum Jobo ſe habet. Fatetur A. palam, ſe in his exemplis morbum naturalem agnoſcere, quamuis fortaſſe per media naturalia, quae nos fugiunt, in eo producendo ſuas diabolus partes habuerit. Ubicunque igitur daemoniacae paſſionis exemplum ſatis certum et euidens in V. T. occurrit? quis, quaeſo, eſt, quo obſeſſorum V. et N. T. diuerſitatem non continuo animaduertat? Nihil igitur obſtat, quin affirmemus, malum hoc tantum in N. T. et Chriſti temporibus, fuiſſe uſitatum: niſi hoc concedimus, manifeſte ſapientiae diuinae iniuriam inferimus. Siquidem nullam aliam huius mali cauſam, (Deus autem nihil absque fine facit,) cognoſcere poſſumus, niſi ut, his aegrotantibus ſanandis, gloria Meſſiae in hoc mundo augeretur et illuſtraretur, eumque adeo verum eſſe Meſſiam appareret; ergo neque ante Chriſti aduentum, neque poſt eius tempora, eiusmodi miraculorum genus locum habere poterit. Nam ſublato Jeſu in coelum, miraculisque abrogatis, poteſtas quoque diabolo ad tempus conceſſa tollitur. Superſunt in hac Commentatione adhuc II. obſeruationes, lectu atque obſeruatu digniſſimae: prima contra eos, qui omnia, quae hodie ſub ſpecie daemoniacae affectionis proferuntur, exempla, ſtatim pro veris accipiunt; ſecunda, aeque grauis et utilis, ſuadet, ne veritatem huius mali, temporibus Chriſti, mendacio contaminemus.

Ordine nunc ſequitur eiusdem viri doctiſſimi Oratio, de Tentatione Jeſu, ad Matth. IV, 1-11. Luc. IV, 2-13. quae apud Dauentrienſes, cum editor Gymnaſii illuſtris magiſtratum capeſſeret, fuit habita.

Triplicem hanc Jeſu tentationem, permittente Deo fuiſſe conſecutam, atque ſaluberrimum finem propoſitum habuiſſe, nullus forſitan negauerit. Attamen ſi quis cum A. putet, hanc narrationem ſingulari ex ratione unice memo-

riae fuisse proditam, (nam diabolus iam antea Jesum aliquoties est aggressus,) ab eo nos dissentire non diffitemur. Nam diabolus haud dubie, data opera, donec Jesus vehementiori fame afficeretur, ut eo facilius ad finem sibi propositum perueniret, fraudem suam occultauit atque reticuit. Caeterum et verbum graecum, quod Euangelistae adhibent, πεινᾶν, saepenumero *valde esurire*, *fame premi*, *fatigari*, significat: igitur ἐπείνασε cum doctissimo A. in hoc loco per *demum esuriuit* vertere nollemus. — Si rem deinde ipsam consideremus, Orator non solum generalem omnium, quas Jesus in se suscepit, tentationum scopum, sed praeterea etiam specialem quendam finem assumit. Generatim scilicet, ut ex ea iustitiae morumque sanctitas Messiae appareret: speciatim vero, ut Jesus, triplici vice a diabolo affectus tentatione, demonstraret, se inter omnes mortales, ad tale opus mediatorium, quale inter Deum et homines necessarium esset, esse aptissimum, viribusque omnibus, donis et virtutibus, instructum atque praeditum, hoc est, ut inde verus Messiae character elucesceret. In primo itaque tentationis actu finis Dei proximus fuit, ut Jesus documentum ederet, se omnes huius vitae calamitates, licet grauissimae sint, sustinere posse: in secunda scena, ut maxime prudentiam suam singularem, quae necessario in Messia venturo requireretur, manifestaret: tertia tandem scena, ut declararet, quale eius regnum futurum esset. Omnes enim fere, qui Prophetarum vaticiniis fidem habebant, exspectabant, ut Messias regem terrestrem, qui vi et potentia sua Judaeos a iugo Romanorum liberaret, sese gereret; adeoque regnum visibile sibi stabiliret. At haec sententia plane omni idoneo argumento destituitur. — Auctor tamen interpretationes huius narrationis allegoricas iure meritoque reiecit. Fuerunt enim, nec hodie desunt, qui v. c. per lapidem illum, paganos suis viribus non posse conuerti, et similia, significari dicerent.

Jam

Jam quod ad Salomonis van Tillii Dissertationem, quae in Epitomen est redacta, attinet, ea in prima quidem editione non extat; verum ob argumenti coniunctionem, praetereaque rei grauitatem, Interpres latinus non dubitauit, eam mutata paullulum forma, huic Operi inserere. Praemisso Praefatiuncula, statim Epitomen illam ipsam, tribus partibus constantem, legimus. Profecto, nisi animus me fallit, de singulari Tillii in rebus chronologicis doctrina euidentissimum testimonium ea perhibet: tanta enim diligentia, tanto ingenii acumine, tantaque fide est composita, ut lectorem facile ad suam sententiam, licet sit paradoxa, trahat atque abripiat. Prima parte, vulgaris, de natiuitatis Christi tempore, sententia, pro incerta declaratur; secunda deinde propius ad rem accedit, dicitque, hanc rem a difficultatibus, quibus impedita tenetur, non, nisi perspectis atque definitis accurate Herodis M. temporibus, absolui atque liberari posse. Cuius igitur mortem, in qua totius rei cardo versari videtur, ad annum Julianum XLII. et d. VII. Cisleu h. e. XXV. Nouembris refert. Jam tertia parte suam de tempore natiuitatis Christi sententiam proponit, quae breuiter haec est: mortuo a. d. XXV. Nouembris Herode, Josephus cum Maria et Jesu, diuinitus de reditu monitus, statim die sequente, (non ante, sed exacte a. d. XXVI. Nou.) reditum ex Aegypto per Hierosolymas Nazarethum suscepit. Jam Hierosolymis Mariam, Sacra, ex lege praescripta Leu. XII, 2—6, stato die celebrasse constat. Nazarethum autem Hierosolyma tridui itinere distat. Si igitur Maria stato die, h. e. die XLIII, sacra fecit, Jesus XLIV. in patriam iterum est reuersus. Inde colligimus, inquit A. si iter ex Aegypto per Hierosolymam Nazarethum decem expleuit dies, Christum decimo ab Herodis morte, seu Archelai initio, die, natum fuisse dies XLIV, seu, quod idem est, natum esse Jesum a. d. XXII. Octobris anni Juliani XLII. Decimus enim Archelai est V. Decembris a XXV. Nouembris numerandus, a quo retrogrado nume-

 ro,

ro, XLIV, est d. XXII. Octobris. Sed vero etiam A. quasdam obiectiones, quibus hanc sententiam magis studet fulcire, proponit atque remouet. Quod vero reliquum est, partim quod sine dubio van Tillii Dissertatio Lectoribus doctissimis nota dudum est; partim etiam, quoniam nostrum tantum erat indicare, quae essent Maknighti et Ruckersfelderi, praetermittimus. Finitis igitur Harmoniae Prolegomenis, finem quoque narrationi nostrae ponimus. Sequitur quidem nunc Harmonia ipsa, sed de ea, pace tua, Lector, ad partem secundam rationem reddemus.

ANACREONTIS TEII CARMINA GRAECE E recensione Guilielmi Boxteri, cum eiusdem, Henr. item Stephani atque Taneguidi Fabri notis: accesserunt duo Sapphus Odaria, et Theocriti Anacreonticum in mortuum Adonin. Iterum edidit Varietatemque lectionis cum suis animaduersionibus, et Anacreontis fragmenta, adiecit JOH. FRID. FISCHERUS.

Lipsiae, sumtu Joh. Godofredi Mülleri A. C. CIƆIƆCCLXXVI. 8. 1 Alph. 4 plagg.

Cum diuenditis fere superioris editionis exemplis, post viginti et unius anni tempus, ab librario redemtore ad repetendam Anacreontis carminum curam vocatus esset vir Celeberrimus, ita sibi hac opportunitate utendum esse putauit, ut quae pollicitus esset se praestiturum in ista editione redintegranda, ea fideliter liberaliterque perficeret. Etenim non tantum, quibus voluerat illam priorem editionem, si temporis ratio permisisset, ornamentis instructam esse, iis hanc nouam carere non passus est; sed etiam alia maiora et am-

pliora addidit, quae minime dubitamus, quin elegantis accuratae que doctrinae cupidis, magno sint usui emolumentoque futura. Sed dicamus de singulis. Ac primum quidem praefationem accurate scriptam praemisit, in qua de Anacreontis Carminibus, utrum sint Poetae, an supposititia; de eorum editoribus, siue de historia istorum carminum; de eorum Interpretibus, quorum alii ex instituto, alii obiter ea explicare conati sunt, ita exponit, ut rerum cognitione dignissimarum grauitas, cum ubertate suauitateque orationis, ad argumenti propositi naturam mirifice attemperatae, concertare videatur. Profitetur autem, se non, ut quondam, ita nunc quoque, sentire de hisce odariis, quae etsi non omnia, tamen maximam partem Anacreonti auctori vindicabat, ratus, non alienum esse ab adolescentis verecundi officio, magnorum quorundam virorum sententiae adstipulari potius, quam obloqui. Nam aucta aetate, et re aliquoties cogitata et perpensa, quod inter interpretandi laborem promtissimum erat, eam opinionem obsoleuisse affirmat et prorsus ex animo effluxisse. Neque vero argumenta desunt, quibus ista confirmentur, nec numero pauca, nec pondere contemnenda. Etenim primum H. Stephani, qui ea ex vetustissimo Codice, ut scribit, recepta, primus edidit, fides, in suspicionem facillime incurrit, posteaquam hominis incredibilis arrogantia et vanitas, in iactandis, quos numquam conspexisset, antiquis Codicibus, animaduersa et castigata est a viris doctis, nominatim nuper ab ipso Cel. Fischero, in praefationibus ad Theophrasti de moribus libellum, et ad Platonis dialogos: doctissimoque Reiskio in iis, quibus de laboribus suis in aliquot Graecorum librorum recenti editione prodenda exponit. Unde existimandum est, nullum fere ex his, quae a Stephano edita sunt, Odariis, Anacreonti tribuendum esse. Quomodo autem factum esse dicamus, ut ab antiquis Scriptoribus Grammaticisque veteribus, in quibus frequentissimae sunt citationes Poetarum, vel nominis claritate, vel carminis celebritate multo inferio-

rum

rum Anacreonte, ex istis quidem Odariis praeter septimum decimum, et duo versiculos duodequadragesimi, nullum laudetur? Nam illud quidem ab Gellio Anacreonti diserte tribuitur N. A. 19, 19; hi ab Hephaestione p. 16. Pau. et Scholiasta Aristophanis ad Plutum 302. eidem vindicantur. At quae ab illis laudantur, extremum in vulgatis editionibus et fragmentorum locum tenent, et sibi impressam Jonicae dialecti, quae iis ab antiquis tribuitur, et verborum ei propriorum, quas glossas Grammatici vocant, notam servant, qua ista quidem carmina, quae nunc feruntur, carent, non profecto ideo, quod vel librariorum culpa, vel recentioris aetatis consuetudo, tantum effecerit in iis ad arbitrium refingendis, quantum in alio nullo Scriptore. (Nam veterum moris, religionisque in tractandis vetustis monumentis ingenii, ignarus sit necesse est, qui, quod nostris temporibus fit a sciolis, in canticis antiqua lingua conceptis, ad recentiorem formam componendis, ad illa referat.) Sed quod haec Anacreontis sint, illa aliena. Veteres leporem his carminibus singularem tribuunt, a quibus admoniti recentiores, item admirandam venustatem et suavitatem omnes fere sibi visi sunt deprehendisse, quam nonnulli etiam hac de re scriptis libellis collaudare et commendare instituerunt. Neque tamen his effectum est, ut ea propterea Anacreontis esse putaremus. Nisi forte Anacreontis ingenio venustatis amoenitatisque laudem ita tribuimus, ut caeterorum omnium ingeniis eam denegatam ereptamque velimus. Quin etiam fateamur necesse est, ab istius tantopere celebratae et decantatae numerorum elegantiae, suavitatis, antiquitatisque possessione, procul abesse carmina ea, quae sint quaesitis consarcinata verbis Homericis, ad complenda metri hiata, cui tamen necdum ratio plurimis in locis constat: v. Od. 41, 14. et 3, 7. ὀχῆας θυρέων ἀράσσειν dixit poeta ex inepta Homerici loci Od. Φ, 47. imitatione. Nam totum hoc odarium ab Anacreonte profectum parum probabile fit, vel propter usum aoristi pass. ἐπισταθεὶς pro ἐπιστάς, vs. 6.

qui

qui recentioris cuiusdam poetae manum arguere videtur, quemadmodum nimirum σταθεὶς de pharisaeo preces faciente est apud Lucam 18, 11. Quin et Odar. 8, 9. ἄρτι pro *nunc* usurpatum nonne recentiorem auctorem prodat? Nisi tamen Moeridis Grammatici aliorumque praecepto non tenetur is, quem Poetam scimus nec Atticae, sed alterius dialecti Scriptorem fuisse. Odarii autem 15 versiculi 11—15. alieni habentur, nec verbo κυβεύειν Anacreo videtur usurus fuisse. Igitur in horum, qualia nunc habemus, Carminum repetenda editione, auctor fuit Cel. editor, ut exemplum Baxterianum, quod antea exhibitum fuerat, nunc etiam constantiae caussa totum retineretur. A quo tamen iam dudum abesse iusserat versionem latinam, non magis, quam Barnesianam probandam, cum utraque verba potius, quam sententiam sequatur, et oriunda hinc obscuritate laboret. Cum autem sciret, Baxterum multa ex ingenio immutasse, ut optio daretur legentibus, textis verborum subiecit variantes lectiones, cum ex editione principe, hoc est Stephaniana, receptas, tum ex Moreliana, Comeliniana, Barnesiana, etiam e Sylloge poetarum Lyricorum a Stephano tertium edita, nec non e Fabri et Lamii paullo rarioribus exemplis. Item lectiones codicis Vaticani, Scaligerique et Heinsii coniecturas, ex editione Barnesii sumtas. Quibus accesserunt etiam coniecturae Virorum doctorum, tanquam Canteri, Salmasii, Bosii, Dauisii, Arnaldi, Schraderi, Lennepii, aliorumque. In notis vero ipsis, quae post Baxterianam adnotationem collocatae reperiuntur, cum tradere placuisset non tantum, ea, quae ad Criticen pertinerent, sed etiam quae ad verba et formulas dicendi illustrandas valerent, visum est Indicem remouere. Ab inani labore, quem Barnesius et Baxterus hauserunt, in metri legibus constituendis prorsus alienus, id potius spectauit, quod aleret et corroboraret studium tironum in addiscendis Graecis litteris, augeretque scientiam. Quam qui acquirere velint idoneam, cum nosse debere existimaret subsidia eius comparan-

dae; Hesychii aliorumque Grammaticorum veterum Glossaria saepe laudauit. Et, ut eas glossas se non credere ex hisce sumtas probaret, loca, ad quae pertineant, Homerica fere, adscribere non neglexit. In quaestionibus de veritate lectionum, vel librorum auctoritate, vel coniecturae ope constituendarum iudicandis, partes eorum sequitur, a quibus optima, accommodatissima, et maxime probabilia quaequae, proposita et parata fuissent, commemoratisque breuiter caussis, quae repudianda sint, docet. Ubi omnia deficiunt, quae satisfaciant, ea loca nouis coniecturis emendationibusue non sollicitat: v. Odar. 30, 18. ubi vulgatam scripturam κηρωθεὶς certum esse scribit carere omni sensu, nec ullam vulneris commodam sanationem reperiri. Nobis tamen ea videbatur accipi fortasse posse pro: *implicatus haerens in libidinibus amoribusque*, tanquam in cera liquida, ut esset idem quod συνδεθῆναι Odar. 44, 10. Unam proponi meminimus coniecturam, qua Odario 38, 9. pro μελιχρὸν οἶνον legatur μελίφρον' οἶνον. In his igitur adnotationibus, quae iis, quibus Heynius, Vir Illustris, in Tibulli et Virgilii Carmine illustrando usus est, adsimiles videbantur, multa scite eleganterque disputantur et traduntur. Sed tamen existimamus, Virum Celeberrimum, quae forte in Animaduersionibus, quae nuper prodiissent in Anacreontem, Schneideri et Zeunii, Virorum Graece doctissimorum, legerentur, consulto recidisse. Unde etiam, verbi caussa, ad rariorem vocem Odarii 10, 11. παντοέρκτης, praeter Trillerianarum Obseruationum Crit. p. 6. s. citationem, nihil adnotatum reperitur. Odario autem 1, 10. λοιπὸν explicatur per *iam*, *posthac*, et sic etiam Matth. 26, 45. et Marc. 14, 41. accipiendum esse docetur. Addi poterit Bergler. ad Alciphr. p. 82. et teneri, *iam* valere idem quod *nunc*, *quare*, eamque significationem locis commemoratis aeque ac 2. Tim. 4, 8. aptam videri.

Od. 2, 7. φρόνημα non de audacia, sed de scientia et solertia tractandi arma explicatur, ob versum 10. Od. 3, 9. βρέφος

βρέφος φέροντα bene defenditur contra Stephanum ex Aristophanis Plut. 292. τέκνα ἐπαναβοῶντες. Idem confirmat Callimach. Del. 31. τέκος — ἐθελημός, eademque ratione est etiam 1. Petr. 1, 14. τέκνα — — μὴ συσχηματιζόμενοι. Eodem Odario versiculo 30. συγχάρηθι explicatur *gratulare mihi*. Est autem verbum sic accipiendum praeter Luc. 15, 6. 9. etiam Luc. 1, 58. et apud Alexandrinos Interpretes Genes. 21, 6. Inprimis clarus est locus Longi Pastor. 4. p. 142. Moll. ubi συγχαίρειν et συνήδεσθαι permutantur. Od. 4, 16. ῥόδον εἄρος μέλημα, *delicias Veris rosam* interpretatur cum Baxtero, quod huius dei caput corona rosacea cincta esset. Sane μέλημα τινὸς est *res ab aliquo amata*, ut glossa Hesychii docet, et obseruatio Roenii ad Gregorii libellum de dialectis p. 78: sed nobis videbatur rosa sic dici posse quoque ideo, quod huic flori prae ceteris, qui verno tempore prodantur, summae pulchritudinis suauitatisque dona inesse putentur, quibus intelligatur Ver ei praecipue fauere. Quod sensisse videtur Barnesius, qui *alumnam* exposuit. Odar. 8, 9. δακέθυμα λέγειν, *mordere dictis*, comparatur cum Homerico loco Il. ά, 539. ubi tamen κέρτομα dicuntur, non κερτόμια. At κερτομία est Od. ύ, 263. ubi Telemachus se profitetur κερτομιάς ἀπέχειν, *conuicia prohibiturum* ab Ulysse. Sequenti odario f. 9. Bathyllum dici τῶν ἁπάντων Κρατοῦντα καὶ τύραννον, propter insignem formam, qua vincebat tum tenebatque animos, docetur. Non praetermittimus Philonis Alexandrini verba, quae hanc sententiam illustrent, in libro Quod omn. prob. lib. p. 870. Ἤδη δέ τινες καὶ προσυπερβάλλοντες, εἰς τὐναντίον περιήγαγον τὸ πρᾶγμα, δεσπόται γενόμενοι τῶν πριαμένων ἀντὶ δούλων· ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην εὔμορφα παιδισκάρια, καὶ φύσει στωμύλα, δυσὶν ὁμητηρίοις, ὄψεως κάλλει, καὶ τῇ περὶ λόγους χάριτι, πορθοῦντα. Od. 29, 26. ἐχέτω λαλῶν docetur dictum pro λαλείτω, qua de forma loquendi, praeter laudatos ibi locos, videndus Valkenarius ad Euripid. Phoen. 712. In versu 25. et sequenti eiusdem odarii constituendo, probat coniecturam Salmasii ad Achill. Tat. p. 664. et Barnesii rationem, Μετὰ δὲ πρόσωπον, ἴσω

τὸν Ἀδώνιδος παρελθὼν ἐλεφάντινος τράχηλος, ita ut per πρόσωπον intelligantur partes oris ante commemoratae; et παρέρχεσθαι, ut Latinorum *praeterire*, et *praecurrere*, fit *vincere*, *superare*. Caeterum ibidem f. 36. αἰδῶς παφίην θέλουσα ἤδη sunt *pudenda lanata*: ἔχειν mox v. 38. *scire*, *tenere*; quam verbi vim confirmat istud Platonis Theaet. 6. ταύτην ἔχων τὴν τέχνην. Vocabulo autem ἡμίλεπτος, quod Od. 33, 10. legitur, admonemur carere Thesaurum Stephani: in eodem μελανόχρως, quod est Od. 52, 1, extare, nullius scriptoris auctoritate munitum, occurrere quoque apud Theocrit. Id. 3, 35. Odar. 39, 9. λυσιπάιγμων explicatur *laetitiae* dator, quod verbo λύειν a veteribus *dandi* et *tribuendi* notio subiecta fuerit, quod intelligatur ex usu vocabuli λυσιτελής. Hoc ipsum vocabulum unde dictum sit, disputat Socrates apud Platonem Crat. 30. et quidem ita, ut doceat, verbo λύειν inesse *promouendi siue producendi prouehendique* notionem. qua ad hoc vocabulum applicata, λυσιπαίγμων erit itidem laetitiae dator, nempe quasi qui *moueat et conciiet* laetitiam. Odar. 46, 4. ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα eleganter vertitur, *inuenustum esse*. Sic scimus aliquoties dici apud Philonem v. c. de Vit. contempl. p. 898. D, de Special. legg. p. 783. E. Ad Odar. 52, 17. laudatus Lucae locus 9, 32. non recte habet. Nam ibi est ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ, non εἰς ὕπνον. Ibidem vs. 19. ad fulciendam Fabri opinionem, qui ἄωρα putabat esse *mulierem*, e glossis veteribus profertur Ἄωρ *mulier*. Vel ipso Viro Celeb. iudice vincemus, Fabri notas paullo diligentius potuisse scribi; si tamen vocabulo constat auctoritas, duplex eius forma fuerit necesse est. Nam Lexicon Ms. Bibliothecae Coislin p. 501. habet sic: Ὄαροι, αἱ γυναῖκες, καὶ ὀάρων: cf. Glossaria Gr. Min. a Cl. Matthaei edita p. 48. Vol. 1. Od. 53, 23. σοφοὶ sunt *poetae* addi poterit Anacr. Hymn. in Apoll. v. 4. ubi σοφία est *poetica*, et Tibull. I, 4. 55. *Pieridas, pueri, doctos et amate poetas.* Ibidem versiculo 24. ἀρκεῖν est *opitulari*, quod glossa apud Hesychium demonstrat. Od. 57, 11. ὑποπίνειν esse simpliciter *bibere*, recte asseritur; iuuat tamen compa-

rasso

rasse Neronis verba apud Suetonium, Ner. 10. *Si paullum subbibisset aliquid se suffert:i tinniturum.* Nam quod Graeco sermone addit promisisse, indicare videtur, hoc ipso verbo usum fuisse. Od. 61, 1. πῶλος eleganter docetur dici de utriusque sexus hominibus libidinis notae et inexhaustae. Sed videtur tamen hoc nomen aetatulae magis, blandiendi caussa, quam moribus tributum fuisse. Quod cum Hesychii glossa demonstrat, tum Potterus ad Lycophron. 453. qui praeter eundem Grammaticum, etiam Scholiasta recentiori Aristophanis, siue, Biseto ad Lysistr. 1310. qui huius Odarii prima commemorat, utitur: cf. Doruillii Crit. Vann. p. 423. Etenim Alexandrini quoque Interpretes Prouerb. 5, 19. habent πῶλος χαρίτων, magis sequuti Graecorum consuetudinem, quam Hebraici nominis יעלה, quod ibi reperitur, significationem. Nam apud Hebraeos et Arabes solenne esse, adolescentulos et puellas comparare cum feris aliqua corporis virtute praestantibus, docuit etiam Schultens. ad Jobum p. 1114. quem iam laudauit Reiskius ad Taraphae Mollakah p. 51. Obseruatur autem, etiam hunc poetam, cum aliis, nonnunquam sequutum esse usum loquendi Hebraeorum. Dicit enim φιλολοιδόροιο γλώττης βέλεμνα Odar. 42, 12 v. Ps. 57, 5. γένος ἀμπέλου: Odar. 50, 7: νῶτα τῆς θαλάσσης: Od, 51, 4: utitur Participio φέροντες Odario 32, 2. pro φέρεις. Sed haec hactenus. Satis enim his commemorandis desiderii, ad expetendam harum Animaduersionum lectionem, lectoribus nostris accendisse credimus. At nondum enumerauimus caetera, quibus Carminum horum editionem instructam esse ostendimus. Nam praeter locos scriptorum quorumdam veterum, et nonnullorum recentiorum iudicia de hoc poeta, quibus et eius ex Suidae, Gyraldi, Borrichii, et Fabricii scriptis vita accessit, fragmenta carminum eius, a superioribus collecta, augere, et quae ad lectionem verborum constituendam pertinerent diligenter afferre instituit. At a testimoniis, ut vocantur, illud abest, quod reperitur apud Senecam Ep. 89. *In Di-*

dymi libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his libidinosior Anacreon an ebriosior vixerit, in his an Sappho Sibylla fuerit, et alia quae erant dediscenda si scires. Reliquiarum autem numerum ipse Vir. Celeb. augeri posse putat ex Veterum Grammaticorum et Glossographorum, cum editorum, tum ineditorum libris, quippe cum ab iis glossae Anacreontiae magno studio laudatae atque explicatae inueniantur; quo in numero ponit eum, cuius *συναγωγὴ λέξεων συλλεγεῖσα ἐκ διαφόρων βίβλων*, in bibliotheca Coisliniana, ut refert Montefalconius in eiusdem catalogo p. 238. exstat. Ex Anacreonticis autem eximendum esse acute docet eum versiculum, qui numero 49. ita habet: *Ἔξαιρε, παῖ, θύρακα, κἀμοὶ τὸν χοᾶ*, cum ipsius Aristophanis sit; Scholiasten autem tantum velle indicare vocabulo *θύρακες*, Anacreontem etiam alicubi usum fuisse pro *ἀκρομέθυσοι*. Id etiam Ursinum fragmm. lyrr. p. 143. vidisse monet. Deinceps leguntur Anacreontis Epigrammata, e Barnesiano exemplo, eoque antiquioribus, recepta, et in Anacreontem Epigrammata poetarum, ex Ursini libro laudato ducta. Utrique generi subiectae notae, varietatem lectionis, et doctorum coniecturas exhibent; verborum sententiarumque illustrationem non attingunt. Extremae pagellae continent explicationem Anacreontici fragmenti 27, e Sam. Petiti Miscell. Lib. VII, c. 7: Aemilii Porti Annotationes ad haec Carmina, ex editione Commeliniana 1698. et ex Taneguidi Fabri Epistolarum Criticarum Parte I. p. 160. epistola 49. ad Sapphus versus pertinens interpretandos. Neque tamen Vir Celeberrimus, qui eximiam hanc et salutarem hisce, quae Anacreontis partim sunt, partim nomen ferunt, Carminibus, operam nauasset, fateri veretur, se non perfectam et omnibus numeris absolutam editionem tradere tironibus voluisse, sed studiis eorum utilem, atque eam, quae perfecta aliquando reddi, vel sua, vel aliorum cura posset.

Δανιὴλ

Δανιὴλ κατὰ τὺς ἑβδομήκοντα ἐκ τῶν τετραπλῶν Ὠριγένους. Daniel secundum septuaginta ex tetraplis Origenis, nunc primum editus e singulari Chisiano codice annorum supra DCCC.

Romae, typis propagandae fidei MDCCLXXII. Fol. 3 Alph. 13 plag.

Fortunae cuidam aetatis nostrae debemus, quod hoc opus, per plura Secula occultatum, tandem in lucem protractum est. Constat enim, in volumine versionis graecae veteris testamenti, qua nunc vulgo utimur, exstare quidem versionem Danielis, neque tamen eam, quae ab illis septuaginta interpretibus, sed a Theodotione confecta est, cum, propter dissensum versionis Alexandrinae atque hebraici textus Danielis, haec ipsa versio Alexandrina omissa sit in hexaplis Origenis. Sed ut in tetraplis ab eodem Origene seruata fuerat, et ab Hieronymo consulta, ita venit in codicem Chisianum, unde nunc vulgata est: saltem in subscriptione codicis notatur, eum descriptum esse ex alio codice, ducto ex tetraplis.

Quaeritur, an hoc opus, quod nunc e codice promitur, sit idem illud, quod per plura secula desideratum est. Hic Editor doctissimus, cum in praefatione (p. 17), tum in notis passim docuit, in hac versione reperiri et desiderari, quae veteres in Alexandrina Danielis versione reperiri et desiderari dixerunt. Quod quidem argumentum certum est. Urget etiam hoc, chronologiam huius versionis cum reliquo Alexandrinae versionis calculo conspirare, quem omnino ab hebraico diffidere notum est; quod tamen argumentum aliis quoque ex hoc genere libris graecis et Judaeis Hellenistis commune foret. Cetera non satis firma nobis quidem videntur, veluti vocabula, versioni Alexandrinae propria aut usitata, hic quoque reperiri, regesque Persiae communi nomine

mine Artaxerxis nuncupari. Sed utamur potius beneficio, quod nacti ſumus, cum nulla cauſa ſit, quare genuinum eſſe dubitemus.

Atque ut ii, quibus nulla eſt ipſius libri conſulendi opportunitas, tamen ſcirent, qua de re ſermo eſſet, ipſique facilius examinandi periculum facere poſſent, deſcripſimus caput ſecundum fere integrum.

Καὶ ἐν τῷ ἔτει τῷ δευτέρῳ τῆς βασιλείας Ναβυχοδονόσορ
συνέβη, εἰς ὁράματα καὶ ἐνύπνια ἐμπεσεῖν τὸν βασιλέα, καὶ
2 ταραχθῆναι ἐν τῷ ἐνυπνίῳ αὐτοῦ· καὶ ὁ ὕπνος αὐτοῦ ἐγένετο ἀπ'
αὐτοῦ. Καὶ ἐπέταξεν ὁ βασιλεὺς εἰσενεχθῆναι τοὺς ἐπαοιδοὺς, καὶ
τοὺς μάγους, καὶ τοὺς φαρμακοὺς τῶν Χαλδαίων, ἀναγγεῖλαι τῷ
βασιλεῖ τὰ ἐνύπνια αὐτοῦ. καὶ παραγενόμενοι ἔστησαν παρὰ τῷ
3 βασιλεῖ. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ βασιλεύς. Ἐνύπνιον ἑώρακα,
4 καὶ ἐκινήθη μου τὸ πνεῦμα· ἐπιγνῶναι οὖν θέλω τὸ ἐνύπνιον. Καὶ
ἐλάλησαν οἱ Χαλδαῖοι πρὸς τὸν βασιλέα Συριστί· Κύριε βασιλεῦ,
τὸν αἰῶνα ζῆθι. Ἀνάγγειλον τὸ ἐνύπνιόν σου τοῖς παισί σου,
5 καὶ ἡμεῖς σοὶ φράσομεν τὴν σύγκρισιν αὐτοῦ. Ἀποκριθεὶς δὲ
ὁ βασιλεὺς εἶπε τοῖς Χαλδαίοις· Ὁ λόγος ἀπ' ἐμοῦ ἀπέστη· διότι,
ἐὰν μὴ ἀπαγγείλητέ μοι ἐπ ἀληθείας τὸ ἐνύπνιον, καὶ τὴν τούτου
σύγκρισιν δηλώσητέ μοι, παραδειγματισθήσεσθε, καὶ ἀναληφ-
6 θήσεται ὑμῶν τὰ ὑπάρχοντα εἰς τὸ βασιλικόν. Ἐὰν δὲ τὸ
ἐνύπνιον διασαφήσητέ μοι, καὶ τὴν τούτου σύγκρισιν ἀναγγείλητε,
λήψεσθε δόματα παντοῖα, καὶ δοξασθήσεσθε ὑπ' ἐμοῦ. Δηλώσατέ
7 μοι τὸ ἐνύπνιον καὶ κρίνατε. Ἀπεκρίθησαν δὲ ἐκ δευτέρου λέγοντες·
Βασιλεῦ, τὸ ὅραμα εἰπὸν, καὶ οἱ παῖδές σου κρινοῦσι πρὸς ταῦτα.
8 Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ βασιλεύς· Ἐπ' ἀληθείας οἶδα ὅτι καιρὸν
ὑμεῖς ἐξαγοράζετε, καθάπερ ἑωράκατε, ὅτι ἀπέστη ἀπ' ἐμοῦ τὸ
9 πρᾶγμα. Καθάπερ οὖν προστέταχα, οὕτως ἔσται. Ἐὰν μὴ τὸ
ἐνύπνιον ἀπαγγείλητέ μοι ἐπ' ἀληθείας, καὶ τὴν τούτου σύγκρισιν
δηλώσητε, θανάτῳ περιπεσεῖσθε· συνείπασθε γὰρ, λόγους ψευδεῖς
ποιήσασθαι ἐπ' ἐμοῦ, ἕως ἂν ὁ καιρὸς ἀλλοιωθῇ. Νῦν οὖν, ἐὰν
τὸ ῥῆμα εἴπητέ μοι, ὃ τὴν νύκτα ἑώρακα, γνώσομαι, ὅτι καὶ
10 τὴν τούτου κρίσιν δηλώσητε. Καὶ ἀπεκρίθησαν οἱ Χαλδαῖοι ἐπὶ
τοῦ βασιλέως· Ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐπὶ τῆς γῆς δυνήσεται εἰπεῖν τῷ

βασιλεῖ,

βασιλεῖ, ὃ ἑώρακε, καθάπερ σὺ ἐρωτᾷς· Καὶ πᾶς βασιλεὺς, καὶ πᾶς δυνάστης, τοιοῦτο πρᾶγμα οὐκ ἐπερωτᾷ πάντα σοφὸν, καὶ μάγον, καὶ Χαλδαῖον. Καὶ ὁ λόγος, ὃν ζητεῖς, βασιλεῦ, βαρύς ἐστι καὶ ἐπίδοξος, καὶ οὐδείς ἐστιν, ὃς δηλώσει ταῦτα τῷ βασιλεῖ, εἰ μή τις ἄγγελος, οὗ οὐκ ἔστι κατοικητήριον μετὰ πάσης σαρκός. ὅθεν οὐκ ἂν δέχεται γενέσθαι, καθάπερ οἴει. Τότε, ὁ βάσιλεὺς, στυγνὸς γενόμενος καὶ περίλυπος, προσέταξεν ἐξαγαγεῖν πάντας τοὺς σοφοὺς τῆς Βαβυλωνίας. Καὶ ἐδογματίσθη, πάντας ἀποκτεῖναι. Ἐζητήθη δὲ ὁ Δανιὴλ καὶ πάντες οἱ μετ' αὐτοῦ, χάριν τοῦ συναπολέσθαι. Τότε Δανιὴλ εἶπε βουλὴν καὶ γνώμην, ἣν εἶχεν, Ἀριώχῃ τῷ ἀρχιμαγείρῳ τοῦ βασιλέως, ᾧ προσέταξεν ἐξαγαγεῖν τοὺς σοφιστὰς τῆς Βαβυλωνίας. Καὶ ἐπυνθάνετο αὐτοῦ λέγων· Ἄρχων τοῦ βασιλέως, περὶ τίνος δογματίζεται πικρῶς παρὰ τοῦ βασιλέως; Τότε τὸ πρόσταγμα ἐσήμανεν ὁ Ἀριώχης τῷ Δανιήλ. Ὁ δὲ Δανιὴλ εἰσῆλθε ταχέως πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἠξίωσεν, ἵνα δοθῇ αὐτῷ χρόνος παρὰ τοῦ βασιλέως, καὶ δηλώσῃ πάντα ἐπὶ τοῦ βασιλέως. Τότε ἀπελθὼν Δανιὴλ εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, τῷ Ἀνανίᾳ καὶ Μισαὴλ καὶ Ἀζαρίᾳ, τοῖς συνεταίροις, ὑπέδειξε πάντα. Καὶ παρήγγειλε νηστείαν καὶ δέησιν καὶ τιμωρίαν, ζητῆσαι παρὰ τοῦ κυρίου τοῦ ὑψίστου περὶ τοῦ μυστηρίου τούτου, ὅπως μὴ ἐκδοθῶσι Δανιὴλ καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ εἰς ἀπώλειαν ἅμα τοῖς σοφισταῖς Βαβυλῶνος. Τότε τῷ Δανιὴλ ἐν ὁράματι, ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ, τὸ μυστήριον τοῦ βασιλέως ἐξεφάνθη εὐσήμως. Τότε Δανιὴλ εὐλόγησε τὸν Κύριον τὸν ὕψιστον, καὶ ἐκφωνήσας εἶπεν· Ἔσται τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου εὐλογημένον εἰς τὸν αἰῶνα, ὅτι ἡ σοφία καὶ ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ ἐστι. Καὶ αὐτὸς ἀλλοιοῖ καιροὺς καὶ χρόνους, μεθιστῶν βασιλεῖς, καὶ καθιστῶν, διδοὺς σοφοῖς σοφίαν, καὶ σύνεσιν τοῖς ἐν ἐπιστήμῃ οὖσιν. ἀνακαλύπτων τὰ βαθέα καὶ σκοτεινὰ, καὶ γινώσκων τὰ ἐν τῷ σκότει καὶ τὰ ἐν τῷ φωτὶ, καὶ παρ' αὐτῷ κατάλυσις. Σοὶ, κύριε τῶν πατέρων μου, ἐξομολογοῦμαι καὶ αἰνῶ, ὅτι σοφίαν καὶ φρόνησιν ἔδωκάς μοι, καὶ νῦν ἐσήμανάς μοι, ὅσα ἠξίωσα, τοῦ δηλῶσαι τῷ βασιλεῖ πρὸς ταῦτα. — — — — Τοῦτο τὸ ὅραμα. Καὶ τὴν κρίσιν δὲ ἐροῦμεν ἐπὶ τοῦ βασιλέως. Σὺ, βασιλεῦ, βασιλεὺς βασιλέων, καὶ σοὶ ὁ κύριος τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν βασιλείαν καὶ τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δόξαν

ἔδωκεν ἐν πάσῃ τῇ οἰκυμένῃ. Ἀπὸ ἀνθρώπων, καὶ θηρίων, ἀγρίων, καὶ πετεινῶν ὀρανῦ, καὶ τῶν ἰχθύων θαλάσσης, παρέδωκεν ὑπὸ τὰς χεῖράς σε, κυριεύειν πάντων· σὺ εἶ ἡ κεφαλὴ ἡ χρυσῆ. Καὶ μετὰ σὲ ἀναςήσεται βασιλεία ἐλάττων σε, καὶ τρίτη βασιλεία ἄλλη χαλκῆ, ἣ κυριεύσει πάσης τῆς γῆς. Καὶ βασιλεία τετάρτη ἰσχυρὰ ὡς ὁ σίδηρος, ὥσπερ ὁ σίδηρος ὁ δαμάζων πάντα, καὶ ὡς ὁ σιδηρὸς πᾶν δένδρον ἐκκόπτων. Καὶ σεισθήσεται πᾶσα ἡ γῆ. Καὶ ὡς ἑώρακας τὲς πόδας αὐτῆς καὶ τὲς δακτύλες, μέρος μέν τι ὀςράκε κεραμικῦ, μέρος δέ τι σιδήρε, βασιλεία ἄλλη διμερὴς ἔςαι ἐν αὐτῇ, καθάπερ εἶδες τὸν σίδηρον ἀναμεμιγμένον ἅμα τῷ πηλίνῳ ὀςράκῳ. Καὶ οἱ δάκτυλοι τῶν ποδῶν μέρος μέν τι σιδηρῦν, μέρος δέ τι ὀςράκινον· μέρος δέ τι τῆς βασιλείας ἔςαι ἰσχυρὸν, καὶ μέρος τι ἔςαι συντετριμμένον. Καὶ ὡς εἶδες τὸν σίδηρον ἀναμεμιγμένον ἅμα τῷ πηλίνῳ ὀςράκῳ, συμμιγεῖς ἔσονται εἰς γένεσιν ἀνθρώπων, ἐκ ἔσονται δὲ ὁμονοῦντες, ὔτε εὐνοῦντες ἀλλήλοις, ὥσπερ ὐδὲ ὁ σίδηρος δύναται συγκραθῆναι τῷ ὀςράκῳ. Καὶ ἐν τοῖς χρόνοις τῶν βασιλέων τέτων ςήσει ὁ θεὸς τῦ ὐρανῦ βασιλείαν ἄλλην, ἥτις ἔςαι εἰς τὲς αἰῶνας, καὶ ὐ φθαρήσεται, καὶ αὕτη ἡ βασιλεία ἄλλο ἔθνος ὐ μὴ ἐάσῃ, πατάξει δὲ καὶ ἀφανίσει τὰς βασιλείας ταύτας, καὶ αὐτὴ ςήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. Καθάπερ ἑώρακας ἐξ ὄρες τμηθῆναι λίθον ἄνευ χειρῶν, καὶ συνηλοίησε τὸ ὄςρακον, τὸν σίδηρον, καὶ τὸν χαλκὸν, καὶ τὸν ἄργυρον, καὶ τὸν χρυσὸν· ὁ θεὸς ὁ μέγας ἐσήμανε τῷ βασιλεῖ τὰ ἐσόμενα ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. Καὶ ἀκριβὲς τὸ ὅραμα, καὶ πιςὴ ἡ τέτε κρίσις. — — —

Satis videtur, cognita hac particula, in uniuerſum iudicari poſſe, quae ſit verſionis huius indoles, quid diſtet a Theodotionica, quid addatur, omittatur, aliter exprimatur. Et quamquam nemo quaerit, quam bene graece huiusmodi verſiones factae ſint, quas omnes conſtat hebraismis intertextas eſſe: in multis tamen Alexandrinam paulo liberiorem in deferendo hebraismo eſſe, non fruſtra quis exiſtimet.

Maiora vero et notabiliora additamenta haec ſunt: Aſariae hymnus, et alter ille Danielis atque ſociorum, inſertus uterque capiti tertio (quamquam de hoc additamento, quod quiuis ſponte exſpectat, vix monendum erat): porro hi-

historia Susannae, quod est caput tertium decimum, et narratio de Belo, quae caput quartum decimum absoluit. Utriusque narrationis textus multum differt a lectione ea, quae vulgo in graecis bibliis reperitur: in notulis adiectis Cel. Editor hos libellos vindicat ab eorum opinione, qui apocryphis eos accensent, eorumque auctoritatem minuunt. Praeter haec additamenta reperimus aliud ineunte capite quarto, cuius versus nonnulli bis positi sunt. Sed quis non videt, duas versiones, quae in Origeniano opere separatae fuerant, aut librariorum inscitia, aut alio casu, in unam esse commistas; cuius generis errores qui in codices harum versionum irrepserunt, a criticis passim notati sunt. Rursus sub finem quarti capitis, et quinto versui capitis quinti, plura sunt adiecta. Vicissim desunt interdum versioni Alexandrinae, quae Theodotionica habet. Sed singula adscribere longum foret.

In hac igitur versione speramus certatim elaboraturos esse veteris testamenti interpretes. Primum autem omnium videtur hoc agendum, ut additamenta, ex aliis versionibus illata, secernantur, quod in Montefalconiano opere saepius factum est: in quo magnam utilitatem habebunt loca Patrum, maxime graecorum, tum vero etiam Hieronymi. Cl. huius versionis Editor, ut infra narrabimus, iecit quidem huius rei fundamenta; sed res, tot difficultatibus septa, nec ab uno, nec eodem tempore, iis omnibus liberari potest. Multum item operae videtur Josepho comparando impendendum esse, ut vel hic ad excusandos Alexandrinos, vel Alexandrini ad Josephum defendendum, conferantur, cum multi soleant ad reprehendendum Josephum procliuiores esse. Ita demum adparebit, an haec versio ad remouendas difficultates, in Daniele obuias, illustrandamque chronologiam, faciat.

Sed demonstrandum est, quidnam in hac editione praestitum sit a Viro doctissimo, cui eam debemus. Singulis ergo capitibus subiecit animaduersiones, criticas maxi-

me, in quibus diligenter notat discrimen huius versionis a vulgata et Theodotionica, dissensum item numerorum. Explicat etiam quaedam loca, et vocabula: tum colligit loca Patrum ecclesiae, in quibus aliquid tribuitur versioni Alexandrinae, quod in hac ipsa, quae nunc in lucem protracta est, exstat. Inseruit porro his animaduersionibus quaedam scholia, codicis Chisiani marginibus adscripta, quae tamen nihil magnopere continent, quod ad illustrandam rem pertineat: nam plerumque loci alicuius summa breuis indicatur. In ipso autem textu expressae sunt omnes notae criticae, obeli, asterisci, aliaeque, ut fuerant in codice repertae, et ab Origene in illo nobilissimo opere positae, nisi quas ignorantia aut negligentia librariorum perturbauit: de quibus notis Editor Cel. p. 22. praefationis monuit. Graecae versioni adiecta est latina.

Codex ipse p. 21. praefationis breuiter descriptus est, quem Mabillonius annis abhinc octingentis scriptum esse agnouit. Praefationi adiecta sunt celeberrimorum virorum de eo testimonia. Subscriptio eius (p. 74. ipsius operis) aeri incisa exhibetur. Narratur etiam (p. 34. praefat.), praeter alios Leonem Allatium et Josephum Blanchinium edendo codici animum adiecisse, sed res ad hunc usque diem irrita fuit.

Sequitur, ut ad ipsum opus redeamus, ineditum fragmentum commentarii Hippolyti in Danielem (a p. 95. ad p. 122.), ex eodem codice Chisiano depromtum. Sunt autem homiliae, in quibus etsi satis diligens Hippolytus fuit, tamen arbitrariae sunt explicationes, numeri item vitiosi, et alia, quae non omnia videntur a iusta examinandi diligentia profecta esse. De Hippolyto in praefatione (p. 26.) dictum est, fuisse episcopum portus Romani, cui et ipsi cura Transtiberinae Romae atque insulae Tiberinae demandata fuerit, unde Romani episcopi nomen, (sic enim adpellatur in hoc codice,) ei haeserit.

Hunc

Hunc commentarium excipit textus verſionis Theodotionicae, cum latina verſione, et variis lectionibus codicis Vaticani et vulgatae verſionis (a p. 131—216). Rurſus eadem verſio integra expreſſa eſt, poſita e regione Alexandrina verſione (a p. 220--305), ut uno oculorum obtutu perpetua utriusque ſimilitudo poſſet animaduerti. Sed hic mallemus, Virum Cel. paucioribus defunctum eſſe, ut et moli operis, et ſumtibus lectorum parceretur. Profecto enim haec omnia, ſine moleſtis iſtis repetitionibus, accurate potuiſſent cognoſci. Eſt quidem editori cuiuis ſua libertas relinquenda; neque nos his admonendis iniuriam facere Viro docto volumus: ſed veremur, ne hoc modo liber utiliſſimus, et theologis doctioribus neceſſarius, in pauciorum manus veniat.

Reliqua pars huius operis, eaque ſatis prolixa, inſcribitur: *Apologia ſententiae patrum de ſeptuaginta virali verſione*, et conſtat quinque diſſertationibus (a p. 309—632.) In iis ergo ab Auctore doctiſſimo multa eruditionis atque lectionis documenta exhibita eſſe, et agnoscimus, et profitemur; ſed ipſum earum argumentum declarat, veterem tractari controuerſiam. Neque adeo in iis reperiuntur quae nondum in utramque partem dicta ſint. Quodſi Cel. Auctor nouis argumentis occurriſſet Hodio, Uſſerio, Dalenio, Simoni, aliis, multo plus utilitatis videtur habitura fuiſſe haec disputatio. Sed noſtrum eſt narrare, quidnam expoſitum inuenerimus. Dicitur nempe aduerſus hos, qui in hiſtoria Alexandrinae verſionis multa perperam, multa ambigue, multa falſo tradita eſſe ſtatuerunt, diſſeriturque de inſigni ſtudio Ptolemaei in augenda bibliotheca, librisque omnis generis, eius iuſſu in graecum conuerſis. Oſtenditur porro, ſcriptores profanos, etiam ſacerdotes aegyptios, poſtquam innotuerat verſio Alexandrina, multum ex ea profeciſſe, et Lycophronem, Simonidem, Menandrum, alios, quorum loca cum ſacrae ſcripturae locis conferuntur. Num vero aliqua ſimilitudo, in iis praeſertim, quae ratio-

ne duce cognosci possunt, efficiat, ut alium ex alio locum expressum dicamus, nobis quidem magnopere dubitandum videtur. Talia enim multo ante, quam facta est Alexandrina versio, a multis scriptoribus profanis dicta erant, e quibus Lycophron et Menander sua haurire potuerunt. Sed his adnumerat etiam Cleanthem, cuius hymnus nobilis est, in quo homines *proles Dei* (γένος θεȣ̃) dicuntur: quo respexisse putat Paulum in actis apostol. (17, 28.) Hunc hymnum, (de quo Fabricius in bibl. gr. vol. 2. p. 397. dixit,) etsi iam alii ediderunt, tamen Auctor Cel. denuo e cod. MS. edidit. Nos ergo eum contulimus cum ea recensione, quae in Cudworthi System. intell. (p. 515. ed Moshem.) obuia est, et varietatem hoc loco notandam esse iudicauimus. Versu 3. in cod. deest καὶ ante πᾶσι. Sed hoc repugnat metro. V. 5. μȣ̃νοι, pro μȣ̃νον. V. 8. ἧ κεν, pro ἧκεν. V. 9. ἀνικήτοις, pro ἀκινήτοις. V. 13. in cod. est integer. Φοιτᾷ μιγνύμενος μεγάλων μικροῖσι φάεσσι. V. 18. Post ἀνοίαις insertus est totus hic versus: Ἀλλὰ σὺ καὶ τὰ περισσὰ ἐπίςασαι ἄρτια θεῖναι. V. 23. δύσμοροι, pro δύσμορ. Past. v. 29. inserti sunt duo versus; sed in priore lacuna est: — — ἐπ' ἄλλοτε δ' ἄλλα φέροντες Σπεύδοντες μάλα πάμπαν ἐναντία τῶνδε γενέσθαι. V. 32. πάτερ pro πατήρ. Alia dissertatione tractantur ea, quae in versione Alexandrina (Daniel. 11, 5. 30.) de Romanis et Aegyptiis leguntur in hunc modum: Καὶ ἐνισχύσει βασιλείαν Αἰγύπτȣ, et v. 30, Καὶ ἥξȣσι Ῥωμαῖοι, καὶ ἐξώσȣσιν αὐτὸν, καὶ ἐμβριμήσονται αὐτῷ. Ex his colligit Editor, magnam esse debere versionis huius auctoritatem, quae sensum expresserit eventi ipso comprobatum. Praeter alia de opibus Alexandriae, et historia Ptolemaei, delabitur ad hunc sermonem, ut ea, quae legantur quidem in Alexandrina versione, sed ab hebraico textu absint, olim adfuisse ostendat. Quemadmodum enim ea, quae in libro de Esthera hebraicus textus non habet, tamen in paraphrasi chaldaica supersunt: ita, si mentem eius recte cepimus, suspicatur in Danielis quoque vaticiniis ea, quae ab Alexan-

xandrinis adſuta exiſtimantur, olim exſtitiſſe. Demetrio Phalereo, cuius et ipſius quaedam eſſe ſolent in hac disputatione partes, vindicat Cl. Editor hiſtoriam iudaicam, et libellum περὶ ἑρμηνείας. Per eam occaſionem (p. 452.) e codice quodam denuo edidit Cosmae prologum in Pſalmos. Alia diſſertatione repetuntur ea omnia, quae de Ariſtea dudum prodita, refutata, defenſa, et multis modis excuſſa ſunt: ſed Vir Clariſſimus Ariſteam acriter defendit. Ab his digreditur ad omnem Muſei Alexandrini, et nobiliſſimae illius bibliothecae hiſtoriam, quam uberrime tractat.

Haec eſt breuis *Apologiae* huius ſumma, in qua excerpenda non veremur, ne in breuitatis nimiae reprehenſionem iuſtam incurrerimus. Nam contra disputare non eſt huius loci; ea vero, quae aliunde nota erant, recenſere videbatur nimium. Igitur, quae propria ſunt huic Editori doctiſſimo, attingenda putauimus ſic, ut, quaenam eius eſſet mens, quamque rationem ſequeretur, adpareret. Adparet enim ex his, quae propoſuimus, Patrum hac de re teſtimonia defendi, ac verſionis Alexandrinae auctoritatem muniri.

Unum praetermittere non poſſumus, quod in extrema disputatione multis oſtenditur, Homerum, aliosque, bene multa deriuaſſe e Judaica religione et Scriptura ſacra. Putat igitur, narrationem Homericam de Bellerophonte cum rebus Joſephi Patriarchae tam perſpicue conſentire, ut nulla dubitatio de ſimilitudine ſupereſſe poſſit. Rurſus Ate Homerica eſt peccatum, aut ipſe adeo Satanas. His atque talibus argumentis, quibus et alii veteres ac recentiores uſi ſunt, commonſtrare conatur, iudaicarum rerum notitiam ad paganos veniſſe. Quod autem Patres eccleſiae eadem ratione uſi ſunt, partim ut adpareret omnem paganorum ſapientiam e libris ſacris Judaeorum fluxiſſe, partim ut iis, quae ſacri ſcriptores interdum tradunt, fidem

fa-

facerent, ſi in exteris ſimilia occurrere docerent, id profecto non valet ad rem confirmandam, cum talia omnia nobis quidem videantur κατ' ἄνθρωπον eſſe diſputata. Nam quod Clemens Alexandrinus omnem philoſophiam e Moſaico fonte hauſtam dicit, id quam operoſe, contorte, ambigue, atque ita ingenioſe demonſtrat, ut ſaepenumero obſcura quaedam ſimilitudo rem omnem in clara veluti luce ipſi videatur collocare. Theodoretus quidem, in iis praeſertim libris, qui de Graecorum morbis curandis ſcripti ſunt, quid non agit, ut πίστιν religionis noſtrae cum πίστει ea, de qua philoſophi dicunt, comparet. Denique Juſtinus Martyr, qui et ipſe fabulas paganas cum euentis quibusdam, in ſacra Scriptura traditis, confert, et usque eo progreditur, ut ſaepe offendat lectores, nonne unice hoc demonſtrat, non ſpernenda eſſe quae in religione noſtra tradantur, quia pagani ſimilia narrent. Egregiam vero Scripturae ſacrae ἀξιοπιστίαν, quae hoc fundamento nititur. Sed Juſtinus, his ita tradendis, prudenter moliebatur animos paganorum reddere ad credendum procliues; ut inciperent modo ſecum reputare, non abſonam eſſe chriſtianam religionem, quae in multis adeo ſimilis ſit paganis hiſtoriis. Ex hac igitur diſputandi ratione nos quidem non audemus concludere, omnia illa, quae in paganorum libris utcumque ſint ſimilia libris noſtris, ex his in illos deriuata eſſe, nosque in hac re a ſententia Patrum eccleſiae ſtare debere.

Sed haec omnia non eo pertinent, ut quidquam velimus doctrinae Auctoris V. Cl. atque diligentiae detractum: quin potius ultro et libenter fatemur, rei criticae peritos homines omnes magnam ei gratiam habituros, quod prouiderit, Chiſiani codicis accurata editione, ne lectio Danielis multis locis haberet, quae vel omnino non, vel difficulter intelligerentur.

GRA-

GRATII FALISCI CYNEGETICON ET M. AURELII OLYMPII NEMESIANI Cynegeticon cum notis sel. ctis *TITII, BARTHII, VLITII, JOHNSONII,* et *PETRI BURMANNI* integris.

Mitauiae apud JAC. FRIDER. HINZIUM MDCCLXXV. 8. pagg. 286.

Paucos protulit erudita antiquitas, qui rem venaticam carmine exponere adgrederentur. Horum ex Latinis vix duo tristissimum illud barbaricorum saeculorum incendium effugerunt, quibus, ut ex mediis flammis ereptis, semiustis, ad nos peruenire contigit. Etsi vero non leuiter dolendum videtur, hos venaticorum carminum auctores, Gratium et Nemesianum, ita esse relictos, ut membris luxatos et priuatos, ipsae hae tamen reliquiae gratae omnibus acceptaeque esse debent, praesertim quum non ita male sint habitae, ut integri corporis simile nihil existeret. Gratium praesertim, aureae aetatis poëtam, eos non contemturos certum est, quibus Latinitatis purae studium curae est cordique. Et ipsorum carminum haec est ratio atque indoles, ut rerum poëticarum studiosus non sine voluptate ab eorum lectione discesserit. Verbis enim et loquendi formulis a rebus bellicis ad venatum traductis, ieiuna ista rerum venatoriarum depressaque materia, vehementer extollitur, ut magnifici quid heroicique non raro sonare videatur. Et prae Gratio nobis quidem Nemesianus, licet deterioris aeui poeta, et hac de caussa vehementer se probauit, quod facile quiddam, leniusque fluens, in eius carmine animaduerteremus; cum Gratius in hoc praestet quod castae Latinitatis auctor sit habendus. Eamdem rationem sequutus est editor, qua usus est in Calpurnii et Nemesiani Eclogis. Pariter notas dedit selectas, id est, eas maxime, quae

Grammaticam interpretationem ſpectarent. Sunt quidem, etiam poſt delectum, notae iuſto, ut videtur, copioſiores, ſed vix fieri aliter potuit, cum Burmannianae notae integrae debebant retineri. Quodſi noſtri res fuiſſet arbitrii, etiam de Burmanni notis magnam partem omiſiſſemus, praeſertim eas, in quibus ſuperiorum interpretum falſas explicationes damnat, ſiue aliorum ſcriptorum loca, tentata ab aliis, aut perperam explicata, vindicat, et ſuo modo interpretatur. In primis hoc bene eſt factum, quod Ulitii ambages, per quas tranſcurrit, in arctum ſunt redactae. Videtur enim Ulitius non tam commentarium in venaticos hos poetas edere, quam omnem omnino rem venatoriam explicare voluiſſe; in eo praeterea non ferendus, quod ubique occaſionem captat atque venatur, per quam Barthium, interdum quidem a vero aberrantem, acerbiſſime, et ruſtico plane more, carpire poſſit, adeo ut et ipſe Burmannus Barthium plus ſemel defenderit. Verum hoc eſt, Barthianam criſin non raro eſſe audaciorem, et interpretationum eam rationem, ut, quae uno loco dicat, ea et ad multa alia poſſint adhiberi, et ab ipſo ſaepius ſint adhibita. Ex his ea deligere, quae ſcriptori proprie ſint apta, perquam eſt difficile, neque tamen inutile, cum Barthius, etiamſi peccauerit ſaepe, tamen inter infimos non ſit cenſendus. Johnſoni notarum magna pars eſt omiſſa, et id recte quidem. Taedioſum enim eſt, in notis Johnſoni tum ea, quae alii iam dixerunt, attuleruntue, ſiue his ſimilia, iterum legere, tum ipſius Johnſoni non nimis magni pretii adnotatiunculam cognouiſſe, quae nihil te reddat ſapientiorem.

HI-

HISTORIAE AUGUSTAE SCRIPTORES SEX,

Aelius Spartianus, Jul. Capitolinus, Ael. Lampridius, Vulc. Gallicanus, Trebell, Pollio, Flau. Vopiscus.

Lipsiae, apud Siegfried. Lebrecht Crusium MDCCLXXIV. 8.

Etsi multa insunt in hisce historiae Augustae scriptoribus, ita comparata, ut iure reprehendi posse videantur, siue phrasin spectes, scribendique genus, siue ipsam rationem, qua res gestas Imperatorum enarrauerunt: non pauca tamen habent, quae ipsos vehementer faciant commendabiles. Magna quidem pars eorum, quae de Imperatoribus tradunt, proprie non pertinet ad historiam, sed ad commentarios de rebus priuatis et domesticis: sed primo, cum apud alios scriptores meliora vix reperiantur, necessario his debemus esse contenti; deinde, ea fuisse tempora est tenendum, per quorum turbas, continuasque seditiones per omnes fere Imperii Romani prouincias, vel optimus Princeps, et summa virtute tam ciuili, quam bellica preditus, egregie quid et salutare reipublicae vix instituere possit. Priorum enim Principum vel incuria et negligentia, vel foedissimis vitiis, totum imperii quasi corpus ita plerumque accipiebat luxatum laceratumque, ut, cui primum malo occurreret, quodue detrimentum prius resarciret, non facile esset ad decernendum, praesertim militari disciplina plane corrupta, quae bonos Principes paucos annos, interdum aliquot menses, rebus praeesse pateretur. Quae tamen ipsa historiae studiosum scire non parum refert; et cum aliunde cognoscere non possit, ipsa haec pauca non contemnit. Quo numero autem iure consultis scriptores isti sint, ut vero etiam esse debent, non est quod moneamus, cum permulta insint ad historiam antiquorum iuris consultorum, legumque, accurate cognoscendam, plane necessaria. Latinitas denique, qua hi scriptores usi sunt, est illa quidem horrida et barbara, sed scri-

ſcribendi genus, qui rerum geſtarum eſt ſtudioſus, non ita magni habet, ut ſcriptorem, etiam peſſimo ſcribendi genere uſum, id e eo abiiciendum putet, licet Liuium, ſimilesque, etiam cum delectatione legat. Inter ipſam tamen ſcribendi barbariem interdum, quamquam non nimis ſaepe, emicat quaſi ex inſperato floſculus aliquis, unde veterum eſſe illos quidem voluiſſe imitatores apparet, ſed ingenii forte viribus deſtitutos, temporum aliisque rationibus praepeditos. Et ipſa haec non optima Latinitas multum erit utilis Theologis, ad cognoſcendam Latinitatem eccleſiaſticam, ex qua multa habet, Chriſtianorum uſu et commercio cum hominibus gentilibus paullatim etiam linguam vulgarem afficiente. Vidimus hoc etiam obſeruatum S. R. *Erneſtio* ad Fabric. Bibl. Latinam Tom. III. p. 102.

Pauca haec praefati, ipſam nouam horum ſcriptorum editionem deſcribamus. Textus eſt ille recenſionis Salmaſianae, qualem Hackii fratres duobus voluminibus, ſuperiore ſaeculo dederunt. Melius forte factum fuiſſet, ſi ex ipſa editione Salmaſiana repeteretur, nam illis Hackiorum promiſſis, de textu quam emendatiſſime excuſo, non nimis fidimus. Totum opus inſtituit *Joannes Petrus Schmidius*. A. M. qui et Latinitatis Indicem confecit. Quam rationem editor ſit ſequutus, non ſatis clarum eſt, cum ipſe, incertum ob quas cauſſas, praefationis, quod ſane conſultum fuiſſet, nihil addiderit, et in praefatione quam Cel. *Püttmannus* ſcripſit, editorem eſſe Schmidium, et Indicem confeciſſe, ſimpliciter tantum dicatur. *Püttmanniana* praefatio partim in hoc verſatur, ut ea commemorentur, quae in his ſcriptoribus a variis eruditis hominibus ſunt reprehenſa, et quomodo ab his reprehenſionibus utcumque poſſint liberari; partim ut tradat hiſtoriam qualemcumque editionum earum, quas Cl. *Püttmannus* oculis uſurpauit, praecipue eius, quae princeps omnium habetur, Mediolanenſis. Similia his fere tradit S. R. *Erneſti* ad Fabric Bibl. l. c. qui et ipſe hanc editionem, titulo orbatam, poſſidet. Nos, qui antiquiſſimas editiones inſpeximus, et illud ipſum exemplar Erneſtianum

num, tum ex typorum conditione intelleximus, cum ex iis, quas doctissimus Schmidius in Indice attulit, lectionum varietatibus, quae tales sunt, ut ex nulla sequentium editionum potuerint promanare, illud exemplar Ernestianum, quocumque demum loco sit excusum, omnium editionum esse antiquissimum, licet annus definiri nequeat. Illud etiam in hac editione obseruauimus, nescimus an et alii, non modo in singulis uocibus esse insignes varietates, sed etiam bene longas particulas interdum esse constitutas, nonnulla etiam plane alio loco posita. Praefationem *Püttmanni* sequuntur Praefationes Casauboni et Salmasii, quae sane temere fuerunt ab Hackiis omissae, quum multa in iis contineantur, ad intelligendos ipsos scriptores utilia, et ad cognoscendos Casauboni et Salmasii labores per necessaria. Adiunxit itidem Cl. *Püttmannus* Gottfr. Mascouii orationem de scriptoribus Hist. Aug. Harderouici 1731. habitam, egregiam illam, et ipsos scriptores multis locis bene illustrantem. Addita sunt deinde nonnulla ex *Dodwelli* Praelect. Cambden. ad hos scriptores facientia. Haec praestitit Püttmannus. Neque videtur magnopere reprehendendum, quod, quae Vossius de his scriptoribus tradidit, addita sint, licet post virum hunc doctissimum multa melius et accuratius ab aliis sint dicta. De textu nihil habemus quod dicamus. In uniuersum arbitramur, bene factum fuisse, si omnis singularum editionum varietas, diligenter notata textui esset subiecta. Optaremus, praestitisse id doctissimum Schmidium, qui, ut ex Indice apparet, satis ab antiquis editionibus fuit instructus, ex quibus lectionum diuersitates, etsi non omnes, adnotatas vidimus. Collecta sic esset materia critica ad textum ipsum, quantum sine codicum scriptorum auctoritate fieri potest, utcumque constituendum, et de cuiusuis editionis indole et bonitate certius posset iudicari. Nam etiam post medicam manum Casauboni et Salmasii, multae hos scriptores obsident corruptelae, quas hi duumuiri aut neglexerunt, aut non deprehenderunt. Visus quidem est Codicibus uterque, et editionibus antiquis,

ſed neuter ita, ut diligenter ſingula loca ad eas examinaret, ſed tantum eas inſpicerent, ubi vel locus non ſtatim poterat intelligi, vel emendatio non eſſet in promtu. Idque cuilibet, modo paucas adnotationes Caſauboni et Salmaſii critica diligentia pertractanti, ſtatim apparebit. Saepenumero etiam redditur incertum, quam lectionem in Codice inuenerint, cum, ut Schmidius in Indice aliquo loco obſeruat, aliam Caſaubonus, aliam Gruterus et Salmaſius, Codicis Palatini adferant lectionem. Editionem illam, quae dicitur, Mediolanenſem, ſaltem non accurate et ubiuis a Salmaſio inſpectam, ipſi eius rei periculum cum facerimus, pro certo poſſumus affirmare, quod apparet etiam ex Indice Schmidiano, quamquam et hic ipſe tantum locis dubiis adhibuiſſe videtur.

Indicis, quem Schmidius confecit, hanc deprehendimus indolem atque rationem. Latinitas horum Scriptorum diligenter eſt notata, non ita quidem, ut etiam a viris magnis indices confici videmus, ut tantum verba ſcriptoris, loquendique formae omnes, nude ponantur, ſed breuibus, et per modum Scholii, addidit Schmidius interpretationem iis, quae ab uſu purioris Latinitatis abhorrent. Et hoc obſeruauimus, explicationes locorum difficilium, a Caſaubono et Salmaſio in adnotationibus datas, breuiter eſſe commemoratas; quod percommodum iis eſt, qui amplas, et copioſas, inprimis Salmaſii notas, nec poteſt, nec vult perlegere. Continent hae quidem boni permultum, teſtanturque ſummam viri eruditionem, ſed quam ſaepe hoc loco non quaeſiuenis. Interdum diſcedit Schmidius ab utriusque interpretatione, ſed cum reuerentia tantorum virorum nominibus debita, praeſertim in emendationibus a Salmaſio tentatis, quae ſane non raro iuſto ſunt violentiores. Editionum antiquarum lectiones ſubinde commemorat, quod ſaepius etiam, ut iam diximus, factum vellemus.

M.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI ECLOGAE IV. et T. Calpurnii Siculi Eclogae VII. ad Nemesianum Carthaginiensem, cum notis selectis Titii, Martelli, Vlitii, et Petri Burmanni integris.

Mitauiae apud Jacob. Frider. Hinzium MDCCLXXIIII. 8. pagg. 226.

Vergente paullatim ad occasum Romanorum imperio, bonarum litterarum elegantiaeque omnis simul ruina consequuta est. Non tantum deerant, qui ipsi in quocumque litteratae elegantiae tale quid praestarent elaborarentue, quod ita probatum, omnibusque numeris quasi absolutum esset, ut ad fastigium accederet, aliisque, quod imitarentur, proponi posset. Sed et illi ipsi, qui animum in quocumque eruditionis genere ad scribendum adiicerent, mali erant bonorum imitatores, inanique pulcritudinis specie sibi efficta, omnia fere, quae pulcra ab antiquis acceperant, foede deformabant. Haerebat in hoc luto tantum non omnis scribentium multitudo, oratores, philosophi, historici, quod ex aeui sequioris monimentis clarissime posset demonstrari, nisi esset in confesso. Vera poetica, ceteris corruptis, aliquamdiu intacta fere stetit, siue leui tantum quodam ingruentis barbarici spiritu adflata est. Testatur hoc poetarum non exigua, ut talibus temporibus, multitudo. Qui etsi aureae aetatis poetis non possunt aequiparari, ea tamen conscripserunt carmina, quae, licet cum antiquis non conueniatn, tamen aliquo numero censeri possunt et debent. Cuius rei, utrum impetus aliquis felix humani ingenii ad poesin, sit caussa, an, veteres Poetae diligentius lectitati id sibi vindicent, disquirere nostri non est instituti. Suffecerit monuisse, aeuo sequiore etiamnum poetas probabiles exstitisse, inter quos quin referendi sint duo carminum

rum Bucolicorum ſcriptores, *Calpurnius* et *Nemeſianus*, nemo dubitare poterit. In noua horum Poetarum editione quid praeſtitum ſit, titulus indicat. Inſtitutum uniuerſum non poſſumus non probare. Cum enim editiones horum Poetarum paſtoritiorum ſeparatae rariſſimae ſint, bonum eſt, eos iam factos parabiliores. Et collectionem Burmannianam pauci ſunt qui emant, partim ob pretium non illud leue, partim ob libri magnitudinem, partim ob notarum, quibus onerata eſt, abundantiam. Quas cum delegerit editor, in eo inprimis iuuenum commodis conſulit, quibus haec carmina bucolica, poſt Virgilium, non ſine utilitate tradi poſſunt atque explicari. Poteritque a praeceptore perito demonſtrari, quo ſucceſſu Virgilium imitati ſint hi poetae, quando propius acceſſerint, quando longo interuallo ab illo ſteterint remoti. Notarum delectus hac ratione eſt inſtitutus. Grammaticam interpretationem, quae ſane in explicatione ſcriptoris cuiuscumque prima eſſe debet, maxime ſpectatam vidimus. Antiquiores interpretes ſi quid haberent, quod ad hanc rem faceret, id diligenter eſt delectum, ita tamen; ut ſuperflua, et quae nihil facerent ad intelligenda verba, omitterentur, neque eadem interpretatio bis poneretur, Porro, cum in adnotationibus breuitas cum perſpicuitate unice ſit probanda, id operam dedit editor, ut eam amplecteretur interpretationem, quae ex hac ratione prae caeteris videretur commendabilis, ſiue eſſet antiquioris interpretis, ſiue recentioris. Et profecto haec via eſt perquam bona, in qua tirones ad intelligentiam veterum auctorum adducuntur. Hos enim notarum multitudo, praeſertim ad rem non facientium, et defatigat, et vehementer conturbat, imo intelligentiam ſcriptoris impedit potius, quam ut adiuuet. Si homines firmata iam aetate de adnotationum inutili copia ſaepe queruntur, nemo non poteſt laudare, ubi quis iuſta et perſpicua breuitate adoleſcentibus ſeruire inſtituit.

APPA-

APPARATVS CRITICI AD DEMOSTHENEM Volumen I. Hieronymi Wolfii et Joannnis Taylori ad Oratorem annotationes tenens.

Lipſiae typis W. G. Sommeri 1774.

APPARATVS CRITICI AD DEMOSTHENEM Volumen II. tenens Wolfii et partim Taylori quoque Annotationes ad Orationes eas, quae volumen ſecundum editionis Lipſienſis implent; tum propriae quoque JO. JACOBI REISKE annotationes ad Demoſthenem, ab eoque collectas varietates lectionis. Ibid. eod.

APPARATVS CRITICI AD DEMOSTHENEM Volumen III. tenens JO. JACOBI REISKE reliquas ad Demoſthenem annotationes, ab eoque collectas varietates lectionis.

Lipſiae typis W. G. Sommeri 1775. in 8vo.

Quo conſilio, quo ſtudio, quibus opibus et adiumentis Clariſſimi et de graecis litteris praeclare meriti Editoris Demoſthenis Orationes denuo edi coeptae ſint, expoſitum fuit eo horum Commentariorum loco, quo cognitionem et notitiam iſtius operis, quale tum apparebat, cum affectum adhuc necdum abſolutum erat, dare meminimus.

Nunc, quomodo iſtud conſilium perſequutus ſit, quam rationem edendi et commentandi tenuerit, quomodo vel paratis, vel nouis auxiliis uſus ſit, reſtat ut commemoremus. Etenim cum ſuperioribus quae prodiiſſent Volu-

luminibus Graecae tantum Orationis verba ab ipso recensita comprehenderentur, sine Obseruationum Variarumque Lectionum additamento, et tamen iis potissimum, quibus inesset. Graecitatis per criticas rationes intelligendae et iudicandae cupiditas, haec editio pararetur: placuit seorsim exhibere, quaecunque vel superiorum Editorum cura et diligentia ad ornandum illustrandumque Demosthenicarum Orationum complexum, contulisset, vel propria promsisset excudissetque industria.

Haec quidem omnia nomine Apparatus Critici, per tria Volumina distributi, ita describuntur, ut prius, et dimidium alterum volumen, integras Hieronymi Wolfii et Tayloranas adnotationes, secundum Londinensem editionem, referat. Quibus subiectae ipsius Reiskii notae dimidiam partem tenent, et tertium volumen satis spissum complent. Sunt autem hae notae duplicis generis, quorum alterum in Graecis explicandis cernitur, alterum in Varietate Lectionis enotanda, itemque in coniecturis Virorum doctorum et suis commemorandis, versatur.

De utroque antequam dicamus, iuuat afferre quae de Interpretum Demosthenis laboribus sentiat. Etenim, in quibus bene de Demosthene meritus sit H Wolfius, ea gratus agnoscit, eique saepe fauet studiosius quam Tayloro et Marclando, quorum utrumque ipsi iniquum passim queritur, et inexcusabilius illo peccasse demonstrat, pari subinde, cum vehementius forte commotus est, verborum acerbitate, eorum criminationes retundens. Modum autem Tayloranae editionis prodendae parum probat. Nam primum unamquamque orationem seorsim iussisse typis exscribi. Tum plagulas a prelo madentes misisse ad Marklandum rusticantem; hunc margines earum suis notis compleuisse, quae eum subito et libris destitutum huic rei accessisse satis prodant. Interea operis cessandum fuisse ad annum, dum ipse

ipse suas notas elaboraret, et typis exscribendas traderet. Hinc difficultatem enatam esse hanc, ut qui aliquid quaerat, ei totus liber sursum versum voluendus sit, et taedium eadem a Tayloro obseruata aliquoties, modo pluribus, modo paucioribus verbis, diuersis locis adscripta legendi.

Ad Reiskii notas quod attinet, sunt eae generis illius, quod ipsi in omnibus propemodum libris, quos adnotationibus instruxit, longo abhinc tempore tenere placuit. Non ex ubertate et copia doctrinae, qua se iactant Batauorum ingenia, censentur, sed ex subtilitate tenuitateque, ea tantum, quae ad explicandum quemcunque locum necessaria sint, amplectente, spectari volunt. Neque vero vel Iuris Attici difficiles quaestiones soluunt, in quo inprimis elaborabat Taylorus; vel locorum similium congerie tument: sed continentur partim in verborum corruptelis, vel codicum ope, vel coniectura restituendis; partim in obscuritate sententiae illustranda; tum in artificio rhetorico, non recentiorum more, sed veterum eorumque ipsorum verbis, quibus sua iudicia concepissent, demonstrando; denique in Grammaticorum veterum citationibus commemorandis. Nam philologum agere professus, magis quae veteres conferant, quam quae vel recentiores, vel ipse ad interpretandum promat, exposuisse decorum putabat. Hinc in Hermogene et eius Scholiastis, in Harpocratione, Thoma Magistro. Polluce, et reliquis adhibendis, diligentem habemus, nec minus ita modestum, ut, dum sententiae verborum explicandae satisfiat, ad minutiarum grammaticalium recensionem descendere, non a se alienum putet, omninoque de nauata hac opera demisissime sentiat.

Hoc volunt illae sententiae, quibus refertae sunt litterae ad Augerium, Eloquentiae in Collegio Rothomagensi Professorem, dedicationis nomine primo Volumini praefixae: non esse, quod noua et inusitata sperent homines, a se in illustrando Demosthene praestanda. Dilationem sua-

 rum

rum annotationum non hoc secum ferre, ut tanto ampliores doctrinae opes appareant. Quippe sibi non licuisse uni Demostheni inhaerere, sed temporis curaeque partem, aliam Dionysii Halicarnassensis recensionem, aliam Plutarchi Vitarum editionem sibi vindicasse; ad quae multa simul agenda, post diuturnum otium, sero tandem amissa valetudine, ac iniquissimo tempore sit vocatus. Qui singularia prorsus et eximia desiderent, meminerint, se nunquam ad opiparas quas sperent istas et lautas epulas inuitatos esse. Quibus simillima in praefatione notis praemissa leguntur. In quibus queritur notarum suarum conquirendarum ac digerendarum tempus illud ipsum esse, quo corpore animoque misertime adfectus et languens, propemodum ad omnia nauseat, quo, in cubiculo erectus et constans ambulare vix possit. Quin etiam vitia quae a se admissa adeo non celat, ut ipse sui reprehensor esse non recuset, ita tamen, ut paratam habeat defensionem, et culpae amouendae rationes in medium afferat. Etenim, quod Turelli notas non addiderit ceteris, iustis de caussis fecisse scribit. Primum ne suae Obseruationes longius differrentur, quibus illae, ordine postulante, praemittendae fuissent. Deinde quia aequum putaret, non attingere quae sibi integra seruari velle videretur Augerius, nec prius de Turelli vel Gallica versione, vel notis statuere, quam is nouam quam confecisset, Demosthenis Gallicam versionem, prodidisset. Denique quod non placeret ea exhibere, quae corrasa essent ex promtuariis, ne digna quidem quae recudantur, quae aliena pleraque, pauca quae ad Demosthenem pertineant, haberent, quaeque tollendis mendis, et verborum sententiae explanandae, parum prodessent. Tales enim Turelli notas, nisi fallat opinio, sibi videri. Quod autem Hier. Wolfii versionem Latinam non adiecerit, qua nonnullos delectari, et carere non posse animaduersum est, idem factum, ne vel voluminum numerus cum emtorum incommodo cresceret, vel ipse nouo et ingrato labori adigeretur, ad exemplum Sylburgii, qui Lapi

et

et Gelenii verſiones conſtituiſſet, Wolfianam etiam ad Graeca emendandi et reformandi; praeſertim cum nec otio abundaret, nec omnino cenſorem agere vellet.

Eſt igitur labor in ſingulis orationibus illuſtrandis a Celeb. Editore ita deſcriptus, ut adnotationes continuae praecedant, et Variae Lectiones ſequantur. Hoc nobis videbatur id incommodum afferre legentibus, ut, qua auctoritate aliqua emendatio facta, aut aliqua lectio vel probanda vel reiicienda in notis propoſita eſſet, ſcire non poſſent, niſi eundem locum in Variis lectionibus indagaſſent, quo percurrendo demum apparet, quid vel Auguſtano, cui inprimis innititur, vel alio codice iubente, vel etiam coniectura, cum ſua, tum aliena, in oratione Demoſthenis conſtituenda ſit praeſtitum. Nam harum congeriem conficiunt non eae tantum codicum librorumque collationes, quos ipſe adhibuiſſet, ſed etiam eorum, quibus ſuperiores uſi fuiſſent. Hinc euitari non potuit, quin ea, quae in Adnotatis Taylori et Marklandi iam occurriſſent, iterum repetita et recocta proponerentur. Sed id commoditati lectorum non obeſt, cui conſuluiſſe laudabilis eſt, quam chartae pepercisse. Sic enim uno obtutu iis comprehendere licet, quae alias diuerſis et diſſitis locis quaerere cogerentur. Eſt omnino peſſimus labor qui Criticorum vitam exerceat, in variarum lectionum colligendarum negotio; quem cum etiam Cel. Editor, Demoſthenis cauſſa, magis ut aliorum voluntati et exſpectationi morem gereret, quam ut ſuo deſiderio ſatisfaceret, hauſiſſe ſibi videretur, accidit, ut praeter opinionem actum agere denuo, et poſitos clauſosque libros promere iterum ac reuoluere deberet. Nam poſt editam ad Demoſthenem praefationem, cum Viri docti in Anglia et in Batauis reſciuiſſent, nouam Demoſthenis editionem parari ab eo, qui non vulgari, ſed exquiſitae graecarum litterarum ſcientiae fama floreret, quem quondam aliquamdiu inter ipſos verſatum adhuc plurimi noſſent, ab Askewio ex Tayloranа hereditate ingentem faſcem accipit adminiculorum edendi Demoſthenis, Londi-

no trans mare miſſum. Quod munus primo ſpretum, tanquam antiqua tantum et dudum edita complexum, reiicit, deque ea re per litteras cum inſcio Askewio, qui nimirum non magis quid iſti ſarcinae ineſſet exploratum haberet, conqueritur: poſtea reſumtum et accuratius inſpectum, ea continere deprehendit, quae ſine humanitatis et officii neglectu diſſimulari et premi non poſſent. Inerant autem editiones quaedam veteres, quibus adſcriptae collationes Codicum eſſent, et Taylorianae editionis exempla aliquot mundis chartis interſtincta, quarum in aliis nihil adſcriptum appareret, in aliis autem quaedam editis elaboratius et plenius ſcripta reperirentur. Indicem quidem Anglicanorum Demoſthenis Codicum, multo auctiorem eo qui editus eſſet, item Scholia Moſchopuli ad Olynthiacas tres et Philippiam ſecundam nunc primum accepimus, cum in Bauarico Codice ab Reiskio reperta, pro friuolis et ieiunis ſpreta et ſuppreſſa fuiſſent. Reliqua ſuis locis inſerta exhibentur. Caetera, quae ad hoc nouorum ſubſidiorum criticorum genus pertinent, reperiuntur in Praefatione notis praemiſſa, unde tamen cognoſcitur eas eſſe exiguas fere et tenues opes, et in quibus auxilio opus ſit, in iis potiſſimum nihil valere. Quin etiam paullo ſerius, et incommodo tempore oblatae, iis uſibus adhibitae non ſunt, quibus, ſi quondam citius, cum id unum agebatur, et varias lectiones colligere iuuabat, acceſſiſſent, idoneae eſſe poterant. Quodſi quando exſtiterit vir nauus et induſtrius, qui Demoſtheni recenſendo animum adiiciat, gratum fecerit Manibus Viri Doctiſſimi, et eruditis omnibus, ſi in hac Variarum Lectionum ſilua imperfecta expoliat, turbata ad ordinem redigat, praeſertim cum ſe tanta adiumentorum amplitudine adiuuari ſenſerit, quanta nemini ſuperiorum in promtu fuiſſet. Nam, quod Cel. Editorem non fugit, ſunt quaedam in hac parte vitia, non quidem enormia, aut praeſtantiam operis minuentia, ſed in magno rerum obſeruandarum concurſu vix ſatis cauenda, et communia cum multis, et paratam excuſationem veniamque ha-

habentia. Etenim, auctores quidem lectionum a Vulgata, hoc est Morelliana, diuersarum laudatos esse, non autem lectionis vulgatae auctores: Wolfianae editionis, cum nulla veterum consentientis, sed aut Felicianeam secutae, quod laudem habet, aut meros Wolfiani ingenii fetus, pro verbis Demosthenis exhibentis, commemoratas non esse: denique, in Codicum nominibus nonnunquam aberratum fuisse, etsi defensione excusationeque non careat, tamen quibusdam ea non satis contentis, mutandum videbitur. In quo arbitrio cuique suo obsequi liceat, quoad sine liuore et obtrectatione nominis Viri praeclare de Oratore meriti fiat. Nam prodierunt etiam.

INDICES OPERUM DEMOSTHENIS. CONFECIT D. J. J. REISKE.

Lipsiae typis W. G. Sommeri 1775. 2. Alphab. 13 plagg. in 8.

In hos Indices amplissimas Graecitatis Demosthenicae copias ita congessit V. Cl. ut et verborum formarumque dicendi, ab Oratore usurpatarum, veram intelligendi explicandique rationem traderet, et eas uno tenore percurrere volentibus satisfaceret, simul ut adnotandi commentandique partes ageret, laudaretque Grammaticorum veterum loca, in quibus verbis Oratoris ad vim potestatemque verborum constituendam usi fuissent. In quo quidem optime fecit, quod istorum Grammaticorum loca indicauit; in hoc parum consuluit legentibus, quod, qua vel oratione, vel orationis capite siue sectione ista reperiantur saepius adscribere neglexit. Neque vero utrum omnino istae citationes adhuc in Oratore reperiantur, an sint ex scripto eius deperdito, admonuit. Potuerunt in his commemorandis illi ipsi Veteres memoriae lapsus commisisse, quos errores castigari non meminimus: v. c. p. 134. *ἀστράβη mulus clitellarius, ut Moeris*

ris Atticista interpretatur ἐπ' ἀςράβης ὀχούμενος. Sic illud p. 461. χηδεία, κατὰ Δημοσθένη· *Julius Pollux. III*, 30. cum amplius nihil subiiciat Index, quorsum referas? Item hoc p. 554. παλίνδικον *e Demosth. citat Julius Pollux VIII*, 26. Cuius generis plura sunt. Ac eodem volumine continetur etiam index hominum et locorum; accesserunt quoque minores quidam, ut curiarum tribuumque Atheniensium, item Ludorum festorumque. Et ex Taylori quidem schedis, primorum orationis cuiusque ordo alphabeticus, ac rerum memorabilium Demosthenis aetate gestarum. Utinam modo nobis contigisset, hoc eximium laboris litterarum caussa suscepti monumentum, arte et doctrina praestantissimo, viro viuo valentique gratulari; qui, si vel longissimam vitam nactus fuisset, tamen profecto numquam famae suae superstes erat futurus.

INDEX AUCTORUM, quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici, et ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

III. *Libri Medici et Physici.*

Ulloa

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Historici et Geographici.*

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologi, Miscellanei.*

Mi-

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

de

de

Ex-

Ima-

Osca.

de

VIII

T.

Tabula ex aere expressa referenda est